CORPUS REFORMATORUM.

VOLUMEN XLIV.

IOANNIS CALVINI

OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN XVI.

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN.)

1877.

JOHNSON REPRINT CORPORATION
NEW YORK AND LONDON

MINERVA, G.m.b.H.
FRANKFURT AM MAIN

THESAURUS

EPISTOLICUS CALVINIANUS

SIVE

COLLECTIO AMPLISSIMA

EPISTOLARUM TAM AB IO. CALVINO QUAM AD EUM

SCRIPTARUM

QUAS MAXIMA EX PARTE E CODICIBUS MANUSCRIPTIS ERUTAS

ADDITISQUE PROLEGOMENIS LITERARIIS

ET ANNOTATIONIBUS CRITICIS ET HISTORICIS ILLUSTRATAS

EDIDERUNT

EDUARDUS CUNITZ ET EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN VII.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/corpusreformator0016vari

MDLVI.

2374.

BEZA BULLINGERO.

Praemissis nonnullis de Vergerio epistolas sibi destinatas in alienas manus pervenisse querenti, Gribaldi notat suspectam fidem, Viretum ab exsulibus Genevensibus calumniis traductum significat, in Gallia ecclesias zelo flagrare gaudet.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, fol. 73, coll. cum exx. Genevensibus duobus Cod. 119, fol. 119 et Cod. 111b, fol. 15; et Bernensi Epp. VI. p. 993. Edidit Baum. I. 448.)

Eximio servo Dei D. Henrico Bullingero, patri mihi observandissimo et ecclesiae Tigurinae fidelissimo pastori.

Tiguri.

S. De *Vergerio* nostro ita se res habet ut scripsi, qua de re ne quid possis dubitare, ecce tibi ipsius verba, ex epistola quam ad me ultimam dedit italico sermone xx. Augusti quum Reutlingae esset:

La vostra lettera mi è venuta come per ventura alle mani, un amico mio l'ha trovata sola, solà in man di non so chi in Schaffusa, et che scandalo sarebbe stato se fosse andata in man di qualche uno degli avversarii? che concetto n'haverebbono fatto et del Giurisconsulto [1]) et di me? etc.

Ego igitur suspicor literas oberrasse, quod quum sine ulla tua culpa acciderit, non est, opinor, quod de ea re cum ipso *Vergerio* expostules.

Quod autem ad *Gribaldum* attinet, ut prorsus intelligas quid illi controversiae hic fuerit, [2]) non tam cum *Calvino*, quem semel tantum est alloquutus in ultima ipsius profectione, [3]) quam cum Italica ecclesia aut potius cum bonis omnibus, mitto ad te professionem fidei ipsius de Deo, de trinitatis personis, de utraque Christi natura. [4]) Si quis etiam de spiritu sancto quaesivisset, facile est coniicere quam portentosa respondisset. Ex his autem cognosces quomodo Deum unum et trinum, Christum deum et hominem confiteatur: cognosces etiam quam sincere et animo detestetur *Serveti* errores. Hominem, quod sciam, nunquam vidi. Sed quum haec ipse sua manu scripserit quorum exemplar ad te mitto, non possum non ipsius errores nefandos perinde ac diabolum ipsum exsecrari. Si serio resipuisse intellexero, gaudebo certe ex animo, sin minus, cupio omnibus ecclesiis Dei notam esse hanc pestem et omnes ipsius errorum fautores, ne bonis viris imponat, idque ut fiat sedulo operam dabo. Scribam tamen ante ad *Vergerium*, et haec eadem ad ipsum mittam ut quid de illo sperandum sit intelligam. Patientia quidem opus est, fateor. Sed haec mihi quidem videntur magis clara et testata iampridem esse quam ut possit quispiam vel semel monitus in istis per simplicitatem hallucinari. Vides etiam ex iis quae ex Polonia nunciantur Satanam iam coegisse copias suas ad istarum haereseon instaurationem. Hinc illa axiomata, quae nobiscum communicavit vir optimus Franciscus *Lismaninus*, maxima ex parte cum *Gribaldi* confessione ita consentiunt, ut paene videri possint ab eo descripta: [5])

2374. 1) *Gribaldo.*

2) *Cf. N.* 2331.

3) M. Gribaldus non incelebris ICtus quum Genevam venisset deductus ad Calvinum a quibusdam Italis quos Patavii docuerat, recusante Calvino dextram illi porrigere nisi prius de primario chr. fidei articulo i. e. de sacra Triade et de deitate Christi inter eos convenisset, nullum postea locum ullis admonitionibus vel argumentis reliquit. Itaque quod ei iam tum praedixit Calvinus, grave nimirum Dei iudicium pertinaci ipsius impietati immineres, hoc re ipsa postea expertus est. (*Beza, Vita C. ed. Nickel p.* 25.) *Haec conversatio ad m. Maium aut Iunium* 1555 *referenda erit quum Gribaldus Patavium reliquisset et antequam Tubingam concederet.* (*Cf. N.* 2220. *N.* 7.)

4) *Tales confessiones Gribaldus subinde plures edidisse videtur. Cf. Trechsel* II. 285. 289. *Ex hoc Bezae loco facile efficies hanc neque integram neque orthodoxam fuisse.*

5) *Dolendum haec documenta non exstare. Solent his-*

adeo sui similis est Satan quoties libuit. Magna igitur non modo prudentia sed etiam diligentia opus est, ut nascentibus malis occurratur. Quid autem de his rebus sentiamus cognosces ex communi nostro scripto quod ad ipsum *Lismaninum* mittimus ad fratres nostros Polonos perferendum, neque dubitamus quin hanc nostrae fidei professionem vobiscum et cum fidelibus omnibus communem habeamus.

De Genevensibus copiose ad te, ut opinor, D. *Calvinus* noster.[6]) Nos hic quoque strenue exercemur, ac praesertim D. *Viretus*,[7]) quem isti exsules non verentur palam ut nebulonem ac proditorem accusare. Addunt etiam fuisse instinctu *Calvini* Genevam profectum ut per blanditias a captivis extorqueret ut exsules criminarentur. Ita coactus est *Viretus* diem illis dicere. Causa publice agitur neque maior habetur *Vireti* ratio quam si homo esset ignotus et eiusmodi ut suspiciones tantorum criminum in eum possint cadere. Sed Dominus, ut spero, istis offendiculis tandem medebitur. Nos quidem oportet per bonam ac malam famam ad metam contendere.

In Gallia pergunt ecclesiae, zelo plane mirabili. Parisienses[8]) novum ministrum petunt, quem brevi, ut spero, missuri sumus.[9]) Sed vide ut hoc non spargatur. Nam inter fideles multi per simplicitatem quotidie peccant ista inconsiderate effutiendo, multi quoque sunt insignes hypocritae, quales quotidie plurimos hic experimur. De nobili illo puero quidquid intellexeris ad nos perscribes. *Beraldus*[10]) autem noster, quamvis adhuc tibi incognitus, sed plane dignus quem ames, magnopere te salutat cum tota nostra ecclesia. Bene vale, mi optime pater. Dominum Iesum ex animo precor ut te incolumem conservet, tibique indies magis ac magis benedicat. Omnes collegas rogo ut accurate salutes meo nomine. Iterum vale. Lausannae Calendis Ianuarii.[11])

Th. Beza
filius tibi in Domino addictissimus.

torici initia antitrinitarismi in Polonia ad Petri Gonesii declarationem in synodo Sectimenensi Ian. 1556 *habita referre, cf. Lubien. p.* 111. *Io. Stonii epit. hist. orig. Unitar. in Polonia in Sandii bibliotheca p.* 183. (*Salig.* II. 624.) *Verum talia placita iam antea publice prolata fuisse docet hoc Lismanini testimonium, et quae iam inde ab a.* 1554 *contra Stancarum in variis synodis acta sunt.*

6) *N.* 2329.

7) *N.* 2364.

8) *Primum coetus congregati sunt in aedibus cuiusdam nobilis Cenomani cui nomen erat de la Ferrière, et ministerio fungebatur Io. le Maçon dictus La Rivière, m. Sept.* 1555. (*Hist. eccl.* I. 99.)

9) *De hoc negotio mox plura.*

10) *N.* 2331.

11) *Annum* 1556 *confidenter adscribes.*

2375.

CALVINUS MINISTRIS SAXONICIS.

Dedicatio secundae defensionis piae et orthodoxae de sacramentis fidei contra Westphalum.

(Scripta fuit Nonis Ianuarii 1556. Incipit a verbis: *Etsi mihi optime conscius sum*, et impressa est in Tomo IX. Operum pag. 45 seqq.)

2376.

GARNERIUS CALVINO FARELLO ET VIRETO.

Semel atque iterum iam scripsit et nunc tertio scribit consilium eorum sibi efflagitans de libro a se in causa sua Argentoratensi exarato, num typis mandandus sit. Tum pluribus refert quaenam eius conditio sit in aula principum Hassiae.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 96.)

Clarissimis viris D. Ioanni Calvino Guilelmo Farello et Petro Vireto patribus ac praeceptoribus suis in Christo observandis.

Clarissimis viris D. Ioanni Calvino Guilelmo Farello et Petro Vireto dominis ac praeceptoribus suis in Christo venerandis Ioannes Garnerius humilis discipulus S. D.

Iam tertio[1]) ad vos scribo, patres in Christo venerandi: tantum enim vobis defero quemadmodum decet, ut nihil vobis inconsultis attentare velim, praesertim in his quae nostram religionem concernunt. Quapropter rursus peto et obsecro ut mihi respondere dignemini, an liceat typis tradere et invulgare libellum quem edidi[2]) de meo discessu ab Argentina. Scripsi enim atque paravi libellum in quo tractatur tota illa actio quae fuit inter me et quinque nebulones,[3]) falsos testes et proditores Christi et ecclesiae. Totam actionem ipsam tracto, et modum tractatus cum suis circumstantiis. Depingo inprimis meos quinque proditores suis coloribus

2376. 1) *Praecedentes non exstant.*

2) *i. e. scripsi. Nam edita non videtur. Mentio certe eius nulla fit ap. Striederum, Grundlage zu einer hess. Gelehrtengesch. Goett.* 1781.

3) *Marbachii diar. ad* 28. *Sept.* 5. *Oct. etc.*

cum ipsorum asseclis, quum in doctrina tum in vita et conversatione: deinde quid illos ad tales turbas incitarit, quo modo fuerit Hieremias tractatus a Iudaeis etc. Haec interea omnia facio citra dentem, quantum fieri potest, et quantum res ipsa fert. Hoc perpetuo prae oculis habeo, ut vera dicam quae a nullo infitiari * possunt. Nam rem omnem uti gesta est simpliciter narro absque fuco aut mendacio aliquo. Imo et multis honoris gratia parco, qui tamen rudi ac severo pectine digni essent. Hoc autem facio non tam ut causam meam privatam quam Christi Domini mei et ecclesiae atque mei ministerii tuear ac vindicem. Etenim si de illis ulcisci cuperem, possem egregie, et corpus una cum fortunis perdere. At absit ut ei gloriam auferam qui dicit: Mihi vindictam * et ego caett. Quod si putarem hoc meum institutum non promovere, sed potius impedire gloriam Christi mei aut salutem et aedificationem ecclesiae, ego potius igni quam typographo scriptum hoc meum traderem. Minuatur *Garnerius* et crescat Christus! Pereat ut vivat ille, quoniam sic, dum perit pro Christo, servatur cum Christo. Hoc inprimis spectare debemus, gloriam Christi et salutem proximi: quod et me spectasse puto in hoc meo libello. At quoniam quisque caecus est in propria causa, vestrum iudicium atque consilium peto, in quo polliceor me mansurum omnino. Agnosco enim vos quales hactenus agnovi, nempe patres ac praeceptores meos carissimos, quibus me ipsum debeo in Christo Iesu. Itaque ut mihi respondere dignemini precor, et per servatorem nostrum Christum Iesum obsecro. Ego ero Francfordiae in proximis nundinis favente Deo: ibi spectabo * rsponsum.

Caeterum ego aliquando per occasionem loquutus sum cum illustrissimo principe meo de consilio nationali habendo pro concordia ecclesiarum, [4]) praesertim in causa sacramentali, uti olim factum est Marburgi, et ut vocarentur doctissimi viri ab utraqua parte. Inter caeteros nominavi D. *Calvinum* et *Bullingerum*, quos etiam in summo pretio habet, ut par est. Nam et de utroque honorificentissime loquitur. At, inquit ille, hoc fieri non potest, nec expedit, hoc praesertim tempore turbulentissimo. Dicit praeterea indicta esse rursus comitia Tridenti ad Kal. Aprilis, adfuturosque doctissimos etiam ex Helvetiis aliquot. [5]) Ego nolui ulterius urgere. Exspectabo finem istorum comitiorum, tunc rursum per occasionem loquar, atque si quid subolfecero quod faciat ad pacem et concordiam ecclesiarum, vobis quamprimum significabo. Nihil enim magis quam ecclesiarum concordiam, modo sit iuxta verbum Domini, cupio.

Legati Imperatoris pridie huc venerunt nomine regis Anglorum, pacem et amicitiam petentes et annunciantes omnibus principibus Germaniae, adeoque toti imperio, quantum intelligo. Multa feruntur de Imperatore et de Gallo, [6]) at ego relinquo illa omnia filiis huius saeculi. Interea do operam diligenter, ut dominos meos illustrissimos principes iuniores duos, [7]) una cum illo alio qui ex Saxonia venit instituam, ut quum meum institutum absolvero me rursus in coetum fidelium apud vos recipiam. Neque enim huc veni ut ad vitam manerem, sed tantum ad tempus, donec perficiam id ad quod sum vocatus. Hoc quum absolvero liber sum, absolvam autem duobus ad nimium annis. Etenim satis feliciter succedunt nostra studia beneficio Domini: habeo etiam dociles et benevolos discipulos, habeo praeterea principem clementissimum atque beneficum, adeo ut nihil mihi desit. Omnia enim mihi ex arce subministrantur pro familia, praeterea stipendium honestum duplo maius quam Argentinae. Lautissime sine molestia et labore vivimus. Caro saginatur: at spiritus non tam bene nec tam sincere inservit Christo quam in laboribus aerumnis sudoribus et angustiis. Hoc testatur conscientia ipsa, velit nolit caro. [8]) Mea uxor perpetuo infirmatur, ut hactenus. Idcirco vestros et ecclesiae preces postulat quo Dominus dignetur illam consolari spiritu sancto suo. Valete perpetuo felices, optimi patres, et me uti soletis amate. Dominus Deus Opt. Max. suae ecclesiae diu vos servet incolumes, spirituque sancto suo usque in vitam aeternam dirigat. Amen. Cassellis 8. Ianuarii 1556.

Parcite, quaeso, stylo et calamo. Salutatos denique cupio omnes fratres, verbi Dei ministros. Quibus omnibus, sed vobis inprimis, faustum felicemque annum precor.

4) *Philippus e captivitate liberatus pristinos suos de conciliandis protestantium partibus conatus denuo assumpsisse videtur.*

5) *Falsus hic rumor. Paulus IV. minime de redintegrando concilio cogitabat, et si vel cogitasset protestantes nunquam advocasset.*

6) *Ineunte hoc anno legati Imperatoris et regis Galliae de induciis ad quinque annos faciendis agebant. Quid vero sibi velit de rege Anglorum non assequimur.*

7) *Erant Philippus II. natus* 1541 *et Georgius natus* 1547. *Frater eorum natu maior Guilielmus a patre tempore belli Smalcaldici Argentoratum missus ibi a Garnerio aliquem gallici sermonis gustum acceperat.* (*Hoffmeister, Phil. des Grossm. Nachfolger. Cassel* 1856, *p.* 5.)

8) *Hic duae lineae ab ipso autore sic atramento inducto deletae sunt ut nihil inde erui queat.*

2377.

VERMILIUS CALVINO.

Scriptum quod contra Vintoniensem episcopum meditatur lente procedit, tam ob ipsum argumentum diligentius tractandum, quam ob sui corporis imbecillitatem et otii exiguitatem. Addit Argentoratensia, quae non ab omni parte tuta et felicia praesagiunt.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 1.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ministro verbi Dei fidelissimo ac mihi plurimum observando. Genevae.

S. D. Literas quas ad me 25 Decembris dedisti [1]) Ianuarii 12 accepi: de quibus uti par est gratias ago, culpam vero de literis ad me serius missis nullam agnosco in te haerere. Idcirco ut eam depreceris, praesertim hoc tempore, non opus erat. Scio enim te quum in scribendo tum in ecclesia gubernanda plus occupatum esse quam sis ferendo. Sed ipse Deus, qui pater est, quique corporis Christi, nempe illius ecclesiae, perpetuo curam gerit, abs te non aberit. Quare quod agis agas, neque de mea offensione unquam sis anxius. Ille spiritus qui nos in Christo adiunxit, ut quae ad civilem et externam rationem pertinent omnino inter nos boni consulamus iubet. Deinde officia ista transmittendi literas meo iudicio leviora sunt quam ut ipse iis onerari debeas. Quod vero suades de scriptis iis quae prae manibus habeo, [2]) video quo spectet, neque diffiteor consilii tui iustam esse rationem, modo illam sequi possim. Id vero quominus fiat duae sunt causae. Prima, tanto plausu a papistis, praesertim Anglis, librum *Vinthoniensis* [3]) exceptum esse, ut putent neminem esse qui ei queat respondere: remque prope sophistice prolixe accuratissime agit et perpetuo sententias patrum obtrudit. Quamobrem, si perfunctorie ac paucis contradicatur, clamabitur nihil actum. Unde mihi proposui ut singulis eius libri partibus respondeam, patres etiam opponendo patribus quantum ipsa res patietur, ne adversarii obganniant huic et illi loco non esse responsum. Novi Anglorum ingenia et existimo satius esse ut semel res agatur, licet fortasse serius, quam ut praecipitata contemnatur, et potius velitatio quam iustum praelium habeatur. Accedit praeterea me non habere corpus usque adeo factum ad graves labores, et quotidianas occupationes non esse leves. Doceo enim quum theologica tum Aristotelis Ethica, quae onera ingenioso et apprime instituto fortassis parvi momenti essent, at mihi, ut verum fatear, multum negotii facessunt.

Hae sunt rationes, vir clarissime, cur mea lucubratio non tam cito sit in lucem edenda. Liber adversarii, ut dixi, prolixus est et versutus. Meae praeterea vires non sunt robustae, atque aliis subinde occupationibus intercipiuntur. Sed hoc me consolatur, ecclesiam nullam inde iacturam facere. Nam quae tu egregie scribis, quae antea sunt a doctissimis viris elaborata, quaeque a nonnullis Anglis materna lingua edita sunt, abunde huic optimae causae sufficere arbitror, quamvis furori Saxonum nihil unquam satis fore sperem.

Bonus senex *Theobaldus Nigri* [4]) a suo diacono ut Zwinglianus insimulatur, ut ille nolit amplius cum suo pastore communicare: certe ab illo iuvene canis *Theobaldi* mala rependitur gratia. Me voluisset habere iudicem: sed recusor. Offerunt illi *Marpachium* et *Rabbum.* [5]) Senex *Marpachium* non recusat, sed *Rabbum* nullo pacto vult admittere. Ego senilem animum consolari et confirmare non intermitto. Quid vero sequuturum sit nequeo divinare: nam a reditu meo ex Anglia non vocor ad ecclesiastica consilia.

De missa et sacrificiis eiiciendis hoc anno bona spes erat, et adhuc non desperatur. Sed *Beatus* [6]) interturbavit omnia. Concionem quippe solennem habuit, quum consul novus inauguraretur, et orationem suam in eo totam consumpsit, ut probaret magistratui hoc non licere facere, quod canonici summi templi eorum ditioni minime subiiciantur, addebatque hoc agere nil aliud esse quam bellum minime necessarium sibi accersere. Concio populum propemodum universum offendit, symmystas omnes laesit, quum saxum illud toto hoc anno volvunt: sed quid senatus iudicaturus sit nescimus. Deus rem bene vertat. Tu vero, clarissime vir, bene valeto, et me ut facis ama. Cupio istic ami-

---

2377. 1) *deperditas.*

2) *Cf. N.* 2357.

3) *Contra Cranmerum scripsit:* M. Ant. Constantii theologi Lovaniensis Confutatio cavillationum quibus ss. eucharistiae sacramentum ab impiis Capernaitis impeti solet. Par. (*Lovan.*) 1552. 4. *Ed. altera* 1554. (*Cf. Strype, Cranm.* II. 25, *p.* 373, *Schmidt, Verm.* 177.) *Martyris confutatio demum a.* 1559 *s. a. et l. fol. prodiit:* Defensio doctrinae veteris et apostolicae de ss. eucharistiae sacramento. (*Strype, p.* 375, *Schmidt, p.* 222.)

4) *Schwartz, pastor Palaeopetrinus iam eo tempore quo missa abolita fuit. Diaconus eius fuit Georgius Mornhinweg, postea diaconus ad S. Thomae, a.* 1557 *simul cum suo pastore Beato Gerungio a magistratu dimissus, ob indolem inquietam et violentam.*

5) *pastor ad aedes novas quae dicebantur, vir ambitiosus et a moribus rusticis cognitus, Memmingae natus* 1524, *in Zellii familia educatus.*

6) *Gerungius solus pro observando Interim pugnabat quum caeteri ministri omnes abrogari illud iuberent.* (*Roehrich* III. 93. *Marbach, diar. passim.*)

cos meo nomine salutari, potissimum D. *Marchionem*[7]) cum aliis meis Italis. Deus optimus maximus ecclesiae suae te diutissime servet. 13. Ianuarii 1556. *Zanchus* te salvere iubet.

Tuus in Domino
Petrus Martyr.

2378.

FARELLUS BEZAE ET VALERIO.

Agit de compluribus qui muneri Parisiis, obeundo idonei ipsi videntur quod Maturinus detrectat. Accuratiora non intelliguntur, quae est latinitatis consueta perspicuitas.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 437.)

Servis Christi insignibus Iacobo Valerio et Theodoro Bezae pietatis verae assertoribus.

Lausannae.

Absente praefecto non potuimus aliquem ex fratribus mittere.[1]) Causa Guilhelmi *Hobrachii* omitti non potest sine maximo offendiculo, nec statim finietur.[2]) *Maturinus*[3]) est notior quam * possit in provincia quae offertur agere, nisi perpetuo lateat, nec videt nunc, laborante gravissime puero, et non habeat ubi locet familiam, sitque in aere alieno, quid possit praestare. Tamen aliis quam sibi credere mavult, tantum indicat quae eum morentur. Sermo habitus est de Nicolao *Piednoelo*,[4]) quem putem habere sororem uxoris *Corderii*, quod is valde sit appositus qui designetur ad id ad quod *Hobrachius*. Praeterea Georgius *Lamentus*, unus ex quatuor quos *Tossanus* profligari fecit, non parum conduceret, quum conditionem non habent. Dispicite inter vos. Haec vix raptim licuit. Valete bene et ignoscite. Neocomi 19. Ianuarii 1556.

Cupimus rescire de *Vireto* et eius puero.[5]) Servet utrumque Dominus. Non licuit Genevam scribere, quum vix hoc tantillum potuerim. Vos supplete.

Vester Farellus.

7) *Carracciolum.*

2378. 1) *Cf. Beza N.* 2374, *not.* 8. *Vides hunc classem Neocomensem adiisse quae aliquem Lutetiam mittendum designaret.*

2) *Ex iis quae de Hubraquio legisti N.* 2282, *haec non plane elucidari possunt. Caeterum hic postea Francofurtum missus est et contentiosus fuisse videtur. Cf. tamen Kirchh. Farel* II. 149, *ubi narratur quid ei Landeronii acciderit quum in vicinia evangelio praelecto contra missam verba fecerit. Haec spectare videntur ad ea quae Farellus habet l. l.*

3) *Cave de Corderio cogites. Vide potius N.* 1964. *De hoc ut videtur Neocomensi* (*Baum.* I. 237) *etiam infra dicetur, verum post longiores tergiversationes munus Parisiense detrectavit.*

4) *Hic et Lamentus* (*si nomina recte legimus*) *aliunde non cogniti.*

5) *Puer non vixit.*

2379.

CALVINUS BULLINGERO.

Duo capita tractat, alterum de renovando foedere cum Bernensibus, alterum suum ipsius negotium, nempe secundam defensionem contra Westphalum, quae iam ipsi nimis vehemens videtur.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom 24, fol. 25. — Reperies etiam in Cod. Genev. 111b, fol. 2 v. et ter in Epp. Bern. Tom. VI. p. 149. 519 et 559. Simler. Vol. 86. Anglice versa legitur in ed. Philad. III. 247.)

Clarissimo viro et fideli Christi ministro D. Henricho Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori, symmystae plurimum mihi observando.

S. Scripsi pridem nostros in foedere renovando[1]) veteri forma contentos fuisse, verum quia aliter Bernatibus placebat, sibi fuisse moderatos. Huc tandem ventum est ut in praecipuo etiam capite, quod Bernates maxime urgebant, nostri cedere maluerint quam pertinaciae culpam sustinere. Hoc concesso speravimus illos mitigatum iri, ut de reliquis non ita molesti forent. Quando haec opinio fefellit, nostri fidem clarissimi senatus vestri implorant, ut amica deprecatione ad aequitatem flectantur Bernates. Atque hinc vides quam vere tibi asseruerim, non esse timendum, ne quod turbulentum consilium nostri captarent, ut suspicio Bernae iniecta fuit, vel

2379. 1) *Haec epistola missa est per Rosetum quem Genevenses Turicum Basileam et Schaffusium miserunt mediationem civitatum petiturum.* (*Reg. du Conseil* 22. *Ian. cf. ibid.* 28. *Nov.* 30. *Dec. et* 17. *Ian. et ipsum Calvinum N.* 2329.) *Senatus Nostrum delegit qui publico scripto totum negotium exponeret. Hic Bernae male audiebat quasi ipse potissimum renovationem impediret. Verum hic potius se ad conciliationem paratiorem ostendit. Genevenses expulsionem fugitivorum postulabant, Bernenses restaurationem, et praeterea ne Genevenses cum aliis foedus inirent. Quae Hundesh. p.* 299 *et Ruchat* VI. 183 *habent rem non satis expediunt.*

saltem iactatus remor. Sed nuncium, qui vivae epistolae partibus optime fungatur, longiore scripto onerare supervacuum foret. Abs te privatim nihil postulo, nisi ut tuos amicos, qui satis, ut confido, iam voluntarii sunt, tua autoritate confirmes.

De *Westphali* refutatione [2]) cuius ad te exemplar mitto, quid sentias ipse, et quale sit aliorum istic iudicium, avide scire expeto. Paulo vehementiorem me fuisse video, quam in animo fuerat. Sed nescio quomodo inter dictandum mihi elapsus sum. [3]) Si non placuerit liber, testari saltem licebit, non fuisse a me scriptum. Sed absque ioco, ita fore tibi et reliquis fratribus gratum spero, ut excusatio quaerenda non sit. Libere tamen quidquid visum fuerit proferes. Forte etiam aliquid abs te editum erit, [4]) quod possit censurae esse loco: quia inde quaenam tibi probata fuerit ratio, certo patebit. Unum video, me sic provocasse eorum odia, qui hactenus fuerunt vobis infensi, ut bello quod mecum gerent, partae sint vobis induciae. Dominus ergo mihi ad sustinendam hanc molem animos et vires addat. Vale, ornatissime vir, et frater mihi in Domino plurimum colende. Salutant te collegae mei. Vicissim tuos meo nomine saluta. Dominus te conservet, regat et benedicat perpetuo cum uxore et familia. Genevae 23. Ianuarii 1556.

2380.

CALVINUS CARACCIOLO.

Dedicatio secundae editionis commentarii in priorem Epistolam ad Corinthios.

(Ex editione prima quae simul omnes epistolas N. T. complectitur, sub oliva Roberti Stephani impressa a. 1556. Mus. helv. II. 541. Ed. gall. Berol. p. 231.)

Generoso viro, virtutumque praestantia magis quam genere illustri, D. Galliazo Caracciolo Marchionis Vici unico filio et legitimo haeredi, S.

Utinam quo primum tempore in lucem prodiit hic commentarius, [1]) vel mihi ignotus, vel saltem probe notus fuisset ille cuius nomen huic paginae hactenus inscriptum nunc delere cogor. [2]) Equidem non vereor ne mihi inconstantiam exprobret, vel sibi queratur eripi quod datum fuerat: quando hoc ipsum de industria venatus, ut non modo a me privatim alienissimus foret, sed nihil haberet cum ecclesia nostra commune, nullam sibi expostulandi causam residuam fecit. Sed morem meum invitus muto, [3]) ut cuiusquam nomen e scriptis meis eradam: et doleo hominem e specula in qua locatus a me fuerat, discessisse, ne ex animi mei voto aliis praeluceat. Caeterum quia in manu mea non est eius mali remedium, sepultus per me lateat iste, cuius honori nunc quoque tacendo parcere studeo. Apud te vero, clarissime vir, excusatio quaerenda esset cur nunc te in illius locum [4]) substituam, nisi tua incredibili humanitate et amore erga me tuo omnibus amicis nostris perspecto fretus libere mihi hoc permitterem. Atque ut ad vota iterum revertar: utinam mihi ante decennium fuisses cognitus. Nulla enim novandi ratio nunc fuisset. [5]) Quod ad commune ecclesiae exemplum spectat, bene habet quod non modo iactura carebit illius quae nobis subducta est personae oblivio, sed longe uberior modisque omnibus potior in te compensatio succedet. Etsi enim neque tu plausum theatri appetis, uno teste Deo contentus, neque mihi propositum est laudes tuas narrare: quod tamen cognitu utile est ac fructuosum, non prorsus celandi sunt lectores: hominem primaria familia natum, [6]) honore et opibus florentem, nobilissima et castissima uxore, [7]) numerosa sobole, [8]) domestica quiete et concordia, totoque vitae statu beatum, ultro ut in Christi castra migraret patria cessisse: ditionem fertilem et amoenam, lautum patrimonium, commodam non minus quam voluptuosam habitationem neglexisse: exuisse splendorem domesticum, patre, coniuge, liberis, cognatis, affi-

---

2) *secunda. Opp.* IX. 41, *Prolegg. p. xvii. Praefatio scripta est Nonis Ian.* (*Moenckeberg p.* 52.)

3) *Quod vel in ipsa dedicatione ad Saxones fatetur. Nec sine causa. Vide maxime quae scribit p.* 105.

4) *Cf. N.* 2340 *et* 2353. *Bullingeri* Apologetica expositio qua ostenditur Tigurinae ecclesiae ministros nullum sequi dogma haereticum in coena Domini libellis quorundam acerbis opposita *prodiit m. Februario, placide et composito animo scripta. Bullingerus Melanchthoni a. d.* III. *Id. Mart.* 1556*:* Exemplum meae apologiae ad te mitto. Pugno quidem, sed ita interim ut offeram pacem, quam mallemus omnes quam bellum. . . . . Si aliter fieri non potest quin scribere velint, omittant convicia et criminationes et agant rationibus piis ac modestis et perspicuis scripturis. Satius multo esset si mutuum toleraremus, utcunque per omnia convenire non daretur. (*Phil. Mel. Epp. quae in Corp. Ref. desiderantur ed. Bindseil p.* 383. *Hess, Bull.* II. 228. *Pestalozzi p.* 381.)

2380. 1) *m. Ian.* 1546 (*N.* 753).

2) *Falesii. Qua de causa* coactus sit, *iam ipse declarat.*

3) *Memento regis Daniae et ducum Saxoniae.*

4) *ergo illi secundus.*

5) *scil. iam tunc dedicatione facta.*

6) *Pater Marchio Vici inter primarios regni Neapolitani nobiles eminebat et bellis italicis gloriam nominis auxerat. Mater e gente Caraffa, neptis papae.*

7) *filia ducis de Nocera. Manserat in Italia, catholicis sacris addicta, et a.* 1558 *divortium maritus fecit.* (*Heyer.*)

8) *Quum a.* 1551 *Italia excessit sex ei liberi nati erant, a quarto ad decimum quartum aetatis annum.* (*Vita G. C. in Museo helv.* II. 537.)

nibus se privasse: postquam antem tot mundi illecebris vale dixit, nostra tenuitate [9]) contentum, frugalem ac popularem vivendi rationem non secus colere atque unumquemlibet ex nobis. Quanquam haec aliis ita recito ut privatum quoque usum minime praeteream. Nam si tuas virtutes hic tanquam in speculo lectorum oculis ideo subiicio, ut se ad earum imitationem forment: me, cui propius sunt perspectae, quotidiano et liquido earum intuitu non magis ad vivum affici turpe esset. Caeterum quia et ego quantum ad fidei meae pietatisque confirmationem valeat tuum exemplum experior, et non vulgarem inde se profectum sensisse mecum fatentur quotquot hic agunt filii Dei: operae pretium fore duxi, si mea praedicatione similis longius manaret utilitas. Alioqui insulsum foret de laudibus hominis, cuius natura et ingenio nihil magis ab ostentatione remotum fingi potest, etiam apud exteros et procul dissitos verba facere. Itaque si complures, quibus propter longinquitatem hactenus fuisti ignotus, hoc admirabili documento proposito, relictis nidis quibus nimium sunt affixi, ad imitationem se accingent, uberem meae scriptionis fructum adeptus ero. Id quidem inter Christianos plus quam commune usitatumque esse debuerat, non praedia modo et arces et principatus aequo animo relinquere, ubi aliter Christum sequi non licet: sed etiam alacriter libenterque prae ipso despicere quidquid sub coelis pretiosissimum ducitur. Sed, quae nostra omnium tarditas est vel potius socordia, dum frigide multi evangelii doctrinae annuunt, vix centesimus quisque eius causa, si praediolum nescio quod possideat, ab ipso avelli se sustinet: vix quisquam nisi aegerrime, ut minimis commodis renunciet, adducitur: tantum abest ut se vita abdicare parati sint, ut decebat. Inprimis vero cunctos in sui abnegatione (quod est virtutum omnium caput) optarim tui esse similes. Mihi enim optimus testis es, et ego vicissim tibi, quam parum nos oblectat eorum consuetudo, qui tandem ostendunt, relicta patria, eosdem quos illic gerebant affectus huc se attulisse. Sed quia lectores plura secum reputare praestat quam verbis exprimam, iam me ad preces converto, ut Deus qui te mirifica spiritus sui virtute huc usque animavit, invicta constantia ad extremum usque instruat. Nam et quantis certaminibus te exercuerit Deus me non latet, ex quibus pro tua singulari prudentia colligis, duram adhuc et laboriosam militiam tibi restare. Quam vero necesse sit manum a coelo nobis porrigi, ipse multis experimentis edoctus, perseverantiae donum ultro mecum inde exposces. Ego vero Christum regem nostrum, cui a patre data est summa potestas, et penes quem depositi sunt omnes spiritualium bonorum thesauri, precabor ut incolumem te diu nobis conservet, in propagationem regni sui, atque in te de Satana eiusque factione triumphare pergat. IX. Calend. Febr. M. D. LVI. decem post annis quam hic commentarius primum in lucem prodiit.

9) *De re familiari eius cf. Heyerum p.* 11.

2381.

BEZA CALVINO.

Hic quoque de ministro Parisiensibus mittendo agitur. Obiter tantum addit quaedam Lausannensia.

(Ex autographo Cod. Genev. 117, fol. 91. — Exstat etiam in Cod. 119, fol. 9, in Epp. Bern. VI. p. 1071, et ap. Simlerum Tom. 86. Edidit Baum. I. 451.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino patri mihi inprimis observando Genevensis ecclesiae fidelissimo pastori.

Genevae.

Quum nuper ad te scriberem non habebam optimi *Farelli* nostri literas [1]) ad manum quas sperabam me ad te missurum. Sed *Christophorus* noster [2]) coram, ut opinor, tibi exposuit quid *Maturinus* praetexat: quod rursus ex ipsius *Farelli* literis cognosces, quas nunc tandem ad te mitto. Quod illic se notum esse dicit nihil est, nisi fortassis ita est notus ut etiam sit multum suspectus adversariis, quod non puto. Caeterea sunt eiusmodi ut facile possimus mederi. [3]) Puerulo desperatae valetudinis quid praestat ipsius praesentia? Aes autem alienum dissolvetur facile. Familiae quoque communi ecclesiarum sumptu aequum est ut prospiciatur, saltem tantisper dum aberit. Vide ergo num tibi placeat hominem urgere. Nam quum ex multo iam tempore sollicite cogitaverimus qua ratione possemus tam iustae fratrum illorum petitioni obsequi, noster tamen animus, nescio quo modo, in illud unum [4]) semper inclinavit. Si nihil aliud adhuc coepisti aut incipiendum putas, constitui cum nostro *Prevotio* [5]) proxima hebdomada Neocomum excur-

2381. 1) *N.* 2378.

2) *utrum per literas an praesens Lausannae de ea re cum Beza contulerit non liquet.*

3) *Qui alios obiurgat sibi diffidentes vel de periculis anxios, quidni ipse exemplo praelucet? Vide infra ubi dicit:* Utinam is essem!

4) *In quid? in ministrum mittendum?*

5) *Claudius Prevost, prof. litt. Lausannensis* (*N.* 1969) *Gallus fuit ex oppido Issoudun oriundus, quo et rediit verbi*

rerę[6]) et paulo copiosius cum illo agere de hoc negotio. Nam adhuc mihi visus est vir pius et qui Christum ex animo quaerat, et spero, si cognoverit quanti intersit ecclesiae totius ut aedificium, quod illic tam feliciter tamque insperato coeptum est, promoveatur, illum ultro suscepturum hoc onus. Nam alioquin non putarem urgendum. Sed vereor ut non satis intellexerit quid rei sit et quantae messis exspectatio sit nobis proposita. Utinam is essem qui possem hoc praestare. Liberarem vos ista quaerendi molestia. Me certe vehementer pudet nostrae inopiae in tanta hominum copia. Quidquid statueris mature rescribe, ut vel profectionem suscipiamus, vel si alium idoneum repereris quiescamus.

De rebus nostris: Filiolus nostri *Vireti* periculosissime aegrotavit hesterna nocte, nec adhuc possumus certi quidquam sperare.[7]) Brevi praeterierint dies provocationi persequendae constitutae.[8]) Sive adsit ad diem *Vendelius*, sive minus, spero nos constanter facturos officium.

Haec habui quae scriberem et alia quaedam pauca. Sed malo quae restant ex *Sanlaurentio* nostro intelligas brevi istuc profecturo. Bene vale, mi optime pater. Dominus Iesus misereatur suorum et te nobis conservet. Lausannae 26. Ianuarii a. incar. 1556.

T. B.
filius tibi in Domino addictissimus.

2382.

BULLINGERUS CALVINO.

Vix e morbo revalescens multa nequit. Gratias agit de libro sibi misso. Ochinum contra Westphalum scribere nunciat. Cum Lutheranis pax nulla speranda.

(Autographon non exstat. Reperimus solum exemplar Turretini in Cod. Genev. 111ª, fol. 230 ex quo descriptum est Bernense Epp. VI. 617, unde sumpsit Simlerus Vol. 86.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori domino suo venerando et fratri colendissimo.

S. D. Praesens tabellio vidit mihi non fuisse otium vel scribendi prolixius vel legendi librum a te, domine colendissime et frater carissime, scriptum.[1]) Summa fide et diligentia commissum mihi per te negotium expedivi.[2]) Gratias ago tibi maximas pro libro mihi misso. Spero causam coenae te ita tractasse ut nihil sit quod aliter tractatum fuisse optare possimus. Legam tamen diligenter primo quoque tempore. Aegrotavi iam pluribus diebus, decubui aliquot, necdum plane revalui. Impedit hoc vehementer instituta mea.[3]) Sed quis repugnet Domino? Illius voluntas rerumque gubernatio semper est optima. Mittam ad te vicissim quaecunque vulgavero.

Scripsit et *Ochinus* contra *Westphalum*.[4]) Non omnia legi, sed quaedam duntaxat: nunc vero excuditur. Existimas suscepta in te belli mole nobis peperisse inducias. Ego vero rabiem istorum hominum sic novi ut neque inducias neque pacem nobis pollicear. Consolatur hoc maxime nos omnes quod bellamus bella Domini. Vehementer me angit frustra cessisse aut cecidisse conatus omnes renovandi foederis.[5]) Nam longe deteriora metuo. Dominum oro ut sublatis simultatibus et odiis urbes illas vicinas sincere uniat. Vale. Salutabis omnes symmystas, fratres colendissimos. Salutant te symmystae mei omnes. Dominus benedicat tibi tuisque omnibus, domine colendissime et frater carissime. Tiguri 27. Ianuarii anno 1556.

Bullingerus tuus.

2383.

BULLINGER AN HAAB.[1])

Er empfiehlt ihm die Angelegenheit der Genfer in Betreff des Burgrechts mit Bern.

---

divini minister. Sed post caedem Bartholomaicam quam dicunt Genevam fuga se recepit. Scripsit tractatum de magistratibus populi romani. Laus. 1579. 8. (*Haag.* VIII. 320.)

6) *quod et fecit.*
7) *N.* 2378, *not.* 5.
8) *N.* 2364.

2382. 1) *Secundam Defensionem.*
2) *foederis renovandi. N.* 2379.
3) *Sui ipsius scriptum apologeticum de coena absolvendum.*
4) *N.* 2353. *Hess.* II. 229.
5) *De Roseti legatione iam supra diximus. Res in magno erat discrimine, quum* 8. *Febr. terminus esset prioris foederis. Eodem mense mediatores civitatum Bernam profecti de conciliatione satagebant. Nihil vero effecerunt nisi ut denuo negotiationes instituerentur, quae deinde per totum biennium protractae fuerunt.* (*Ruchat* VI. 183.)

2383. 1) *Ein Name findet sich nicht auf dem Blatte, das offenbar ein schnell entworfenes pro memoria an einen der zwei Zürcher Bürgermeister ist, mit kurzer Angabe dessen was die zwei Genfer Abgeordneten vor Rath zu bringen wünschen.*

(Zürcher Archiv Gestell VI. Bd. 112, ehemals Epp. Tom. VI. p. 2, fol. 1932. — Simler Bd. 90)

Die von Bernn schlahend denen von Genff das Burgrächt ab.

Lieber herr vnd geuatter, Es schickend die von Genff zwey jr radtsbotten für üch, min herrn vumm radt. Dann wiewol sy in vilen dingen gewichen sind in ernüwerung der püntnusz mitt Bern, wöllend doch die Berner sy überlangen, vnd nitt thun wie die allten Eydgnossen welche pündtnüssen gemacht, alein das ietliche Statt, ietlichs dorff etc. by siner fryheit vnd in friden blyben möchtind.

Darinn aber sind sy stössig. wenn sy in miszhäll mitt einandren kummend, habend sy ein rächt bestimpt zu zugesatzten vnd vff ein Obmann. den wil Bern von Basel oder Schwytz nemmen, Genff von Basel alein, wie von alter har, oder musz es von zweyen Orten syn, von Zürich, als die irer religion. das will Bern nitt.

2. Genff hat ein fryheit, wer in ir Statt schuldig ist den mügend sy ynlegen, vnd ist ir fryheit. Bernn wil nitt das man jre vnderthanen vmm schuld ynlege. da wil Genff von ir fryheit nitt.

3. Anno 1540 sind vil spenn xin zwüschen Bern vnd Genff, Basel hat ein vertrag gemacht bisz vnd so lang das Burgrächt wäret. Ietz wil Bern des vertrags nitt mee. Genff vermeint: diewyl sy das burgrächt erstreckind, sölle der vertrag och erstreckt sin. was sy ein Pündtnusz oder burgrächt wöllind machen, vnd ein sölich haderspyl wider anheben? wöllind sy burger vnd fründ sin, söllind sy söliche spenn nit wider ernüwern, sunder vertragen sin laszen wie sy sind. das wil Bern nitt.

4. Bern begärt: das Genff kein püntnus mitt nieman überal mee mache vnd alein an sy gebunden syend. Genff vermeint: das sye inn schwer, insonders so Bern anno 1539 innen zu Genff brieff vnd zusagung gäben innen ze verhälffen das sy mögind in der Eydgnoschafft früntschafft, wie Rotwyl vnd Mülhusen kummen. Des wil Bern nitt hören gedänken.

Vnd habend ouch inen abgeschlagen das burgrächt mitt inen ze nüwern, doch wöllind sy irren, deren von Genff, gute fründ vnd nachpurn sin. Genff hat innen geantwort: sy wöllind och ir gut nachpurn sin: hoffend, ob sy glychwol lang von inen vffzogen, vnd das Burgrecht in 14 tagen vszgange, sy also menschlichs Schirms emblöszt, werde sy doch Gott schirmen, der sy biszher geschirmpt etc. Sy habend sunst vor einem iar den handel mitt erstreckung des Burgrächts mitt Bern anzogen, aber Bern hat sy immer vffzogen, bisz jetz in dem end, vnd da sy vil Pannyten [2]) habend, lassend sy die guten lüt dettschen: [3]) ob filicht sy mitt übergäbung ir fryheit dem Bären vnderwürfflich wurdint etc. da so bittend die eerenlüt üch, min herrn, innen zu radten: ob doch nitt ze finden wäre: diewyl doch Genff gmeiner Eydgnoschafft wol gelägen, vnd so sy in eins frömbden herren hend käme, der Eydgnoschafft nachteilig were, sy aber nienen lieber dann by den Eydgnossen sin wöllend, das man ein Tag beschribe vnd sy verhörte, vnd zu Pundtsgenossen annemme vnd ir, min herren, darzu helffind, oder so üch das nitt für gut ansähe: ob ir mitt hilff Basel vnd Schaffhusen in irem kosten gen Bern schicken wöltend, vnd mitt inen handlen das sy sich dennocht der zymlikeit vermügen liessend etc. wie irs morn eigentlicher hören werdent, dann sy kummend für radt.

* *
*

vnd diese geschrifft schickend mir by disem knaben wider, oder das ich sy bald wider habe. Es were gut redtind mitt ettlichen erenlüten, dann gwüszlich an diser sach vil gelägen ist. [4])

2384.

SULZERUS MARBACHIO.

Commendat ei Lismaninum.

(Ex tomo Epp. ad Marbachios scriptarum, ed. Fecht. Francof. 1684. p. 52.)

2) *Banditen?* (*dies sind aber* bannis, *nicht* bandits).

3) *Allemannischer Provincialismus für: prügeln, beohrfeigen. (?)*

4) *Der Empfänger der schrift schreibt darunter:* Das ander mittel als gen Bern ein Bottschafft zeschicken: ob man ettwas guts zwüschend beden Stetten finnden möchte, gfiele mir ouch, dann gwüszlich by den 5 Ordten nitt zu erhallten (diewyl sy vnnserer Religion sind) das man sy in Schirm gemeiner Eydtgnossen vfnäme. — *Was das Datum betrifft so kann zuvörderst von Simlers Conjectur der sie in den Nov.* 1557 *setzt nicht die Rede sein. Aber auch Kampschulten können wir nicht beipflichten der an den Rand unserer Abschrift (zur Zeit als er unsre Collectaneen in Strassburg zu Rathe zog) die Jahrzahl* 1555 *setzte. Bullinger schreibt:* das burgrächt gange in 14 tagen vsz, *das ist jedenfalls vor dem* 8. *Febr.* 1556 *geschrieben, nicht aber nothwendig schon am* 25. *Januar, da es ja aus dem Munde der Genfer genommen ist.*

Nun wird der Adressat als Gevatter angeredet; Hans Rudolf Lavater war aber Bullingers Gegenschwäher da sein Sohn Ludwig des letztern Tochter Margaretha zur Frau hatte. Wir denken also lieber an Hans Haab.

S. Literas tuas, mi suavissime plurimumque observande *Marpachi*, M. Iacobo *Meyero* traditas nondum accepi — — — — Interea vero quum praesentium lator D. Franciscus *Lysmaninus* Corcyraeus istac iter facturus esset, non potui facere quin eum commendarem tibi, quo familiariter is tuo colloquio frui, consilio auxilioque iuvari possit. Vocatus est in Poloniam a christianae religionis professoribus ut agat antistitem, qui iam ante in Antichristi regno gradum perquam sublimem tenuit. Et quanquam quum aetate et valetudine tum iniuria temporum impediri posset, vincit tamen pro ardente zelo omnia obstantia, et cuivis discrimini se mavult committere quam vocationi sanctae deesse. Recte ergo, mi *Marpachi*, facies si consueta caritatis viscera illi declares, ut tanto solidius confirmetur et tanto instet constantius quo magis fremunt inferorum portae. — — — — — Basileae 4. Februarii anno 1556.

Tuus totus Sultzerus.

2385.

POLLANUS CALVINO.

Multa et varia tractat privata et publica negotia, Francfordiensia et Germanica.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 232.)

Clarissimo theologo D. Io. Calvino magistro ac parenti in Christo colendissimo.

Genevae.

S. P. Literis tuis quas ad me 22. Decemb. [1]) dedisti (accepi autem 18. Ianuar.) non mediocriter sum recreatus. Etsi enim de Dei mei cui hactenus servivi auxilio et favore nullus dubito, attamen haud levo illud ipsius nec vulgare beneficium agnosco, quum mihi non solum vestrum, D. *a Lasco* et tuum, dat consensum, sed etiam addit auxilium. Alioqui sane vereor ut tandem ferendis istis turbis [2]) par fuissem. Ecclesia per Dei gratiam habet viros plerosque, fere omnes, modestissimos, et pace fruemur alta si non fuissent quatuor aut sex [3]) ad summum quibus nunquam placere potuit meum ministerium. Spero autem in brevi finem daturum Deum hisce nimium infaustis concertationibus. Accepit nostra omnia D. *Glawburgus*, [4]) cui omne iudicium commisimus quod indies exspectamus, quanquam arbitrer te inconsulto eum non pronunciaturum. Interea spero quieturam ecclesiam. Tuis literis, [5]) quas qui has tibi reddet publice praelegit, bonos omnes confirmasti et susurronibus os occlusisti. Quo etiam nomine tibi plurimum omnes debemus. Nam etsi unus quispiam vertiginosus nescio quid ausus fuit oggannire, nullum tamen aut rarum habuit reliquae ecclesiae assensum, uti frater hic tibi prolixius exponet.

De D. *Sechellio* doleo plus quam possim verbis explicare, quod ita sibi imponi passus sit ab uno atque altero invido et malevolo. Nam ex quo coepit huic odio indulgere, nihil unquam potui facere quod non ille reprehenderet. Itaque per Christum te oratum velim ut, si forte istuc veniat aut ad eum scribas, [6]) meo nomine roges pacem et reconciliationem. Nihil me laesit si redeamus in gratiam simul. Iudicet Dominus Satanam qui illum turbavit. Nec dubito quin ille tandem aliquando abscindatur, quum sic hactenus ecclesiam et bonos viros odio mei conturbarunt. Sed de his plus satis. Ex isto reliqua cognosces. Utinam nunquam posthac de his rebus scribendum sit.

Abhinc quatuor aut quinque dies hac iter fecit D. *Zazius*, [7]) qui est a consiliis regis *Ferdinandi*, cum mandatis sui regis ad principes Electores. Is narravit Austriacos superiores et inferiores simul conspirasse ut hanc novam religionem et fidem (ita enim loquitur homo papisticus) amplectantur, neque posse regem ullo pacto obsistere. [8]) Nam qui erat ibi cancellarius, homo infensissimus religioni, coactus est illinc discedere. Iamque in aula est pro 3000 duc. accipiens in singulos annos 300. Res ista male habet regem, quanquam nullum habeat consilium, quia illi ita iam constituerunt etiam invito rege. Sic loquebatur. Addebat etiam Viennae quen-

---

In dem Brief Bullingers vom 27. Jan. ist noch keine Erwähnung der Ankunft der Genfer Gesandten Roset und Botellier. Unmittelbar darauf aber muss Calvins Brief vom 23, so wie die Gesandten selbst angekommen sein.

2385. 1) *deperditas. Exstat tantum ep. eodem fere tempore ad ecclesiam scripta N.* 2363 *quae in codice ad* 26. *Dec. refertur.*

2) *N.* 2352. 2360.

3) *Inter quos Secelius et quidam Augustinus Legrund* (*cf.* 2404. 2405) *de quo et infra.*

4) *ibid.*

5) *cf. not.* 1.

6) *vide N.* 2399.

7) *Io. Ulr. Zasius, cuius pater clarus fuerat Iureconsultus Friburgensis et Erasmi amicus, natus erat* 1521 *et fuit prof. iuris Basileae, postea Ferdinando et Maximiliano a consiliis aulicis. Obiit a.* 1565.

8) *Pridie Cal. Febr.* 1556 *quum Ferdinandus subsidia peteret contra Turcas status Austriaci contra postularunt liberam religionis professionem.* (*Sleid.* III. 536). *Quorum supplicatio legitur in Raupachii ev. Oesterreich Beil.* III. *p.* 12, *cf. Tom.* I. *p.* 45. *Rex concessit communionem sub utraque.* (*Waldau, Gesch. d. Prot. in Oesterreich* I. 121.)

dam ordinis Carmelitarum concionem habuisse, cui aderat *Maximilianus* rex,[9]) qui concionatori e suggestu descendenti venit obviam, atque his verbis latinis est publice clara voce alloquutus: Eruditionem tuam probo, atque etiam satis docte concionatus es, sed quod opera tantum extuleris, fidem vero parum, non probo. Haec ad illum rex. Si Dominus dederit Austriacis constantiam, magna spes est de Polonia, ubi nunc est M. Petrus *Antonius* cum libro et literis D. *a Lasco* quam regi misit.[10])

Concionatores nostri germanici,[11]) quum coepissent nos concionibus aliquot proscindere, nos cum consilio bonorum amicorum supplicem libellum senatui exhibuimus.[12]) Cui post tres fere hebdomadas responsum est die Iovis proximo[13]) humaniter quidem sed tamen satis acerbe. Id quod tamen interpretamur a concionatoribus esse, quia praecipui senatores admodum se benevolos declarant. Nos colloquium poscebamus, quod etiam hortati sunt suos concionatores nostri senatores. Sed illi pessime hoc interpretati sunt. Itaque oblata fuit concordia Bucerana quam ille ante quatuordecim annos hic inter concionatores composuit. Ei si velimus subscribere, habebunt omnia bene. Deinde etiam actum de caeremoniis: ne diversis a germanicis utamur. Haec sunt duo praecipua capita. Nos per Dei gratiam spero ita responsuros[14]) ut nomen eius et veritas illustretur semper magis atque magis. Admodum christiane mones in tuis literis quid me sequi oporteat. Verum meo iudicio nulla illi nostra subscriptione aut conciliatione placabuntur, nisi cum suo sano intellectu, nam ita palam testantur. Quod mones, diligenter cavebimus ne quid insit fuci aut servilis dissimulationis. D. *a Lasco* nosti, et ego certe quam sententiam abs te didici, confirmatam autoritate verbi Dei, nunquam mutabo per Dei gratiam, neque dissimulabo, et quantum potero in doctrina fugiam fucos omnes et dissimulationem. Habeo itaque et in hac parte tibi gratias immortales pro isto tuo salubri consilio. Rogo ne desinas me candide sic de omnibus admonere,

Tua scripta nostri senatores amant et expetunt, id quod nostris concionatoribus displicet. Avide exspectatur tua responsio contra *Westphalum*. Alius quidam *Erhardus*[15]) edidit confessionem aliam quam nondum vacavit legere. Attamen si potero accipies cum hisce meis literis. Audio *Illyricum* et *Westphalum*[16]) nescio quid praeterea perlucire. * Illi porro, quantum video, multum promovebunt veritatem. Nostri senatores eo magis incenduntur desiderio tuorum scriptorum quo clamosi homines magis vociferantur.

Noster hic mandatum habet a reliqua ecclesia consulendi te de aliquo ministro in D. *Richardi* locum surrogando.[17]) Negotium hoc tuae pietati commendo.

---

9) *Quae hic narrantur aliunde incognita sunt. Constat tamen regem Bohemiae evangelio favisse a praeceptore suo Wolfg. Severo (Schiefero) edoctum, ita quidem ut a. fere* 1555 *sacerdotem uxoratum Io. Seb. Pfauserum sibi concionatorem aulicum delegerit et ad Melanchthonem miserit de rebus religionis consulturum. (Raupach.* I. 31. 52 *etc. Strobel, Leben Pfausers, in Beitr. zur Lit.* I. 267.)

10) *Vide quae annotavimus ad N.* 2339.

11) *Petrus Geltner, Marcus Sabander, Matthias Ritter, Andreas Sachs, Christianus Egenolph, eorumque antesignanus Hartmann Beyer.*

12) *Frankf. Rel. Handl. I. Beil.* VIII. *p.* 12. *Latine scripserunt ad senatum de concionatoribus civitatis, qui* nescimus quo nostro merito in publicis concionibus parum amanter *extraneos perstringebant etc. Postulabant simul amicum colloquium. Pertinet ad* 16. *Ian.*

13) *Scriptum illud senatus concionatoribus tradidit qui a. d. III. Cal. Febr. responderunt (Rel. Hdl. II. Beil.* 19) *dicentes se de sectis dixisse deque puritate doctrinae a magistratu tuenda: quod si extranei in semetipsos traxissent, hoc penes ipsos esse debere. Caeterum poscebant ut iidem concordiae Bucerianae nomina dare cogerentur. Senatus a. d. III. Non. Febr. de hac re deliberavit (l. l. I. Beil.* 9, *p.* 15) *et Pollano postr. Nonas respondit (ib. n.* 10, *p.* 16) *in hanc sententiam:* Senatus iam pridem concionatorum nostrorum suggestionibus intellexit, non minus ipsa doctrina quam caeremoniis exterioribus vestras ecclesias a nostris differre et ex ea re non mediocre dissidium gliscere. Caeterum satis recordatur senatus, vos quum initio sedes hic et ecclesiam peregrinis vestris quaereretis semper hoc praetulisse et aperte praedicasse, vobis vestrisque hominibus cum nostrarum ecclesiarum tam doctrina quam caeremoniis probe omnino conventurum fore, eoque nomine vos quod tunc petiistis facile obtinuisse: quod equidem nunquam evenisset, si vos aliud in ore et aliud rursum in pectore ferre constitisset. *Itaque illis Buceriana formula a.* 1542 *imposita est, et caeremonias in coena celebranda more Francofordiae usitato instituere iussi sunt. Quid quod vel postulatum fuit ut de quo corporationes operariorum (s. v. v. Handwerker-Zünfte) questae fuerant, scil. praesentia exterorum sibi damnum inferri, in posterum vitaretur!*

14) *Responsi autor fuit Lascus et quidem satis prolixi, quod a. d. IV. Cal. Mart. Senatui traditum fuit. (Rel. Hdl. l. c. Beil.* 11, *p.* 17.) *Petunt ut de Buceriana formula sententiam suam dicere ne cogantur, quum satis sit affirmasse consensionem cum Augustana, in caeremoniis vero libertatem sibi vindicant. Quantum ad artes exercendas paupertatem suorum respiciendam modestissime praetendunt.*

15) *Schnepfius prof. Ienensis inde ab a.* 1549, *etsi acerrimis non adnumerandus, Cal. Dec.* 1555 *ducibus Saxoniae, orthodoxiae sc. tutoribus et patronis, dicavit libellum:* Confessio de eucharistia hanc ob causam hoc potissimum tempore edita quod certamina vetera de coena Domini novis libellis classicum canentibus recrudescere incipiunt (Jen. 1556) *cf. Jul. Hartmann, Erh. Schnepf. Tüb.* 1870, *p.* 87. *Falso Planckius* (V. 2, *p.* 73) *a.* 1557 *indicat. Catalogus bibl. civ. Turic. editionem recenset Arg.* 1555 *impressam (?)*

16) *A Flacio aliquid exspectatum fuisse non mirum. Erat orthodoxiae lutheranae eo tempore coryphaeus, et duces Saxoniae in eo erant ut eum Ienam accerserent (Preger II. passim). Westphali responsum ad secundam Calvini defensionem prodiit* 1557. *Vide prolegomena T. IX.*

17) *De Perrucello cogitarunt, qui tamen recusavit.* (*N.* 2352. 2363.)

D. *a Lasco* plurimum te salutat, qui nisi morbo impediretur ad te scripturus erat. Nam valde offensus fuit narratione *Augustini* in 3 art.,[18]) in quo D. *a Lasco* indigne sugillat, quem indignius multo compellaverat in illo caeteris. Sed crede mihi ista omnia sunt indigna chartis. Nisi hic propter aliquas divitias haberet quorundam hominum applausum, turpiter ab omnibus explooderetur. Nihil magis unquam invitus feci, quam descripsi has apologias. Sunt quidam qui nobis hic obtruserunt D. *Crispinum*,[19]) quibus ideo sum reluctatus quod non putarem virum velle tali iugo colla subiicere. Attamen nolui te id latere, si forte illi non de nihilo talia de ipso loquuti essent. Multis ille nominibus esset mihi gratissimus. Utinam Dominus donet nobis alterum *Richardum*. Dominus Iesus te sospitet suaeque quam diutissime servet incolumem ecclesiae. Raptim 8. Febr. 1556.

Tuus observantissimus clientulus et discipulus
in Christo
V. Pollanus.

Uxorcula mea te reverenter resalutat. Saluta meis verbis plurimum D. *Sanctandreanum* et *Raymondum* cum reliquis symmystis: D. *Crispinum* quoque, obsecro.

Dum hic tabellarius abitum differt, ecce D. Io. *a Glawburgo* de mittendo ipso aut alio Genevam ad te mecum agit, cum suis literis[20]) et omnibus scriptis, ut mihi exposuit. Rogo te, mi venerande in Christo pater, ut quam citissime possis respondeas. Non videbatur causa bono domino usque adeo difficilis: sed voluit in gratiam ecclesiae atque etiam ad evitandas omnes rationes tuo uti iudicio et consilio. Dominus Iesus omnia bene vertat ad sui nominis gloriam et ecclesiae aedificationem. De Aquisgrano[21]) et Wesalia nihil scribo. Intelliges ex hoc fratre omnia. Iterum vale in Christo feliciter. 12. Febr. 1556.

T. observantissimus filius et discipulus
in Christo
V. Pollanus.

D. *a Lasco* plurimum te salutat. Cui valde molestum est quod scribere nequeat, postquam intellexit D. *Glawburgium* haec ad te mittere.

18) *Haec nobis non satis facile elucidanda videntur. De Augustino v. not.* 3. *De artic.* 3, *fortasse respiciendum ad ea quae diximus not.* 13 *et* 14.

19) *Quo pacto et quem in finem? An ad ministerium?*

20) *deperditis.*

21) *Ibi quoque ergo coetus exsulum convenerat.*

Ego huic tradidi exemplum concordiae nobis nuper oblatae,[22]) quod ante duos menses nactus fui. Si licuisset denuo descripsissem. Sed iudicabis quoque de meis annotatiunculis quas obiter conscripsi tum temporis in gratiam consulis senioris anni propraeteriti. Rogo ne graveris mihi iudicium tuum de omnibus rescribere.

Habet aliam quoque quaestionem cum duplic responso. Ecce vides quod me non pudeat apud te balbutire, ut aliquid discam melius.

2386.

BEZA CALVINO.

Narrat quid Neocomi actum sit de eligendo ministro qui Parisiensibus ad tempus mitteretur.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, ubi pars prior epistolae folio 730, pars posterior folio 138 inscripta est. — Edidit Bretschneider p. 105.)

A Monsieur et pere M. Calvin fidele ministre de la parole de Dieu.
A Geneve.

S. Postridie quam literas tuas accepi Neocomum profectus cum *Praevotio*[1]) nostro eos demum adhibui in consilium cum D. *Farello* sine quibus consciis res ista administrari omnino non potuit, nempe *Christophorum* et *Dommartinum*. Ibi *Brosseus*[2]) multa praetexuit ex quibus facile intelligerem ipsum non ita libenter hoc onus subiturum. Sed unum hoc nos coegit novum consilium capere, quod ita se passim non modo notissimum de nomine et de facie esse testaretur, sed etiam plurimis ita suspectum ut aliquando etiam latitare et tandem illinc discedere fuerit coactus. Quum hoc audissemus nobis non placuit amplius urgere: quum ipse alioquin affirmaret, se nihil fuisse libentius facturum, etiam si mortem praesentem haberet ob oculos, quam aliquando in eo ipso loco quaesitam invenire non po-

22) *Bucerianae:* De sacra Domini coena ac duabus in Christo naturis concordia et christianae de utroque loquendi formulae concionatoribus Francofordiae observandae per M. Bucerum constitutae. Actum Francofordiae die ix. Dec. 1542. (*Tom. anglic.* 697. *Rel. Hdl. Th.* II. *p.* 13.)

2386. 1) *N.* 2381, *not.* 5. *Male Br.* Praenotio. *Quas dicit accepisse literas, eae non exstant.*

2) *ludimagister Neocomensis N.* 1571. 1573. 1580. *Ex sequentibus colliges eum olim Parisiis vixisse.*

tuisset. Hic ego quum nostram inopiam coepissem deplorare, et conqueri tam praeclaram occasionem nobis nescio qua socordia praeripi, quam futurum esset ut aliquando filius Dei nobis exprobraret coram angelis suis, eo ventum est ut diceret *Farellus* mittendum esse potius quendam ex veteranis, [3]) qui saltem ad tempus hoc onus sustineret, et futuro successori quem daret Dominus constitutam ecclesiam traderet. Omitto plura quae bonus iste et eximius senex in eam sententiam ita ardenter disseruit, ut mirificam plane ex eius sermone consolationem ceperim. Quid multa? Non modo assensi sumus, sed etiam rogavimus ut alicuius nomen ederet. Habita deinde oratione, aut ego, inquit, illuc destinor, aut si vobis videor iniquum postulare, *Iacobum* [4]) ministrum Bedriacensem mittendum censeo. Qui hunc norant eius sententiam ita comprobarunt ut idem quoque sibi in mentem venisse testarentur. Mittitur paulo post qui illum accersat Gulielmus *Hobrachus.* [5]) Placuit enim multis de causis hunc quoque facere nostri consilii participem. Quum venisset *Iacobus* et rem totam cognovisset, coepit conqueri quod magis idoneus non eligerctur. Se quidem fassus est, quamvis ex inopinato rem tantam audiret, tamen nescio quomodo intus percelli: unum esse quo cogeretur assensionem sustinere, propositae rei magnitudinem, cui se imparem esse fateretur, et alios aliquot collegas nominavit. Rogatis eorum qui aderant sententiis *Iacobus* iterum fuit confirmatus, qui quidem mihi visus est divino plane impetu commoveri, adeo ut, nisi me exspectatio fallat, nihil nisi magnum ex tota hac actione possim ominari. Quod ad familiam eius attinet, uxorem habet ut aiunt omnes valde piam ac modestam, ut de ipsius voluntate nihil sit dubitandum, liberos duntaxat duos, quorum alteri qui apud nos agit absente patre prospiciemus. Sed unum nos hic remoratur, nempe quod non possit nisi petita a *Vatevillio* [6]) venia discedere, quod in eius agro sit pagus in quo ministrat, et ita sit illi obligatus. Quum autem eo ipso die sub noctem ad eum venisset (forte enim ante biduum venerat in Columberiam) et missionem ab eo flagitasset in duos aut tres menses, quid? inquit ille, quorsum tam iniquo tempore? nempe novas nobis molestias afferet haec tua peregrinatio. Hic *Iacobus*, quem diligenter monueramus ne quid de hac re aperiret, coepit dicere se a quibusdam amicissimis vocatum non sine maximo illorum damno ac suo etiam maximo incommodo posse hanc profectionem illis denegare. Respondit tanden ille ut ad diem Lunae adesset: tum fore ut illi voluntatem suam aperiret. Ita factum ut Neocomo non prorsus certi discesserimus de illius profectione. Sed tamen omnino promisit *Farellus* cum aliis, si *Iacobus* missionem non impetraverit, se tamen alium esse missuros, qui in tertium mensem illic haereat, tantisper dum vel alius nobis offeratur, vel ille inter eos qui illic sunt commodum successorem repererit.

Haec est summa eorum quae illic sunt confecta. Nunc accipe cur hunc ad te miserimus. Recte monebas ut illinc recta proficisceretur *Brossaeus*, sed non adscripsisti eius nomen quem illic sit primum conventurus. Quis autem ille sit facile fuit mihi divinare, sed quibus in aedibus commoretur neque ex quoquam qui hic sit rescire neque suspicari potui. Deinde quum emendus sit equus fratri profecturo, et sumptus etiam aliquis faciendus in vestem, ne habitus istis regionibus paene peculiaris hominem prodat, vides pecuniam illam non posse satis facere quam fratres miserunt. Sed huic quidem incommodo facile medebimur ex communi aerario aut privato etiam sumptu, quem ille resarciat quum Lutetiam pervenerit. Verum prius illud eiusmodi est, ut neque nos hoc rescire nisi ex vobis possimus, neque ille prius proficisci quam responsum acceperit. Quare vide ut primo quoque tempore per hunc nuncium, quem ad te proprie hac de causa misimus, hoc nobis significes, ut nihil sit quod illum possit remorari.

Caeterum quod in postremis tuis literis adscripseras de brevi exarsuro incendio [7]) ita nos tenuit anxios ut nihil supra. Vide quaeso ut nos hac molestia liberes. *Vireti* nostri causa [8]) in octavum diem, qui futurus est huius mensis XV. ampliata est. *Gueroltius* [9]) *Vandelio* [10]) inter caeteros affuit, cui quum quidam obiiceret quod ducem illum, id est, vestrum comicum Caesarem sequeretur, exspecta, modo, inquit, brevi cernes hunc ducem multis militibus [11]) praeeuntem. Ne hoc quidem, quamvis nihili sit et ab homine nihili profectum, praetermittere volui.

De rebus nostris nisi Dominus prospiciat, Io. *Tornacensem* [12]) migrare necesse erit propter intem-

3) ulteranis *Br.*

4) *quisnam ille fuerit docebit N.* 2391. *Alibi de Enardo Pichon delegando dicetur.*

5) *Quem nuper ipsum Lutetiam mittendum putavit Farellus* (*N.* 2378). *Mox Francofurtum abiit, ubi tamen minus benc egit quam optandum fuisset et isti speraverant.*

6) *hic subsistit fol.* 730, *incipit fol.* 138. — *Wattevilius Dynasta in Colombier videtur etiam patronus fuisse in Boudry.*

7) *fortasse de foedere Bernensi, aut de electionibus initio mensis faciendis.*

8) *contra Vandelium N.* 2364. 2374.

9) *Gueroult sive Guyrod typographus Libertinorum factioni adhaerens et Serveto favens, qui rem habuit cum Beza de Psalmis* (*N.* 2068. 2075).

10) Varidelio *Br.*

11) mitibus *Br.*

12) *Aquileiae ministrum, de quo tamen nihil habemus quod ad rem faciat.*

pestivam libertatem. Sed de hac re alias, ne pro epistola volumen mittam. Scripsit ad me noster *Pomeranus,* [13]) et liberum mihi facit, vel si velim hic manere et a promisso meo absolvi, vel ad vos proficisci quum uxor pepererit. Quid cupiam non ignoras. Itaque promptum esset responsum, nisi vererer eorum calumnias qui me causantur cursitare et meam interim praelectionem non sine gymnasii damno intermitti. Sed tamen valde cupio te invisere et amico gratificari, in ea re praesertim quam ultro ambierim. Haec ego in utramque partem. Rogo ut iudicis partes in te recipias et quidquid constitueris *Pomerano* nostro significes. Nam quod censueris hoc demum rectum putabo. Scripsissem ad illum nisi placuisset, hunc nuncium ne tantillum quidem remorari. Bene vale, mi optime et observandissime pater. Precor Dominum Iesum ut tibi semper adsit teque indies magis ac magis confirmet. Laus. d. ix Februarii [14]) multa iam nocte, quum sub coenam essem domum reversus.

Th. Beza plane tuus.

2387.

BEZA BULLINGERO.

Puerum sibi commendatum apud Beraldum collocavit bonis conditionibus. Ipse quoque de foedere cum Genevensibus valde sollicitus hortatur ut Turicenses aliquid faciant ad pacem stabiliendam. Ex Gallia varii nuncii, tam laeti quam tristes.

(Exstant duo apographa in Codd. Genev. 119, fol. 151 et 111b, fol. 14. — Edidit Baum. I. 452.)

Eximio servo Dei et fidelissimo ecclesiae Tigurinae pastori D. Heinrico Bullingero patri mihi observandissimo.

S. Accepi literas tuas, vir praestantissime et pater mihi colendissime, una cum iis chartis quas ad me remisisti. Quod ad nobilem illum puerum attinet, collocatus est apud nostrum *Beroaldum* * ita uti convenerat, a quo tibi spondere ausim fore ut et fideliter erudiatur et liberaliter tractetur. Mihi vero etiam privatim, et aliis praeterea collegis, ita erit commendatus ut nihil simus praetermissuri quo possint ipsius studia adiuvari et mores etiam informari. De pretio caeterisque conditionibus *Beraldus* ipse, ut opinor, ad te scribit. Si fortassis maius videbitur pretium quam sperastis, duo inprimis hic erunt patri pueri ipsius explicanda, nempe triplicatum esse hoc anno apud nos vini pretium et annonam etiam paulo factam cariorem quam anno superiore: [1]) deinde hanc esse nostram conditionem ut nihil prorsus ex vectigalibus annuis colligamus, [2]) quemadmodum cives solent, sed omnia praesenti pecunia sint in macello ac foro redimenda. Sed in summa hoc tibi affirmo nullum hic lucrum a *Beraldo* captari, sed hoc unum ut sine suo detrimento puerum honeste alere ac instituere et vobis omnibus fidem suam approbare possit. Sed de his, ut opinor, minime dubitas et pro tua prudentia omnia constitues.

De foedere Genevensi nos quoque vehementer conficit haec sollicitudo. Neque enim dubium est quin, nisi Dominus providerit, certa inde pernicies illi ecclesiae immineat. Hoc iam pridem viderunt et monuerunt omnes boni et cordati homines qui illic sunt, et is inprimis in cuius caput conantur nonnulli totam huius rei invidiam transferre, immerito quidem et valde (ne quid gravius dicam) impudenter, quum nemo unus maiorem adhibuerit operam ut totum hoc dissidium componeretur. Utinam igitur Dominus nostri misertus animos principum coniungat, et Satanae consiliis viam obstruat. Utinam etiam illustrissimo vestro senatui vobisque omnibus egregiam hanc voluntatem confirmet, ut vestras hic partes interponatis. Erit enim procul dubio et piis omnibus gratum hoc vestrum studium, et ecclesiae Dei ita utile ut nihil supra. Itaque nihil necesse est ut de hac re pluribus ad te scribam. Sed tamen rogo ut non prius conquiescatis quam res fuerit impetrata, pro qua non dubito quin ipsi Genevenses brevi sint ad vos missuri. [3])

De rebus nostris haec tantum habeo quae scribam. Lugduni aiunt esse cautum regis edicto ne quis ex his regionibus a quoquam hospite tecto excipiatur qui non prius apud urbis magistratum nomen ediderit. Ita nimirum omnibus exsulibus imminet certum exitium si eo sint profecti. Sed Dominus hic quoque suis prospiciet. In Andegavensi ecclesia ita auctus est fidelium numerus ut superioribus diebus tertius minister mittendus fuerit. [4])

---

13) Domeranus *Br. hic et infra. Vir nobis aliunde non cognitus. Caeterum Beza iter gallicum meditabatur, ut patrem Vezelii inviseret.*

14) 1556 *citra dubium, ut ex negotio de ministro Lutetiam mittendo patet.*

2387. 1) *Teste Pierrefleur Mém.* 343 *hoc anno* un char de vin *decem scutatis veniebat, sequente tribus, annona autem propter sterilitatem a tredecim solidis* (sols) *ad* 28 *et* 30 *ascendit.*

2) *quia cives non erant.*

3) *De Roseti et Botellerii legatione qui postridie Cal. Mart. reduces fuerunt vide ad N.* 2383.

4) *Hist. eccl.* I. 100. François le Maçon ne voulut oublier son pays (Angers) qu'il encouragea tellement par letres

Parisiis quoque ministrum misimus,[5]) ubi etiam est ecclesia constituta. Roga Dominum, mi pater, ut regnum suum amplificet, et fratres nostros in ipsius leonis faucibus versantes fidei et patientiae spiritu confirmet. Certe tandem cogetur tyrannus aut integras urbes absumere, aut veritati locum aliquem concedere. Vide interim ne quis harum rerum rumor ita emanet, ut nonnulli, qui huc et illuc discursant ut rumores omnes captent, ista tam praeclara consilia possint suis delationibus impedire.

Sed de his hactenus. Fratres nostri et symmystae omnes te resalutant, ac *Viretus* noster inprimis qui puerculum nuper amisit, quem unicum marem habebat. Uxor mea ancipiti admodum valetudine se tuis et lectissimae tuae uxoris precibus commendat. Bene vale, mi observandissime pater. Dominus Iesus te servet, suo spiritu regat et magis ac magis confirmet, totam vestram ecclesiam tueatur ac foveat. Lausannae 12. Febr.

Th. Beza.
tibi addictissimus filius.

2388.

ZERKINTES CALVINO.

Deflet dissidium Bernenses inter et Genevenses illud perpetuum de dominio S. Victoris et Calvinum obtestatur ut pro viribus ipse paci conciliandae studeat.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 123. — Apographon contulimus in Bibl. Bernensi MSS. theol. 122, fol. 147 cuius menda transierunt ad Simlerum Vol. 86.)

Putabam fore, *Calvine* frater, ut vel devicto vel pacato *Caesare* pax et tranquillitas Germaniae rebus publicis restitueretur, quarum huc usque causa angebar, de nostris velut in portu navigantibus parum sollicitus. At quam oscitanter ego vicinum incendium timuerim quum meus arderet paries, res ipsa magno meo cum dolore docet.[1]) Quem enim unquam modum ac finem fore putas perditarum controversiarum quae nostras respublicas exagitant, utinam non evertant. Miror equidem, inter tot utriusque reipublicae praestantia ingenia nullum emergere quod sese huic malo fortiter opponat. O tempora, o mores, candoris et integritatis nescii! Itane per vos suspicio, tergiversatio, collusiones, calumniae, dissidia, lites, odia aperta et secreta, demum forte bella, seditiones rerumque omnium perturbationes libere passim sine impedimento grassabuntur? Credo nostros nobis oculos tam caros non esse quin mallemus erutos quam semel aperuisse ut verum cerneremus. Quae, per Deum immortalem, causa est ut foedera non civiliter tantum conserta[2]) sed Christi Iesu verbo et nostra salute obsignata tam indignis et levibus de causis convellantur? Dicam duobus verbis: Ambitio et cupiditas. Quarum quaeso rerum? A Satana et eius ministris de regno Antichristi, mendaciis, praestigiis impiis et sacrilegis artibus comportatarum.[3]) Quid enim aliud sunt Victoris illius vestri collegiique sacrificorum census, reditus, praedia, vectigalia, venationes, delectus, servitutes, iurisdictiones, fasces, imperia pro quibus digladiamur,[4]) quam mera furta et latrocinia Antichristi imposturis nunc terrore inferorum, nunc blanditiis et sponsione vitae beatae veritatis ignaris erepta? Nonne haec illa est Helena Graeciae et Ilio exitialis? Neque enim video quid praeter Stygia illa Satanae furta nos committat. Concessa enim a vestris litium privatarum sub delegatis[5]) iudicibus et arbitro abrogatione, nihil mea quidem sententia restabat quod foederis redintegrationem impediret, nisi rapinarum Victoris et spoliorum sacrificorum divisio. Dum enim nos rem eam integram nobis[6]) esse volumus, qualem ante Basiliensem compositionem fuisse dicimus, vos contra ius vestrum Basiliensium decreto tuemini, neutraque pars cedit alteri, belle nobis defungi nostro munere videmur operaeque facturos pretium, si vim et nervos reipublicae omnes in discrimen deducamus potius quam amice de rebus male partis transigamus. Utinam incendio arcium[7]) conflagrassent infaustae iuris-

---

ct en presence selon les commodités qui s'offroient . . . . que l'ordre de l'Eglise y fut dressé, leur estant envoyé par les ministres de Geneve à leur requeste un docte personnage nommé Jean de Pleurs surnommé d'Espoir qui continua heureusement son ministere jusques à la persecution qui s'esmeut en 1556 (*N.* 2433).

5) *Vide tamen praecedentem.*

2388. 1) *Vides eum de negotio foederis nondum renovati loqui de quo satis superque in praecedentibus.* (*A. Roget, les Suisses et Genève* I. 233.) *Saepius quidem iam antea de interpretandis conditionibus foederis a.* 1526 *m. Februario sanciti disceptatum fuerat* (*Roget, hist. de Genève* I. 171, II. 85), *nunc vero instigantibus fugitivis Bernenses iisdem conditionibus foedus renovare recusarunt.*

2) confecta *S.*

3) comparatarum *S.*

4) *Bernenses d.* 7. *Febr. scripserunt:* que comme leur combourgeoisie alloit expirer et avec elle le traité (*de* 1536 *relatif au partage de la souveraineté sur les biens de St. Victor*) ils les requeroient pour le bien de la paix de se deporter des pouvoirs qu'il leur avoit attribués sur ces terres *etc.* (*Ruchat.* VI. 183.)

5) delectis *S.*

6) vobis *S.*

7) artium *S.*

dictionum obsoletae tabulae, quibus ista dissidia foventur. Rideret haec Democritus, fleret Heraclitus, hic nimis molliter, ille valde leviter, utrumque ut merito reprehendat Seneca.[8]) Nos vero quid in his angustiis faciemus, nullum fletum sed perpetuum risum adversariorum nostrorum conspicientes? Utinam liceret sanis consiliis locum aliquem in subselliis assignare, neque penderent omnia ab autoritate. Nunc ea sunt tempora quae ex persona de consilio iudicant, ut vix hiscere audeant qui paci et tranquillitati populi Dei consultum cupiunt, noruntque expendere quid sit aureo hamo piscari, quod valde metuo nos facturos, si nondum fecimus. Credo enim, si faex illa opum et imperii Victoriani sub auctione venalis prostaret, iniquissima aestimatione emi posse universam iis nummis quos hactenus utrinque in legationes, altercationes et lites eius rei disceptandae et componendae exhausimus. Neque ullus adhuc impensarum modus ac finis, quum de integro renovemus quasique ab inferis revocemus semisepultas controversias, gliscente utrinque studio exercendi ingenium et ostentandi dexteritatem rerum gerendarum aerarii dispendio; idque[9]) tanto impetu et fervore quasi de aris et focis sit in discrimine pars alteri concedens: ut mirari satis non liceat, tot orbis totius mala et res adversas, pericula, dissidia, ecclesiarum ruinas et solitudines, Turcarum Germaniae imminentem dominationem et rerum naturae diem Domini tanti non esse ut nostra studia ab istis quisquiliis quibus volutamur ad meliores cogitationes revocent. Et tamen[10]) ubi ad extrema quaeque digladiatum fuerit, si transactione res componatur, litis aestimatio caput causae superabit, animorum exulcerationes amicitiam omnem suffocabunt. Si armis (quod Deus avertat), victor flebit cum suis spoliis Victorianis. Neque video tamen quomodo possit ista controversia ita componi ut non subinde repullulent nova dissidia (tanta est foecunditas), quamdiu ista imperia Bernensia et Victoriana erunt permixta. Placebat itaque permutatio aliqua, quales ipse plures reipublicae nomine cum privatis tractavi, ut rebus utrinque ex aequo et bono aestimatis suum Geneva imperium seorsim obtineret. Si permutatio displiceat, emptio et venditio tentanda erat, ut pars altera rerum controversarum summam aut partem intricatissimam aere ab altera redimeret. Si ne hoc quidem arrideat, dividere potius inter nos amice ista debebamus et decumano limite contentionem dirimere, quam tanta atrocitate ius quique suum tueri. Sed nostri quiritantur: nihil horum tentari vobiscum posse, quod ad omnem mentionem diminutionis imperii vestri, uxoribus liberisque fatales coenas, urbi incendium minitentur Genevenses, arripiuntque[11]) barbaras istas et immanes vulgi voces, in argumentum desperatae obstinationis, iusti et aequi impatientis. Quid ex his suspicionibus exoriatur me tacente apparet. Retractavi nuper flabella omnia primi Victoriani incendii, sed proh Deum, quam saepe inhorrui, tanto spiritu turgebant. Suspiciones, exprobrationes, odia, dissidia, concertationes, proscriptiones, lites inde ortas et excitatas non sine lacrymis evolvi. Nunc ubi vereor, ne omnia ista denuo caput attollant, totus exanimor. Itaque te obtestor, *Calvine* frater, per eum quem profiteris, ut si quid potes apud tuos, si quid apud exteros, qui sine affectu ista intuentur, omnem vim ingenii et autoritatis pro tua virili his malis opponas. Cordatos admone officii ut magis quid reipublicae conducat quam quid maxime populare sit cogitent. Turbulentos coelum terrae miscentes aut mitiga aut compesce. Si hanc operam inanem esse senseris precibus cum ecclesia insta, ut Dominus conatus tuos adiuvet, neque incolumitatem reipublicae deserat, vel si aliter statuit suos e rerum natura tollat, ne in his perturbationibus angore conficiantur. Spero tamen fore, si vomica huius mali semel ad vivum retegatur sanisque et moderatis consiliis aliquis locus detur, constare mutuam amicitiam principum posse, alioquin vereor ne alterutris, si non utrisque, ominosa sint Victoris spolia et nomen.

Haec quin ad te scriberem continere me non potui, ut intelligas me retinere pristinum studium iuvandi rempublicam et restaurandi labentem amicitiam civitatum. Qua quidem in re tibi omnem operam polliceor quam a te flagito, patiarque libenter, et quantum ad me attinet, impune dissidiorum autores diris devoveri, qui utinam essent pauciores aut nulli. De nominum exactione per carcerem nihil scribo: facile puto ea de re decideretur, quum possit bonae fidei debitor solutione, tergiversator urbis[12]) devitatione carcerem effugere, idemque eadem in re carceris usus nostris quoque erga vestros statui. Arbitri quoque de medio eligendi tanta difficultas non est quin superari possit. Restat Victor ille pertinax victori populo infestus, nemini cedens nisi rationi si se haec pateretur in aciem produci. Vale et me ut soles ama, tibique persuade me, si non per omnia omnibus obsequentem, officii tamen et integritatis semper fore tenacissimum. Saluta fratres, nominatim *Textorem*, cui dicito me ipsius consilio nimis bene valere ut nunc sunt tempora. Bernae 14. Februarii 1556.

Tuus Nicolaus Zerchintes.

8) *Undecim postrema verba desunt ep. Simlerum.*
9) Itaque *S.*
10) quidem *S.*
11) accipiuntque *S.*
12) *Simlerus scribit:* verbis *et addit:* corrupta haec videntur.

2389.

FARELLUS BULLINGERO.

Enixe eum hortatur ut sua officia interponat ad conciliandam inter Bernenses et Genevenses concordiam.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 115, olim Scrin. B. Epp. Tom. VIII. fol. 2958. — Simler. Vol. 86.)

Clarissimo Christi servo Heinricho Bullingero pastori ecclesiae Tigurinae insigni theologo fratri et symmystae quam carissimo.

Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — —

Habeo tibi gratiam multam quod studiose labores pro Genevensi ecclesia, praeclarissimo ornamento Bernensis ecclesiae. Nam quam habet elegantiorem coronam quam quod per ipsam tanta et talis ecclesia coepit et stetit? [1]) Magna est Dei benignitas quod, quum sit sufficientissimus se solo, ita ornare velit tam miseras creaturas, quod in iis quae terram, imo coelum, superant opera creaturarum suarum uti non dedignatur, iubetque eas in hoc servire et ingentia promittit et dat facientibus. Gratulor isti tam sancto senatui [2]) tam pium, tam christianum studium, quod non solum apud suos et in suis studeat Christi gloriae, verum etiam procul agentes. Perfice quaeso, o vir Dei, quod coepisti, ut cum gaudio nobiscum gratias Domino agas super pace et benedictione tantarum ecclesiarum. Si Iudae successores et (quidquid fingant) veri pietatis hostes, qui fratres volunt haberi, audiantur, sibi et aliis perniciem subitam invehent: nam dictu mirum quam sese benignum et faventem Genevensi ecclesiae Dominus manifestat, in horas semper magis et magis aperiens et dissipans Satanae consilia et molimina et suorum. Quum in gloriam Christi faciat ecclesias utrasque coniunctas esse, sitque non solum honori utrique urbi, imo e re utriusque, ut sancto vinctae sint et firmo foedere, ut vel pueri possunt videre, nec est aliquis, quantulocunque iudicio sit praeditus, qui non facile iudicet neutram posse a foedere recedere quin notam incurrat: nunc potissimum ubi eundem agnoscunt Christum et idem evangelium, quam id turpe ducendum, hostem pietatis potuisse civem ducere et fratrem factum excludere civitate, impium ad foedus amicum admissum et pium factum dimissum. Et non tantum in hoc ut incumbas te etiam etiam * rogo, et tecum pios omnes qui aliquid possunt, verum etiam pro longe maiori magisque necessaria pace et concordia, nimirum omnium ecclesiarum. Sane super coena Domini scribemus multa hinc inde: non video posse dissidium tolli, nisi coram verbis amicis agatur. Quanta opus fuisset scriptione super dissidio circumcisionis et oneris legis? Si Paulus coram non egisset, nunquam impetrasset eum quem evicit consensum. Habent suam vim scripta, fateor: sed vult Dominus coram verbis agi, ubi potest fieri. Hic te instare, per Christum te rogo, ut tandem convenire detur quos nosti. Principes sollicitandi sunt et omnia per te et alios agenda quae huc faciunt. Christus per te efficiat hoc tam necessarium. Difficile sane videtur, imo difficillimum. Sed quid non reddit expeditum is cui nihil est impossibile? — — — — — — — Neocomi 16. Febr. 1556.

Tuus ex animo Farellus.

2389. 1) *Haec verissime dicta esse historia docet. Nisi enim Bernenses intervenissent solius Farelli praedicatio vim inertiae Genevensium non vicisset. Arma Io. Francisci Negelini non minus, fortassis etiam plus valuerunt ad reformationem stabiliendam quam ferventissimi concionatoris eloquentia. Caeterum Bernensium plurimum intererat ut haec praevaleret.*

2) *Turicensium, Basileensium et Schaffhusianorum mediationem Genevenses requisierunt, quorum etiam legati m. Februario Bernam venerunt, sed nihil effecerunt.* (*Ruchat* VI. 183.)

2390.

VERMILIUS CALVINO.

Gratias ei agit de libello contra Westphalum sibi misso, quo et hunc ad silentium redactum iri sperat et doctrinam sacramentariam veritati et luci suae redditam esse affirmat.

(Impressa exstat in Petri Martyris Vermilii locis communibus editis ap. Froschoverum 1580 fol. 579.)

Sum, vir clarissime idemque mihi Christi sensu et mente coniunctissime, tuo libello [1]) quem ad me misisti plurimum delectatus. Illum una nocte non perlegi, sed voravi potius. Nam tabellarius, quum illum mihi reddidisset, crastino die abire voluit. De illo sic iudico: qui eum attente legerit, duo, et illa quidem non vulgaria, eadem opera consequetur. Primum, eucharisticam controversiam notissimam et perspectissimam habebit, quam Deus (ut bonus est) voluit nostra aetate Christi ecclesiis rursus manifestare. Nam sic erat obscurata et adeo tenebris involuta, ut veritatis eius vix tenue aliquod vestigium exstaret, quod sane a paucis admodum

2390. 1) *Secunda defensione. Vide Prolegg. Tomi IX.*

2393.

BEZA FARELLO.

Denuo loquitur de ministro Lutetiam mittendo, quo Enardum tandem abire paratum esse magnopere gaudet, cui utilia transmitti iubet consilia.

(Ex autographo Neocomensi. Edidit Baum I. 454.)

Eximio Christi servo Gulielmo Farello patri mihi observandissimo et Neocomensis ecclesiae fidelissimo pastori.

Neocomi.

S. Vere benedictus pater noster coelestis, vere benignus in nos et liberalis Iesus ille Christus, vita et salus fuerunt, qui nos miseros et omnium hominum indignissimos, non modo dignatus est sui cognitione, sed etiam vult habere pro instrumentis quibus utatur ad refringendas Satanae et inferorum portas, ut aliis quoque aditus ad coeleste regnum patefiat. Sed o nos et segnes et pigros atque adeo perfidiosos! Certe pudet me nostri. Hic ubi tam diu, tam multi, tam liberaliter et tam quiete in schola Domini habiti tractati educati sumus, toto paene trimestri non reperiri potuisse qui ad tam copiosam messem metendam, non dico se offerret, sed etiam rogatus prodiret! Genevae quoque tentata sunt omnia, sed ut nonnulli parati fuerint tamen Dominus aliquam moram iniecit.[1] Nuper etiam istic vidisti quomodo consilia nostra fuerint impedita. Quin Satan hic partes suas interposuerit non dubito, ut est versutus ille hostis longe diligentissimus in consiliis fidelium impediendis. Nunc quoque non dubito quin idem ille Satan bonos illos et strenuos milites suos *Caes.* et *Hen.* ad inducias coegerit, ut ruenti suo regno prospiciat, et potissimum, si fieri potest, Parisiensis ecclesiae fundamenta evertat. Sed vivit Dominus qui habitat in coelis, qui utinam longiorem nostram moram nobis ignoscat et bonos nostros fratres confirmet, qui in ipsis leonis faucibus habitantes multo praeclarius facinus audent quam nos, qui hic sub umbra sine sudore et sanguine quasi imaginariam militiam obimus. Confirmet quoque Dominus et spiritu suo regat optimum nostrum fratrem *Enardum*,[2] cuius alacritatem spero ut idem adiuvet qui suppeditavit. Nostro certe *Vireto*, et aliis paucis qui hic sumus istius consilii participes, mirifice grata fuit ipsius promptitudo de qua ad nos scripsisti,[3] neque dubitamus quin hunc potissimum Dominus ad hoc opus insigne peculiariter designarit, alioquin non passus esset tot conatus et consilia nostra prorsus irrita fieri. Audeo vero polliceri D. *Calvinum* nostrum de hac re non aliter iudicaturum, ad quem heri tuas literas misi. Itaque hoc unum curet optimus noster *Enardus* ut quamprimum illuc perveniat. Literis utetur quas apud te reliqui, et de pecunia quam a nobis accepit ita aget ut ad *Iacobum*[4] nostrum scripseram. Sed haec quorsum? Nam aut iam profectus est, aut iam profectum esse oportuit. Absente autem eo vide ecquid possimus ipsius familiam sublevare. Nam hic quoque, Deo favente, officium faciemus ut aequum est. Persuadeat autem ipse sibi memoriam sui nobis carissimam fore, et sine intermissione nos ipsum commendaturos Domino, ut servum suum spiritu suo regat et omnibus modis tueatur ac confirmet. *Calvinus* quoque noster, ut nosti, neque illi neque toti ecclesiae deerit. Quum eo pervenerit, sciat sibi negotium fore cum multis curiosis ingeniis,[5] quae nulla re magis quam gravi illa verbi Dei simplicitate retunduntur. Urgeat fidei fructus. Nam multi sapiunt in perniciem seram. Urgeat frequentem et religiosam lectionem verbi Dei. Nam scio paucos illic esse qui verbum Dei studiose tractent. Ubi legerunt aliquot paginas et unum aut alterum commentarium percurrerunt (de iis loquor qui sunt diligentissimi), statim arbitrantur se ad docendum quam ad discendum aptiores. Nonnulli tanquam arbitrarii iudices sedent in dirimendis controversiis quas sciunt inter nonnullos agitari, et dum iudicium differunt tandem incipiunt de iis etiam ambigere de quibus antea minime dubitabant. Multos possem nominare hac via in atheismum praecipitatos. Admoneat quoque diligenter de illorum libris[6] vitandis, a quibus hodie apud nos turbatur ecclesia. Volitant enim et miro Satanae artificio habentur in pretio apud homines novitatis curiosos aut nimium incautos. Necesse tamen erit libros ipsos palam convincere et errores refutare, ne quis putet hic aliud quam Christi gloriam captari. Sed haec ipse et alia omnia praesens cognoscet, nec dubito quin Dominus ipsum et cognitione omni et zelo instruat. Deducant igitur eum angeli Domini et ab omnibus periculis tueantur, ut brevi laetissimum nuncium ab eo accipiamus. Amen.

De rebus nostris hoc unum habe. *Vendelius* omnibus modis nititur elabi.[7] Sed quo magis se in omnes partes movet, eo impeditius tenetur. Quatriduum iam consumptum est in altercationibus. Quidquid erit constitutum statim intelliges. In-

---

2393. 1) *Plura nescimus.*
2) *N.* 2391.
3) *vel de eadem epistola loquitur quanquam ad Calvinum scripta, vel de alia deperdita.*
4) *Sorellum (ibid.)*
5) *Similia legisti in epp. Pauli apostoli.*
6) *Castellionis puta et caeterorum ab istis atra creta notatorum.*
7) *Cf. N.* 2364. 2374. 2394.

terim roga ut causam fidelis servi sui ab istorum calumniis asserat. Uxor fratris nostri *a Barma*, mulier certe honestissima, miris modis cum praesenti morte conflictata in partu, nunc Dei gratia meliuscule habet seque tuis precibus commendat.[8]) Idem ego, mi pater, a te magnopere peto, et mea etiam uxor valetudine valde ancipiti. *Christophorum, Iacobum, Brossaeum, Hobracum*[9]) et caeteros fratres rogo ut officiosissime mihi salutes. Dominum Iesum precor ut nos omnes respiciat et te, mi pater, ecclesiae suae salvum et incolumem servet. Lausannae 19. Februarii.

Th. Beza
filius tibi in Christo Iesu addictissimus.

2394.

VIRETUS CALVINO.

Pertinet tota ad causam Vandelii.

(Ex autographo Genevensi Cod. 111a, fol. 194.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino fido ecclesiae Genevensis pastori fratri et symmystae plurimum observando.

Genevae.

S. Intelliges ex tabellario quo in statu Vandelinam causam[1]) reliquerit. Quare ea de re nihil scribam amplius. Conantur adversarii quas possunt tenebras offundere, nec desunt patroni qui libenter malae causae faverent si qua daretur occasio. Nullae omittuntur tergiversationes. Sed nihil est quod me magis angat quam cogitatio oppugnationum quibus oppugnabor, ut patiar me adduci ad amicam aliquam conciliationem.[2]) Quamvis mihi non desint rationes aequissimae, quibus illam conditionem iure optimo recusare queam. Verum tu nosti quibuscum nobis res sit. *Nerniacus* qui *Wattevillii* gener est *Vandelino* et affinis. Duxit enim *Vandelinus* uxorem *Nerniaci* sororem.[3]) Hic iam mihi verba fecit de componenda amicę hac lite, quamvis egregie dissimularit se fuisse hac de re rogatum. Ego, si possum, non me vinci patiar. Dominus det consilium et constantiam et prudentiam, quibus hominum iniquitati resistere possim. Sunt qui existiment adversariam causam valde gravari posse, si habeam ad manum processum, quem vocant, *Glaudii* nothi.[4]) Se adversarii iugularunt quod nomine huius processus fictitia quaedam scripta et falsa protulerunt in iudicium, quorum mihi exemplaria adiudicata sunt. Tu vide an expediat: et si quid est aliud quo possim facilius redarguere coram Bernatibus adversariorum impudentiam, mendacia et calumnias quae se ipsa per se satis revincunt. Sed nihil nostra ex parte nimis clare et manifestum esse potest. Primo Martii die aderunt Bernenses iudices. Spero interea litem meam apud iudices Lausannenses finiendam. Misissem ad te exemplar scripti processus nomine ab adversariis producti, si exscribi potuisset. Sed eius non ita pridem mihi copia facta est. Compater *Enochus*, qui perlegit, summam et ordinem illius referet. Mitto ad te *Farelli* literas[5]) quas ad te mittere oblitus est *Beza* noster, qui te plurimum salutat. Salutant te uxor et nostri omnes amantissime. Salutem multam dico amicis. Vale optime ac diutissime. Valde cupio te videre et amplecti, sed vides quibus catenis retinear, quas brevi, ut spero, Dominus solvet. Si quid habetis quod nostra nos scire referat, fac nos certiores. Vale iterum. Lausannae 20. Febru. 1556.

Tuus Petrus Viretus.

2395.

CALVINUS ZERKINTI.

Agit de negotio renovandi foederis inter utramque civitatem, qua occasione Genevenses iustam querelarum causam habere ostendit, simul quam exiguas ipse partes in rebus publicis tractandis agat exponit.

(Descriptam praebemus ex Ionvillaci exemplari Cod. Genev. 107a, fol. 124, coll. cum Turretiniano Cod. 108, fol. 62, Bernensi epp. VI. p. 624 et Simleriano Vol. 86. — Edidit Hundeshagen p. 365. Anglice versa legitur in Edit. Philad. III. 249.)

---

8) *Vide infra. N.* 2411, *not.* 1.
9) *De vocatione Francofurdensi hic nihil.*

2394. 1) *Vide praeced. not.* 7.
2) *De qua cf. infra N.* 2411.
3) *De Nernier nomen erat priscae gentis. Teste Galiffe* (*Not gén.* I. 80) *Petri Vandelii uxor erat Amblarde de Novasella.*
4) *Claude de Genève dit le Bastard, supplicio affectus a.* 1555. (*Cf. N.* 2245 *et seqq.* 2329.)
5) *Fortassis eas quas supra* (*N.* 2393, *not.* 3) *deperditas esse suspicati sumus, vel ipsas Calvino destinatas.*

nino enim id res exigere videbatur, et multi cordati viri hoc voluissent. Sed quantum ex illis intellexi, non facient, sed per literas cum Genevatibus agent.

Ich sorg miner herrn antwort werde anderst verstanden (die gestern gäben) dann miner herrn gmüt sige. Ich kan ie bi nieman miner herrn anderst verstahn dann das si die sach gut meinend: si lond sich aber auch nit gern von Jenffern vmzien, [2]) *vnd turet si das Genff dise handlung zwegen bracht vnd aber iren botten gar kein empfelch gen, weder zu articulieren noch anders. Da wüssend min herrn nit woran si mitt inen sind, wellend sich nitt fürschiessen diewyl inen Genff vormal den handel abgschlagen.* [3]) *So aber noch mitt den Genffern möchte gehandelt werden, das si ettlicher artiklen abstundind vnd vmb die übrigen mittlen liessind, glaub ich es würde gar kein not hie han. Der artiklen wellind min herrn gar nitt: 1. das si sich auch mitt andern mögind verbinden.* [4]) *2. das das burgrecht ewig sölle sin.* [5]) *Der artikel von der gfangenschafft wäre villicht wol zů mittlen.* [6]) *So habend mine herrn gute vrsachen worum es inen nit müglich die übrigen artikel anzůnemen. Hoff als zů Gott es werde noch zů gůtem graten wenn die Genffer sehend woran si sind. Sy irrend sich selb in vil stüken*

Sed quid ego de his quum plene omnia ex ipsis legatis cogniturus sis. — — — — Vale. Festinanter. 27. Febr. 1556.

Ioan. H. tuus.

où étaient les états réformés de se tenir bien unis et de se soutenir mutuellement, nécessité dont on voyait un triste exemple dans la funeste catastrophe de la ville de Constance; que les Bernois se verraient eux-mêmes les premiers exposés aux dangers si Genève était séparée d'avec eux, et qu'ainsi il leur convenait de renouveler cette alliance, sans s'arrêter à quelques articles que les Genevois jugeaient leur être préjudiciables. Cela leur ayant été refusé ils demandèrent qu'au moins les députés de Genève fussent ouis dans leurs demandes, et qu'eux, comme députés médiateurs des trois cantons, pussent proposer quelques moyens pour accommoder les deux villes ensemble. Cela leur fut encore refusé. Les Bernois étaient piqués contre les Genevois de ce qu'ils leur avaient écrit à la fin de la lettre du 28. janvier, concluant de là que les Genevois ne se souciaient pas beaucoup d'eux. Les députés des cantons tâchèrent de les adoucir, leur représentant que, si les Genevois s'étaient exprimés de cette maniere, ce n'était pas par mépris pour eux ni pour leur alliance, puisqu'ils la recherchaient avec tant d'empressement et de dépense, mais pour leur faire comprendre qu'ils étaient ceux en qui ils avaient le plus de confiance après Dieu. Ils obtinrent donc enfin que les Genevois pourraient envoyer leurs députés à Berne avec plein pouvoir de traiter avec eux; qu'ils seraient bien reçus et qu'on se souviendrait de la recommandation des trois cantons. Les Bernois en écrivirent sur ce pied-là aux Genevois le 9. Mars, les invitèrent à leur envoyer leurs députés huit jours après Pâques avec pleins pouvoirs nécessaires. (*Comp. Reg. du Cons. du* 5. *Mars.*) *Sed negotiationes istae per totum biennium continuatae sunt usque dum tandem ad finem pervenerint.*

2) *quasi vero Genevenses soli in hoc negotio peccavissent.*

3) *Diese Beschuldigung ist schwer verständlich. Schon im August* 1554 *hatte Genf vorgeschlagen ein ewiges Bündniss zu schliessen, worauf Bern gar nicht antwortete. Im März* 1555, *auf einen neuen Antrag, wurde eine schriftliche Eingabe verlangt. Den* 3. *April begehrten die Gesandten Genfs eine* 25*jährige Verlängerung des Bündnisses, was wieder abgeschlagen wurde.* (*Ruchat* VI. 131.) *Erst am* 5. *Aug. schickte Bern einen Gesandten mit neuen Vorschlägen, zur Zeit der höchsten Aufregung wegen der Libertiner* (*ibid.* 141. *Reg. du Cons.* 17. *Aug.*). *Darauf ernannte Genf eine Commission* (*mit Calvin*) *zur Redaction einer Antwort, die uns fehlt, die aber schwerlich abschläglich lautete, sondern nur forderte: le départ de Bâle, d. h. Beibehaltung des Bestehenden, le droit d'emprisonnement pour dettes und ein traité perpétuel.*

4) De ne faire alliance sans leur consentement. (*Reg. du Cons.* 31. *Dec.*) *Damit war gesagt, dass Genf nicht in die Eidgenossenschaft eintreten solle, sondern eben in eine Art Schutzbürgerthum mit Bern* (*N.* 2329).

5) *Dies war längst Genfs Wunsch. Berns Brief in nuce Reg. du Cons.* 16. *Ian.*

6) Ils concluent que calions les emprisonnemens envers leurs subiectz (*pour dettes, ibid. comp.* 31. *Déc.* 18. *Ianv.*)

2398.

CALVINUS GLAUBURGO.

Dolorem ob mortem consobrini eius testatus queritur de ministrorum Francofurtensium nimia acerbitate hac occasione prodita, et ut ipse ad placandos animos pro virili satagat hortatur.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Gen. p. 175, Laus. p. 366, Hanov. p. 410, Chouet p. 235, Amst. p. 108. — Anglice l. l. p. 252.)

Etsi literis tuis, [1]) ornatissime vir, renovatus mihi dolor fuit, quem ex optimi et praestantissimi hominis D. *Adolphi* morte [2]) conceperam: fieri tamen non potuit, quin mihi ob rarum erga me amorem, quem omni ex parte spirant, suaves essent ac gratissimae. Ereptus ille nobis fuit, si ex nostro desiderio iudicium facere liceret, parum tempestive: sed quia Dei arbitrio standum est, peracto vitae legitimo cursu in beatam stationem, ubi nos quietus exspectet, suo tempore receptus est. Quod vester ille concionator [3]) ex libro Iesu filii Sirach desumptum eius personae aptavit, divinitus abreptum esse, ne malitia cor eius mutaret: fateor certe Deum optime consulere eorum saluti, quos ex tot tantis-

2398. 1) *N.* 2351.

2) *Mortuus erat d.* 26. *Sept.* 1555 *anno aet.* 32.

3) *Beyer.*

que corruptelis, quae passim grassantur hodie in toto mundo, eripit. Sed quod summa laude in cognato tuo dignum fuit vertere in vitium, maligni fuit pravique ingenii. Omitto ingratitudinem, quod hominem, cui vivo blandiri coactus esset, multis scilicet beneficiis obstrictus, mortuum arrodere non erubuit. Sed quid facias cum istorum pervicacia, quibus haereticum est, quidquid vel tantillum ab eorum figmentis discrepat? Quomodo hominibus parcerent, qui sinceram pietatis doctrinam non minus protervo fastu conculcant, quam truculenta morositate respuunt?

Caeterum ut tibi, eximie vir, pro tua moderatione placida haec indignitas fuit devoranda, sic te privatae iniuriae dolor admonet, ad cohibendam istam intemperiem mature adhibenda esse remedia. Ego tempestivam, ut putavi, occasionem nactus, amplissimum Senatum per literas [4]) rogavi, ut intestinis istis dissidiis occurreret. Etsi autem adventus ad vos meus non esset forte inutilis, [5]) et eum linguae nostrae homines optarent, quia tamen me ingerere absurdum erat, verecunde testatus sum, mihi non grave nec molestum fore iter, si qui ex vestris concionatoribus doctrina mea offensi placidum colloquium admittant. [6]) Suppetunt enim rationes, quibus eos placare, quoad in me erit, et quoad patietur veritatis defensio, conabor. Tu vero, praestantissime vir, pro tua prudentia quid factu utile sit statues, totumque negotium moderaberis. Linguae nostrae homines, sicuti iam feci, ad colendam inter se pacem hortari non desinam: si qui etiam durae cervicis erunt, eos monere, ne se perversis dissidiis lacerent. Nam inter tuas virtutes hanc iure suspicio, quod antehac multa vitia toleraveris, quae a gente nostra alienare tuum animum poterant: si ad perseverandum tibi animos addere opus esset, has partes minime detrectarem. Sed dum mecum reputo quid agas, teque sponte occurrere mihi video, paternamque sollicitudinem testari, ne quid accidat aliter quam vellemus, pudore impedior ne quid te rogem. Tantum rogandus est Christus, ut te semper ad haec taedia devoranda invicta animi fortitudine constantiaque fulciat, et alibi piis suis exsulibus similes excitet patronos. Quod ad me privatim spectat, mihi mire gratum fuit, adhuc antiquae nostrae consuetudinis [7]) apud te memoriam vigere. Ego ut tuae erga me benevolentiae vicissim respondeam, quibuscunque potero officiis studebo. Vale, praestantissime vir, et mihi inprimis honorande. Dominus te semper tueatur cum sancta familia, tibique benedicat. Genevae, pridie Calendas Martii 1556.

4) deperditas.

5) *Cf. etiam proxime sequentes.*

6) *De tali colloquio, siquidem habitum fuisset, vix aliquid sperandum fuisse ipsi Francofurtenses ministri satis aperte declararant. Pollanus ad senatum scripserat, d.* 19. *Ian.:* Si quid in nobis requiritur nos legitimis ex verbo Dei ecclesiae iudiciis nostra subiicimus omnia, paratique sumus omnem nostram doctrinam claris perspicuis ac consentientibus scripturarum catholicaeque ecclesiae testimoniis confirmare, sive privatim sive publice *etc. Ad quod concionatores triduo post:* Wir nicht gesinnet seynd uns in einige Disputacion oder Gespräch mit den Welschen einzulassen, sinds auch nicht schuldig.

7) *Ratisbonae initae.*

2399.

CALVIN A SÉCHELLES.

Exhortation à la concorde et au support mutuel, relativement aux différends avec le ministre Poullain.

(Minute dictée ou ancienne copie. MS. de Genève 107, fol. 174. Copie récente MS. 119, fol. 7. — Imprimé dans le Supplément des Lettres fr. T. II. p. 584. M. Bonnet dit l'avoir copiée à la bibliothèque des pasteurs de Neuchâtel, où cependant nous ne l'avons pas trouvée.)

Trescher frere apres vous avoir salue au nom de Dieu, Ie vous remercie de bon cueur du present que vous menvoiastes au mois de septembre dernier passe. [1]) Ie desire davoir le moien de le revalloir envers vous, comme iespere que Dieu me le donnera ung iour, combien que ie scache que le principal que vous aviez cherche, nest sinon de me declarer lamour que me portez, afin que de mon coste iaye aussi occasion de vous aimer, enquoy ie ne deffauldray. Mais comme vous sçavez que les amitiez des cretiens ne doibvent pas estre pour flatter lun laultre, mais pour sadvertir selon quil en est besoing, pour ceste heure ie ne vous puis rendre meilleur tesmoignage de la bonne affection que iay envers vous, quen vous admonestant de ce que possible vous nestimez estre reprehensible, iusques a ce quen soiez adverty. Ie ne doubte point que les differens que vous avez eu par cy devant avec M. *Valeran* vostre pasteur, [2]) ne soit procede de bon

2399. 1) *Cette lettre est perdue. Il était question de M. de Séchelles dans la lettre de St. André (N. 2293) et dans celle de Lasky (N. 2360) lequel prenait également la défense de Poullain.*

2) *Dès avant l'arrivée de la lettre de Lasky Calvin avait écrit à Francfort (N. 2363) au sujet de l'opposition qui s'y manifestait contre Poullain. Ici cependant on voit que les communications du baron polonais lui avaient fait comprendre que P. était un peu la cause de l'antipathie dont il était l'objet. Voyez aussi les lettres ci-après.*

zele, et que vouz naiez este aliene de luy, pour quelques vices que vous aurez apperceuz. Mais ce pendant si falloit il adviser que ce zele ne vous transportat point en rigueur excessive, car nous avons tousiours a deservir [3]) ceste rigle, de supporter en gemissant ce que nous ne pouvons corriger, sur tout quant il est question de la paix commune de leglise. Daultrepart ie vois que plusieurs estans picquez pour appaiser leur couraige, ont voulu anneantir le ministere de celuy qui par son labeur avoit dresse eglise pardela, enquoy ie nay trouve raison ne fondement. [4]) Celuy qui ma accuse [5]) davoir faict tort a vostre compaignie, en parlant ainsi a plustost faict iniure a Dieu reiectant ung peu trop a la volee les raisons que ialleguois en mes lettres. Mais depuis cela est survenu le debat touchant lelection des anciens et du diacre, [6]) qui a attire beaucoup de mauvaises consequences avec soy. [7]) Or a ce que iay entendu, vous avez proteste avec quelques aultres que telle eslection estoit nulle, combien que la plus grant partie de leglise sy accorde. Enquoy il me semble que vous avez oultrepasse mesure. Car combien que vous y trouviez a redire, si fault il tousiours revenir la quen eslection doffice nous aions patience, quant les choses ne viendront point a nostre gre, et fault tant estimer lunion publicque que chacun se deporte de son iugement prive pour suyvre ce qui plaira a tout le corps. Parquoy ie vous prie et exhorte au nom de Dieu de ne point croire en cest endroit vostre affection, mais plus tost quen mectant soubz le pied toutes paroles qui pourroient avoir este dictes des deux costez par contention, vous receviez paisiblement Me *Valeran* pour ministre et les anciens aussi èn leur estat et degre, nempeschant point quilz nexercent leur office, mais plustost les y aydant entant quen vous sera: non pas que ientende que par vostre dissimulation, vous nourrissez le mal, car ie ne vous oste point la liberte de remonstrer les faultes que vous verrez en qui que ce soit, mais en faisant debvoir de chrestien, supportez ce qui ne peut estre corrige a vostre desir, [8]) sans trouble et scandalle mesmes sans dissipation de toute leglise. Ie vous en ay bien voulu escrire en particulier, esperant que vous recevriez mon advis et conseil dung coeur amyable, de quoy ie vous prie nestre point frustre, et sur ce en faisant fin, ie vous recommanderay en la garde de nostre bon Dieu, luy suppliant vous guider tousiours par son esprit, vous soustenir par sa vertu et vous augmenter toutes ses graces.

3) discerner *Bt.*

4) *comp. N.* 2363.

5) *Peut-être Augustin. On voit que Calvin connaissait déjà la manière dont sa lettre du* 22. *Déc. avait été reçue à F.*

6) des diacres *Bt.*

7) *Comme Poullain ne parle pas de cela dans sa lettre du* 8. *Février et que celle-ci paraît avoir provoqué la présente, nous ne saurions placer celle adressée à Séchelles au mois de Janvier, comme le fait M. Bonnet. Nous pensons qu'elle a été envoyée en même temps que celle à Glaubourg, peut-être même que celles qui vont suivre.*

8) *Les mots:* sans trouble et scandalle, mesmes *manquent dans l'imprimé.*

2400.

CALVINUS BULLINGERO.

Undique pugnae et dissidia. Eminus Lutheranorum iurgia, intus, scilicet Bernae, fastidium et contumeliae.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 57. — Apographa reperies in Cod. Genev. 107b, fol. 99, in Epp. Bern. Tom. VI. p. 703 et Tom. VII. p. 99, denique apud Simlerum Vol. 89.)

Clarissimo viro et fideli ecclesiae Tigurinae pastori D. Henricho Bullingero fratri et symmystae observando.

S. Nihil scribo in praesentia, nisi quod Lutheranos conspirasse video ut librorum mole nos obruant. Nam me iam aggressus est *Snepfius*, [1]) cuius liber si paulo maturius venisset, adiunctus fuisset sodali suo *Westphalo*. Sed dum illi nos eminus oppugnant, vides quibus angustiis intus premamur. Intellexisti haud dubie quam comiter excepti fuerint trium urbium legati, imo quanto fastidio eorum deprecatio repudiata fuerit. [2]) Nostri certe se contumeliose acceptos referunt. Ego quanquam ad istas iniurias pridem obdurui, vereor tamen ne animi plus aequo exacerbati erumpant quo nollem. Sed quia remedio iam non est locus apud homines me ad preces conferam, hucque alios etiam hortabor. Non desinam tamen nostros, quoad licebit, mitigare, ut tolerando vincant. Paucis verbis in summa festinatione te salutare malui quam vacuum nuncium dimittere. Vale, ornatissime vir et venerande frater. Dominus tibi semper adsit teque tueatur et confirmet. Saluta symmystas et familiam. [3])

Ioannes Calvinus tuus.

2400. 1) *Schnepfius confessioni de eucharistia subscripsit Cal. Dec.* 1555. *Prodiit liber m. Ianuario. Cf. N.* 2385. 2397.

2) *Etiam propter hoc factum epistola m. Februario aut Martio* 1556 *tribuenda est.*

3) *Sine die et consule. Simlerus refert ad* 22. *Ian.* 1557. *Quod omnino falsum.*

2401.

CALVINUS MINISTRIS FRANCFORDENSIBUS.

Inter eos et semetipsum optimum consensum esse ratus eos ad amicam cum exsulibus concordiam hortatur, et si quid in re sacramentaria dissidii fuerit ut id placide componatur optat.

(Ex actis eccl. Francf. Tom. V. p. 203 sq. in nostrum usum descripsit Vir clar. G. Ed. Steitz, V. D. M. in urbe Francofordia. Edidit olim Beza Gen. p. 175, Laus. p. 367, Hanov. p. 411, Chouet p. 237, Amst. p. 109. Item Ritter, ev. Denkmahl der St. Frkf. p. 314. Gallice exstat in ed. Berol. 237, anglice in ed. Philad. III. 254.)

Eximiae pietatis et doctrinae viris ecclesiae Francofurtensis pastoribus symmystis et fratribus in Christo colendissimis.

S. Etsi literis meis gratiam apud vos non modo nulla interior necessitudo [1]) sed ne mediocris quidem notitia conciliat, venerandi et dilecti fratres: fraterna tamen coniunctio, quae iure ministerii [2]) inter nos mutuo vigere debet, satis ad scribendum fiduciam [3]) dare visa est, ut minime dubitem apertam mihi fore ianuam, ut comiter vestra et qua optandum est mansuetudine excipiar. Nuper quum sub amplissimi senatus vestri nomine mea in tres Evangelistas harmonia edita est, quominus vobis scripserim, quid praeter pudorem obstiterit nescio. Vix enim unquam nisi necessitate coactus ad ignotos scribere soleo. Ignotos autem voco, ne quem vestrum offendat verbi asperitas, quibuscum familiaris usus non intercedit. Certe contemptu vel negligentia minime fuisse praeteritos, sancte vobis affirmo. Ubi autem reversi sunt ex nundinis librarii, miratus sum, fateor, Ioachimi cuiusdam *Westphali* non minus insulsum quam virulentum librum, quo meam de sacramentis doctrinam oppugnat, istic editum esse.[4]) Nam mihi persuaseram, optimum inter nos consensum esse: aut si docendi ratio non prorsus eadem foret, tantum non esse discrepantiae, quod usque in odiosam contentionem erumperet: ac fieri quidem potest, ut insciis vobis exierit liber ille, quem certe vestris suffragiis fuisse probatum non arbitror.[5]) Neque vero hoc expostulandi causa commemoro: sed quia simul allatus est rumor, quibusdam a collegio vestro minus placere quae de sacramentis trado, antevertere visum est, ne quid dissidii silentio meo vel dissimulatione foverem. Certe ut non libenter me obtrudo, ita si quispiam vestrum mea doctrina offenditur, nulla ad eum placandum satisfactionis ratio a me negligetur. Quod si ad offensiones tollendas utilis mea ad vos profectio esse videbitur, quamvis longum et incommodum esset iter, nihil tamen molestiae recuso. Nam quum hoc studium sanctae inter nos concordiae mihi debere videor: tum vero quia amplissimus senatus summa humanitate oblatam sibi dicatamque Harmoniam amplexus est, literisque testatus,[6]) sibi gratum munus fuisse ac iucundum, ita me sibi devinxit, ut hoc suo merito a me officium exigere videatur. Neque tam mea causa laboro, quam ut peregrinos fratres quibus hospitium Dominus in urbe vestra concessit, sincera dilectione amplectamini. Audio enim,[7]) nescio quid litium et vexationis metuere quod eorum quietem perturbet. Porro quum sciatis partem vi et tyrannide hostium Christi patria expulsam ad vos migrasse, partem vero, ut vobiscum puram Christi fidem profiteretur, voluntario se exsilio multasse: quantam[8]) aliis misera sua conditio, aliis prompta ad sequendum Christum alacritas gratiam conciliare debeat, apud vos disserere supervacaneum[9]) foret. Imo si quae in ipsis desideretis, ut forte eos suis vitiis laborare credibile est,[10]) venia tamen et facilitate scitis ferendos esse. Potius vero quam ut in certamen erumpat si qua hactenus occulta fuit simultas, quascunque mihi partes imponere voletis, suscipere paratus sum. Certe ad pacificationem utrisque fidus semper ero et hortator et adiutor. Valete, carissimi et ex animo vere colendi fratres. Dominus vos spiritu prudentiae, fortitudinis et mansuetudinis gubernet laboresque vestros benedicat. Amen. Genevae 6. Nonas Martii 1556.

Frater et symmysta vobis in Christo
vere [11]) coniunctus
Ioannes Calvin

2401. 1) *Imo Beyeri et sociorum animum probe cognitum habebat, non tamen satis si eos demulceri posse sperabat.*
2) *Edd. add.* communis.
3) *Eadem:* fiduciae.
4) *N.* 2295. 2296.
5) *O sancta simplicitas, vel incassum simulata fiducia! Oblitus esse videtur quae Glauburgus de patruelis funere rescripserat.*
6) *Non exstant.*
7) *ex Pollano puta N.* 2385.
8) quantum *Beza;* quaeque *Ritter.*
9) supervacuum *Edd.*
10) *Et sane ipsorum contentiones multum iis nocuerunt apud ministros.*
11) Domino *Ritter.* — *Subscriptio tota Calvini manu.*

2402.

CALVIN A L'ÉGLISE DE FRANCFORT.

Exhortation à la paix. Projet de voyage. Choix d'un nouveau ministre.

(Copie. Bibl. imp. Coll. Dupuy, Vol. 102, fol. 39. — Lettres fr. II. 87. Trad. angl. III. 257.)

La dilection de Dieu nostre Pere et la grace de nostre Seigneur Iesus Christ soit trousiours sur vous par la communication du Sainct Esprit.

Treschers et honorez freres, ie loue Dieu de ce quil a encore tenu la bride a Satan, que les troubles quil a suscitez entre vous, ne vous ont pas du tout ruinez, et nont point mis sa povre Eglise en dissipation, comme le danger y estoit apparent. Iespere, comme il a commence dy remedier,[1]) quil amenera le tout a bonne issue. Ie voudroye bien my pouvoir employer plus amplement: tant y a que ie ne defaudray a macquitter de mon devoir, tant quil me sera possible, et que le moyen men sera donne.[2])

Ie mesbahis fort quil y a gens entre vous si difficiles a contenter, et mesmes qui veulent estre creus en leurs fantaisies propres, au lieu quil nous est commande de nous conformer les uns aux autres. Ie ne menquiers point lesquels sont plus suffisans en vostre Eglise, pour avoir le regime du corps.[3]) Ie presuppose que ceux qui ont este cognus tels, ont este esleus par la pluspart du peuple; mais encores quil y eust quelque petit nombre de gens qui iugeassent mieux que le reste, si est ce trop entrepris a eux de vouloir casser et abolir une election sous umbre quelle ne leur viendra point a gre, ou quil leur semble quon a este mal advise, ou mesme quil y aura eu faute en la procedure, comme iamais les choses ne sont conduites en telle perfection quil seroit a souhaitter. Au reste si quelques uns estans poussez dun zele non pas modere par mesure, mais mesle parmi des passions trop violentes, se sont escarmouche plus quil nestoit de besoin, ce sera a vous de les reduire avec toute douceur et humanite, oubliant ce qui a este dit ou faict inconsiderement, en lardeur des contentions qui ont agite toute vostre Eglise, en quoy ie ne doute point que ne soyez tout prests; qui est cause que ie me deporte[4]) de vous en exhorter plus au long. Car vous scavez la reigle que nous donne le S. Esprit pour nous reconcilier, cest que chasquun cede et quitte son droict, que nous cerchions plustost dedifier nos proches a salut, que de venir a bout de nos appetis, ce que iespere bien que vous tascherez de faire, comme aussi il en est besoin, attendu que les choses ont este ainsi meslees, il faut beaucoup pardonner.

Quant a ce que vous mavez escrit[5]) pour avoir un successeur a nostre bon frere, maistre *Richard*, combien quici nous aions aucuns hommes scavans qui desirent de servir a Dieu, et ont chemine en telle integrite avec nous que ie leur pourrois rendre tesmoignage, toutesfois pource que par ci devant vostre Eglise a desire davoir nostre frere maistre Guillaume *Olbrac*,[6]) et que ie le cognois homme bien exerce en lEscriture, de bon zele et loyaute, et tellement modere et rassis que ie lestimerois propre pour ce lieu, sil vous est possible dattendre encore deux mois, iaimerois mieux le choisir quun autre. Toutesfois, sil estoit encore alors retenu par lempeschement que le frere vous dira, ie vous escriray volontiers de ceux que nous vous pouvons presenter afin que vous y advisiez. Ie scai combien le fardeau doit estre pesant a nostre frere maistre *Valeran*, et pourtant ie vouldrois bien quon y eust pourveu tantost, mais vous voyez la raison qui me retarde, laquelle me sera pour excuse legitime, iusques a ce que iaye derechef cognu vostre vouloir.

Sur ce faisant fin, apres mestre recommande a vous et a vos bonnes prieres, ie suppliray nostre bon Dieu vous avoir en sa saincte garde; vous gouverner par son Esprit, et augmenter en tout bien. Mes freres et compaignons vous saluent. De Geneve, ce 3. de mars.[7])

2403.

ZERKINTES CALVINO.

Candide et modeste suum et in agendo et in iudicando constantem et aequabilem morem declarat, affirmatque non esse cur ipsum quisquam vel hypocriseos vel male affecti animi accuset, etsi non per omnia inter eos convenire fateatur.

2402. 1) *Ceci ne sera pas à prendre à la lettre. La lettre à Glaubourg n'en disait rien et la suite prouva le contraire.*

2) *Allusion à son projet de voyage.*

3) *On se rappelle les discussions relatives aux élections soit des anciens, soit de Poullain.*

4) depose *Bt.*

5) *Probablement après le refus de Perrucel.*

6) *Il avait eu des difficultés dans son ministère du comté de Neuchâtel, et on avait jeté les yeux sur lui pour Paris. N.* 2378.

7) *L'année* 1556 *ne saurait être douteuse.*

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 129.)

Praestantissimo et ornatissimo Christri Iesu in ecclesia Genevensi ministro Ioanni Calvino fratri in Domino venerando suo.

Gratas tibi fuisse meas [1]) de resarcienda civitatum inclinata amicitia literas, valde mihi gratulor. Neque vero de tuis [2]) esto sollicitus. Nolo enim te vereri ullum periculum ex mea vel incuria vel imprudentia, qui sic soleam tueri mihi credita, ut eorum perfidiam et malevolentiam semper accusarim qui tuas suffurati literas invidiam tibi ex his conflare apud nos voluerunt. Fidem enim et candorem animi tanti facio, ut quosvis cruciatus perferre tolerabilius ducam quam amici secreta prodere, maxime vero in meum sinum effusa. Sed hanc meam integritatem perpetuo comitata est nimia fortassis, caeterum aperta et sincera libertas quaedam monendi amicos, si qua in re mihi visi sunt rectum cursum status sui vel non tenere vel deseruisse. Neque id quorundam more facio susurris in aliorum aures amicorum errata mussitantium, aut impudentius per compita veluti ad incendium proclamantium. Ipsis illis quibuscum ago, si quid in vita moribus consiliis eorum desidero, palam testor qua in re nobis non conveniat, vel amicissimis eorum. Sic nuper *Vireto* scripsi [3]) displicere mihi rigorem illum [4]) adversus exactos, *Perrinum* et alios, simulque causas quae me movebant. Sic illum ipsum obiurgavi quod turbulento reipublicae statu argumentum tragicum pro concione tractasset. Sic tuo symmystae dixi *Raymundo*, non placere mihi formulam petitionis quam tuo et fratrum nomine senatui nostro offerebant nuper, ut insolentem quorundam libidinem contradicendi doctrinae praedestinationis compescerent. [5]) Urgebant enim senatum ad confessionem simul eius doctrinae, quam nunquam rarissimus quisque senatorum vel a limine salutavit. Sed qua rursus moderatione et aequitate in tua autoritate tuenda tuisque virtutibus asserendis apud amicos, inimicos et dubiae fidei homines me geram, malo te *Gyronum*, *Musculum*, *Hallerum*, *Triboletum* et alios quam me ipsum habere testes, imo totum senatum. Quum enim nuper rogatus sententiam de typo illo gradationis salutis et ad eam praedestinationis nostrae adessem in senatu, quanquam illa sententia quam typus et libellus incerti autoris praeferebat, non per omnia placebat, (quod literis etiam apud te sum testatus) respondi tamen modestissime, sententiam illam habere suos autores, et magnos quidem viros, tam veteres quam recentiores, maxime vero Augustinum, Lutherum, Bucerum et alios eximios theologos, quosdam aliter sentire: itaque suspendendum potius iudicium quam temere pronunciandum de re controversa. Ita mitigavi praeiudicia quorundam in tubalas [6]) illas admodum commota et irata. Sic soleo me publice et privatim gerere ne ullas voces emittam quae odia accendant potius quam restinguant. Inter haec tamen fieri non potest ut satisfiat omnibus, maxime quum consensus aliquis in aliorum sententias flagitatur. Ego vero te, utpote cordatum virum, credo aequiore animo ferre dissentientem quibusdam in rebus amicum, nimis (si ita vis) lenem, civilem, moderatum, adde etiam non satis acrem et rigidum erga malos, quam levem, immoderatum et rigidum assensorem. Utcunque enim simus in quarundam rerum et consiliorum tractatione paulo diversiore ingenio, habeatque forte uterque nostrum, una cum naturae stimulis et studiorum diversitate (quantum ad polytica * attinet) suas etiam privatas rationes rerum gerendarum, non debemus tamen rescindere amicitiae leges et iura ob istam ingeniorum imparitatem, neque sic alienari animis, quasi nihil habeamus commune quia non omnia. Itaque pone omnes suspiciones, mi *Calvine*. Si meo vel vitio vel errore tuo amore indignus sum, Christi tamen nomine cogita te mihi perpetuo obligatum. In quo ego te amare et colere non desinam quamdiu vivam. Vale, et amicos resaluta.

Spero fictam Caesaris et Regis pacem solidae nobis pacis occasionem daturas *. Saepe enim fit ut per externa pericula internae et domesticae discordiae sopiantur. Vale. Bernae 4°. Martii 1556.

Nicolaus tuus Zerchintes.

2404.

CALVINUS GLAUBURGO.

Laudat eius studium in concilianda pace in ecclesia Gallicana Francofurdensi mutuis criminationibus distracta et quum arbitrium ad ipsum in hac lite delatum sit, proponit componendae conditiones.

(Describimus ex Ionvillaei exemplari in Cod. Gen. 107a, fol. 127, coll. Turretini Cod. 108, fol. 64. Epp. Bern. VI. p. 628 et Simleri Vol. 87.)

2403. 1) *N.* 2388.
2) *N.* 2395.
3) *Non exstant.*
4) *in agenda causa contra exsules, quos de calumniis contra ipsum sparsis in iudicium vocarat.*
5) *De hac petitione, quantum nos quidem scimus, alibi nihil memoriae proditum est.*
6) *lege:* tabulas, *nempe Bezae, de praedestinatione.*

S. Prioribus tuis literis iam responderam, [1]) clarissime vir et honorande Domine, quum alterae mihi redditae sunt, [2]) quibus meum de Gallicanae ecclesiae, quae apud vos est, dissidiis consilium postulas, quo certius quid utile sit factu statuere liceat. Ego [3]) vero Deo non vulgares ago gratias, cuius mirabili providentia factum est, ut haec cognitio ad eum arbitrum veniret, qui hactenus se modis omnibus patrem miserae ecclesiae exhibuit. Tua enim praecipue et D. *Adolphi* [4]) opera hospitium istic adepta est. Atque ut eam liberaliter eratis amplexi, fovere et iuvare nunquam desiistis. Et nunc optimi et fidelissimi patroni munus imples, dum molestiam hanc suscipere non gravaris. Satis coniicio, quam multa tandem taedia tibi devoranda fuerint, quo plus laudis meretur animi tui moderatio, qua factum est, ut obstacula omnia superaveris. Superest extremus actus, quem, ut spero, eodem virtutis tenore absolves. Quamvis autem ecclesiam talibus discordiis lacerari triste sit ac luctuosum, hoc tamen in malis non leve solatium est, divinitus remedium oblatum esse, quo sedari queant, si modo non prorsus maneant insanabiles quibus tu paterna mansuetudine consulere paratus eris. Etsi autem satis tibi prudentiae suppetere confido, qua per te totum negotium transigas, quia tamen pro tua modestia sententiam meam audire cupis, familiariter et libere, quidquid sentio, tibi exponam.

Primum suspicor, *Augustinum* [5]) et similes (ut saepe ingenia discrepant) *Valerandi* nostri moribus offensos nimis cupide arripuisse alienationis causam: ac fieri potest, ut vitia quaedam ipsis merito displicuerint: sed zeli inconsiderati fervor ultra iustum modum eos impulit. Certe hoc plus quam iniquum fuit, quod, ut ministerio eum deiicerent, praetexere coeperunt, nondum fuisse electum pastorem. Qui enim ex funesta dissipatione [6]) exiguum gregem suo labore collegerat, absque solenni ritu legitimus debuit agnosci pastor. Quid enim suffragiis opus fuit quum ecclesiola fidem eius sequuta precibus eius obtinuerit, quod optabat, ac pastoris officium re ipsa detulerit? Perperam ergo et iniuste motam de eius ministerio controversiam iam fuisse existimo, ut semper testatus sum. Ut tamen ingenue fatear quod sentio, pars nonnulla culpae ab ipso *Valerando* videtur profecta, qui sponte se electioni subiecit, [7]) quum minime opus foret: ut solent interdum, inter contentionum impetus, multa leviter effluere. Verum si minus prudenter ministerium suum labefactare visus est, non tamen haec facilitas eorum ingratitudinem excusat, quibus debuit maiori esse in pretio, quum tam uberem eius fructum perciperent. Fecit deinde haec alienatio, ut non modo fastidio esset *Valerandi* doctrina, sed omnes eius actiones in sinistram partem traherentur: forte etiam *Valerandus* tum infestis eorum odiis se vexari cernens, tum etiam metuens a pravis et obliquis studiis, idoneis praesidiis se munire voluerit, illi contra ad eum in ordinem cogendum toto animo intenti essent. Hinc seniorum electio primum contentionem, pugnas deinde atroces peperit. [8]) Dum utrinque in hoc cursu pergunt, fieri potest, ut quaedam exciderint *Valerando*, quae non sine probabili colore isti in crimen torquent. Fatetur ipse alicubi, [9]) se incogitantia lapsum esse, durius eum urget adversa pars, et certe quod prior electio, quamvis nondum plane sancita esset, in nihilum redacta fuit, reprehensione non caret. Alia praetereo, in quibus nollem vel malae fidei vel ambitionis *Valerandum* nostrum damnare, sicut isti flagitant. Optarem certe prudentius egisse, ne calumniis foret obnoxius. Sed difficile est semper inter certamina tenere modum. Interea video *Augustinum* et reliquos exarsisse, quod spe sua votisque frustrati *Valerandum* superiorem videbant. [10])

Equidem in amico meo D. *Secelio* mihi hoc non probatur, quod senioris munere ante tempus se abdicaverit. [11]) Quam iustas habuerit causas non disputo: quia suum consilium hac in re nunquam mihi aperuit, et hac de re nihil mihi innotuit, nisi ex *Valerandi* relatu. Forma tamen agendi mihi displicet, quia intempestiva fuit, et ecclesiae parum utilis. Ut mihi comperta est hominis integritas et candor, pio affectu impulsum fuisse non dubito. Verum, si quid peccavit, damnare malo, quam amicitiae praetextu tueri.

2404. 1) *N.* 2398.

2) *quae desiderantur.*

3) *Ionvillaeus primum scripserat:* Ego vero Christo non vulgares ago gratias qui te ad hanc molestiam subeundam spiritu suo adduxit, si hactenus patronus fuisti miserae ecclesiae. *Non liquet utrum Glauburgo arbitrium delatum sit an ipse se sponte mediatorem obtulerit istis hominibus qui vel in exsilio suas tristes controversias compescere non sustinebant.*

4) *Pollanus in suo* Antidoto adv. Ioach. Westphali pestilens consilium (1557 *in Frankf. Rel. Hdl. II. Beil.*) *dicit p.* 222 *se Beyero autore hunc Adolphum adiisse, per quem a senatu voti compos factus sit.*

5) *Hunc denuo ut adversariorum antesignanum notat, non tamen infitias ire videtur quin et ipse Pollanus aliqua ex parte iis ansam clamandi praebuerit. Nomen ei fuit Le Grand, et occurrit in Actis.* (*Rel. Hdl. I. Beil.* 23. 25.)

6) *Hoc insigne Valerandi meritum etiam alibi adversariis considerandum proponit* (*N.* 2363. 2402) *quippe sine cuius prudentia fortasse nihil obtinuerint.*

7) *Hoc nuperrime factum fuisse videtur, quum antea eius rei mentio nulla occurrerit.*

8) *Quamquam de his iam saepius dictum sit, si universum expositionis tenorem respexeris, haec quoque electio recens facta videtur. Etiam infra de priore electione loquitur.*

9) *Et quidem non semel in prioribus epistolis.*

10) *In nova scil. electione qua adversarii victi fuerunt.*

11) *De Secelio ita loquitur ut eum ex adversariorum numero eximere videatur.*

Ut nunc ad alios revertar, quamvis excusabilis sit eorum morositas, quia non omni prorsus ratione carere videtur, pertinaciae tamen venia dari non potest, qua seniorum electionem irritam facere conantur.[12]) Quales sint ipsi seniores non pronuncio, certe et pios homines et gloriae Dei studiosos esse arbitror. Sed ut *Augustini* et quorundam iudicio minus apti sint, paci tamen et concordiae hoc dandum esse censeo.

Quod ad meas coniecturas spectat, vides, clarissime vir, quam libere eas in sinum tuum deposuerim. Quanquam autem singula capita non recenseo, non tamen est quod dubites, acta me diligenter legisse. Nunc si penes me esset causae arbitrium, quid essem dicturus, summatim complectar.[13]) Primo dicerem, indigne *Valerando* litem intendi de suo ministerio, quod Dei beneficio istic continuatum nova electione non indiget, itaque pro legitimo pastore habendum esse. Secundo dicerem, quaecunque in seniorum electione vitia profert *Augustinus*, non tanti esse, ut cum exitiali ecclesiae dissidio abdicari suo numere debeant. Adderem, quaecunque commemorat non sufficere ad vitiandam electionem, et sine Dei offensa tolerari tam ab ipso quam a reliquis posse, non minore autem Dei offensa quam ecclesiae iactura tumultuose convelli. Iuberem itaque seniores manere suo loco, donec adveniat maturum et more usuque praescriptum mutationis tempus. Tertio iuberem sic *Augustinum* et reliquos ministris omnibus reconciliari, ut quae utrinque elapsa sunt, mutuo condonentur. Porro, si enixius contendat pars adversa, quo melius flectatur obstinatio, demonstrare promptum erit, eorum culpa factum esse, ut ad electionem, de qua nunc intempestive litigant,[14]) progressa sit ecclesia. Silentio enim res transacta fuit, nisi quod *Augustino* expressa fuit confessio, quam alioqui supprimere tentabat. Frivolum vero cavillum est, ubi verbo Domini probata fuerit electio haec legitima, sibi quoque ratam fore. Quia enim privati hominis non est acta publica rescindere, nisi fraus manifesta appareat, nemo eum nisi probatione instructum ad accusationem admittet. Si queratur ecclesia, se dolo fuisse circumventam, si quae perfidia deprehensa fuerit, si palam sit tyrannide vel ambitione vel malis artibus eversum fuisse sanctum ordinem, victores erunt qui seniores rite creatos negant. Caeterum, quamvis non recte actum esse iudicent, monendi tamen sunt, ne usque ad ecclesiae dissipationem indulgeant suis coniecturis. Quum aeque ut ego ecclesiolae consultum cupias, praestantissime vir, facilis, ut spero, inter nos erit consensus. Nam ut mihi cavendum duxi, ne in *Valerandum* et seniores essem propensior, ita ratio quam attigi ad cohibendam eorum intemperiem, qui sub zeli specie sibi nimium addicti sunt, videtur non male esse apposita. Vale, ornatissime vir et Domine ex animo venerande. Christus te in dies suis donis magis locupletet, fulciat sua virtute et praesidio tueatur. Genevae 3. Nonas Martii 1556.

12) *Ergo tertiam fieri postulabant.*

13) *Haec sic intelligenda ut dicas Calvinum Glauburgo proponere qua ratione arbitri officio fungi debeat.*

14) *scil. ea ipsa quam supra diximus nuperrime factam.*

2405.

CALVINUS POLLANO.

Varia tractat ad historiam coetus gallici Francofurtensis pertinentia, tam privata quam publica, scil. Pollani cum ecclesia et senioribus disceptationes, confessionem sacramentariam, controversiam cum Germanis etc.

(Exstat exemplar a Ionvillaeo scriptum a Calvino correctum in Cod. Genev. 107[a], fol. 125. Turretinus habet Cod. 108, fol. 65, Bernae legitur in Epp. VI. 634 et apud Simlerum Vol. 87.)

Valerando Pollano.[1])

Quia prioribus tuis literis acceptis, mi *Valerande*, perplexus adhuc haerebam, responsionem ad nundinas usque differre visum fuerat. Interea veniunt alterae,[2]) et tuae et clar. viri D. *Clawburgi*, ex quibus rursum intelligo infaustae contentionis incendium adhuc flagrare, imo violentius quam antehac grassari. Etsi autem admirabili Dei providentia vobis optime consultum[3]) est, quod D. *Clawburgus*, fidelis ecclesiae vestrae patronus, causae huius arbitrium in se suscepit: dum tamen strenue suas ipse suas partes agit, te simul eniti decet ad sincerae reconciliationis studium. Quia procul absum et me permulta fugiunt, non occurrunt in promptu remedia, quae forte ex praesenti intuitu apta et utilia esse cognoscerem. Ne quis tamen invidiam fugitare me putaret, sententiae meae summam libere et sine fuco apud D. *Clawburgum* exposui.[4]) Quia vero te moneri postulas, quaedam

2405. 1) *Calvinus mpr. in margine.*

2) *Duas habemus Pollani hac hyeme scriptas (N. 2352 et 2385). Utrum ad has respiciat, an tertia aliqua intercederit, nescimus. Glauburgi epistola desideratur.*

3) *Sic ipse C. Antea scriptum erat:* prospectum.

4) *in praecedenti.*

hic perstringam quae fides mea et officii ratio dissimulare non patitur.

Quod de ministerio tuo controversiam moverunt qui tibi minus erant propitii, perperam et inhumaniter ab illis factum esse non nego. Sed vide ne tua imprudentia litigandi ansam ipsis porrexeris. Quorsum enim novae electionis vel examinis mentio, nisi ut te huiusmodi procellis obiiceres? Nec vero me latet tua exceptio, ut os malevolis obstrueres te omnes satisfactionis vias quaesiisse. Si hoc tibi ad eos placandos conducere visum est, factum potius quam dictum esse oportuit. Verum si pro tua vocatione cordate semper loquutus esses, clausa erat omnibus litibus ianua. Nunc dum nimis submisse suffragiis exponis tuum ministerium, nunc animosius legitimum esse asseris,[5]) fecit haec inaequalitas ut confidentius in te insurgerent, quibus alioqui non ita gratus eras. Nisi enim adulatoris magis quam amici partes velim suscipere, blandiri in hac parte nequeo. Et certe omnes fere aequabilem in te agendi tenorem desiderant: neque tamen ideo venia dignos arbitror qui plausibilem occasionem nacti praeter ius et fas te vexarunt. Debuit enim extra controversiam constare vocationi tuae fides.

In creandis etiam senioribus nonnihil culpae ascribere tibi cogor, idque tua scire refert, ut cognito malorum fonte magis placabilem te praebeas. Video quam maligne in sinistram partem torqueat *Augustinus* quae humaniter interpretari debuerat. Video quam acerbe et duriter exagitet levia errata. In eo tamen minime deceptum arbitror quod tibi propositum fuisse iudicavit, eos solos quorum tibi grata esset coniunctio in seniorum ordinem cooptare. Itaque ad conflictum se iam tunc paravit. Hinc pravae suspiciones, hinc susurri, hinc clandestina colloquia, hinc denique emersit contentionum ignis. Utinam vero in nova electione[6]) retenti fuissent qui prius erant designati. Negas perfectum fuisse examen: atqui saltem instar praeiudicii valere debuit quod gestum erat. Itaque offensos fuisse non miror qui ad te observandum quasi in excubiis vigiles sedebant: et tamen, quod discessionem ab ecclesia facere malunt quam electioni subscribere, quia res ex eorum voto non successit, pertinaciam eorum damno. Optandum quidem est ut sponte se ipsi cogant in ordinem ac vobiscum in gratiam placide redire studeant. Sin vero maneant inflexibiles, ferendum non erit hoc divortium, sed forte D. *Clawburgus* quid dederim consilii tibi aperiet.

Quod ad *Secelium*[7]) meum pertinet, si hac iter fecerit per me non stabit quominus ad vos mitigatus adeoque placatus redeat. Reconciliationem tibi esse cordi facile mihi persuades, sed in apologia tibi obrepsit eius rei oblivio. Gravius enim quam vellem in eum, et quidem non gravi de causa, invectus es. Me tamen daturum operam polliceor, ne ministerii tui cursum impediat, vel se a societate vestra disiungat. Neque enim dissimulo, quod se munere abdicavit mihi reprehensione dignum videri. Ego vero non ita praefractum esse arbitror quin sanis consiliis et amicis monitionibus obtemperet.

Germanos concionatores tibi molestos esse vehementer doleo. Rogandus Deus est ut bonam causam suo patrocinio tuendam suscipiat. Quanquam ad amplissimum senatum scripsi,[8]) non ausus tamen sum palam me deprecatorem interponere. Imo a vestri commendatione consulto abstinui, quia adversae partis ferociam commodius alia via sperabam cohiberi posse, quae si D. *Clawburgo* non placuerit quod suadebit sequar: nam quid expediat probe tenet, me vero imperitia timidum reddit.

Formam Consensionis a *Bucero* compositam legi, quam excepto uno et altero capite pacis causa amplecti non dubitarem. Itaque, si mihi credis, alias refutationes omittes. Nam quod ad primum et tertium articulum addendum esse notas: vera fide, nimis anxium esse videtur. Supervacua est etiam ad secundum articulum annotatio, quia certum est *Bucerum* id sensisse. Nulla etiam necessitas cogit curiositatem quae in quarto articulo reiicitur defendere. De quinto articulo tibi assentior, cuius explicatio scrupulos omnes alios discuteret. Ubiquitatem quoque vellem excludi. A reliquis omnibus supersedere tuto licebit. Vide ergo annon magis expediat et ad conciliandum tibi favorem aptius sit, quae periculo carent sine controversia admittere, declaratione illa ad finem addita quam subticere fas non est. Nam sicuti me autore nunquam ab ingenua sinceraque confessione deflectes, ita ut ab odioso fastidio caveas semper hortator tibi ero.

De *Schnepffii* libello tibi ago gratias: si in tempore venisset locum reperisset in mensa sodalis sui *Westphali*: sed iam elapsa erat opportunitas. De *Illirico* miror, qui proxima aestate ad Robertum *Stephanum* scribens reverenter me salutavit. Quanquam fieri potest ut eodem quo *Schnepffius* oestro percitus in me prosiliat. Hunc enim aliquando memini plus quam suaviter mihi blandiri, qui nunc sibi mecum nihil unquam fuisse fingit. Verum libro nuper contra *Westphalum* edito satis superque ad naenias istas, quibus nihil putidius est vel magis insulsum, refutandas defunctus videor.

Est hic Anglus quidam qui se honeste apud

5) *Recte notat viri inconstantiam qui suum tramitem firmo pede sequi nesciebat.*

6) *de qua saepius in praecedenti.*

7) *Haec respondent ad recentem Pollani quae nobis quidem ultima fuit.*

8) *Non exstat.*

nos gessit: sed antequam istinc migraret iniecta fuerat a muliere nescio qua oblati stupri suspicio. Quam licet tunc absterserit, quia tamen quibusdam nondum esse satisfactum intelligit, se ad solidam purgationem offerre paratus est. Reverendum ergo fratrem nostrum D. *a Lasco* rogabis, ut hominem ab Anglis ad crimen diluendum admitti curet. Nunc quia nihil erat novi ad eum non scripsi. Salutabis eum meo nomine diligenter. Collegae mei plurimam tibi et reliquis amicis salutem dicunt. Vale, frater carissime. Dominus tibi semper adsit, regat te suo spiritu laboresque tuos benedicat. Uxorem tuam salvere cupio. Gaudeo vobis aliquid relaxationis a peste datum esse, etsi ut audio permulti vobis erepti sunt, inter quos lectissimam sororem nostram sancti martyris viduam [9]) numero, cuius mors non parvum nobis moerorem attulit. Iterum vale. Genevae 3. Nonas Martii 1556.

2406.

BULLINGERUS CALVINO.

Mittit ei Apologiam suam contra Westphalum scriptam. Verum controversiam ea non sepultum iri ex Schnepfii et Timanni libellis patere ait. Etiam Bernae a legatis nil actum.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 93, coll. c. Cod. 111a, fol. 215. Epp. Bern. VI. p. 833 et Simler. Vol. 87.)

S. D. Accipe iam et meum conatum contra communes hostes. [1]) Coniungo me tibi in pugna, etsi non viribus paribus, voluntate tamen promptissima. Sic autem adhuc pugno, ut subinde pacem offeram. Si illi perrexerint instare nobis, quod omnino futurum arbitror, invocato Dei auxilio alacres et strenui nos illis opponemus. Coniungent se nobis forte et alii. [Scis scripsisse etiam *Bernardinum* nostrum: nam puto ab ipso tibi exemplum missum.] [2]) In praesenti meae Apologiae exemplum mitto. Si quid in illa displiceat, oro ut libere indices. Quid de tua defensione iudicem, leges in mea expositione.

Intelligo autem ex postremis tuis, Erhardum *Schneppfium* contra te scripsisse. [3]) Ignorabam hoc, nec librum eius vidi hactenus. Fortassis tu non vidisti librum *Timani* satis copiosum Bremensis pastoris contra nos editum. [4]) Prodibunt hac aestate contra nos multo plures. Nam video istos homines exuisse omnem modestiam, destitutos esse omni caritate, et ideo nihili facere simplicium offendicula, et communium hostium gaudia. Metuo ne gravis aliqua calamitas ipsos aliquando sit oppressura. [Ego de his omnem prope spem abieci.] [5]) Oderunt nos gravius, quam ullos papistas aut Anabaptistas. Dominus misereatur illorum, et respiciat nos oculis gratiae suae.

Redierunt sane legati, [6]) nec reportarunt quod exspectabamus omnes. Nondum tamen spem abiicimus. Oremus ergo Dominum, ut is hoc negotium moderetur. In nostris nulla erit mora. Quidquid ad conciliationem conferre poterunt, conferent libentissime. Tu quod facis, facere perge, ne tui ex indignatione aliquid agant, cuius postea cum exitio poeniteat sero nimis. Dominus Deus noster adsit nobis. Amen. Vale. Tiguri 9. Martii 1556.

In Germania omnia convulsa sunt. Metuo Dominum gravi castigatione nos redacturum in ordinem. Vigilemus ergo et oremus. Salutant te fratres. Saluta omnes symmystas.

Bullingerus tuus.

2407.

UTENHOVIUS CALVINO.

Versionem N. T. in linguam vernaculam Saxoniae inferioris parat. Exspectat Calvini Antidoton contra Westphalum: ipsi tamen autor est ut de re sacramentaria scribens lucidioribus formulis utatur. Melanchthon de epistola quadam a Westphalo edita interpellandus. Micronii disputatio contra Anabaptistam. Calvinum invitat ad iter Francofordiam versus faciendum.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 178. Inscriptio desideratur.)

9) *Hoperi, Annam de Tserclas ex Belgio oriundam.* (*Strype, Mem.* II. 1, *p.* 399; 2, *p.* 570.) *Exstant epistolae quaedam eius ad Bullingerum in Parkerianis. Filiam eius Rachelem cum ea simul obiisse tradit Simlerus qui eius nomen* Sincroles *scribit, puerum Danielem solum superstitem fuisse ait.*

2406. 1) Apologeticam expositionem. *De qua N.* 2379. 2382. 2392.

2) *Haec a Beza cancellata. De Ochini libro v. N.* 2353. 2382.

3) *Cf. N.* 2385. 2405.

4) *N.* 2305. 2332.

5) *Etiam haec uncis inclusa.*

6) *Turicenses cum aliis Bernam missi foederis Genevensis causa.*

S. P. Nos hic hactenus, vir clarissime, laboravimus vertendo novum testamentum Christi Domini in eiusmodi linguam quae toti inferiori Germaniae usui esse possit, idque ad exemplar illud Rob. *Stephani* a 1550 Lutetiae magna forma excusum. Postquam vero, opera Godfridi *Wingii* [1]) qui mihi convivit adiutus, nostram versionem absolvissem, contulimus eam cum M. *Micronio* [2]) ac item P. *Deloeno* [3]) ministris ecclesiae nostrae germanicae Londinensis nunc dissipatae, ad illud ipsum autographum, adhibitis interim aliis graecis exemplaribus variisque latinis ac nonnullis germanicis helveticis saxonicis brabanticis gallicis anglicisque versionibus. Nos enim, quia ignoratorum autorum labores obnoxii fere sunt suspicionibus, volumus eam evulgare sub nomine illius ecclesiae, ac etiam D. *a Lasco*, qui suas iam nunc in novum testamentum ad me misit observationes. [4]) Atque ita factum est ut amicis meis, ne colendissimis quidem, licuerit interea operam scribendo dare. Quare te etiam atque etiam rogo ut non aegre feras meum hoc diuturnum silentium, neve existimes me tui interea immemorem fuisse, cuius et in precibus meis et in privatis passim colloquiis ac conventibus, quoties ratio Deique gloria ita postulat, immemor esse non possum.

Scripsit nunc nobis D. *a Lasco* te non ita pridem accepisse literas multo amicissimas vereque benevolas a *Sigismundo* rege Poloniae, [5]) quo nomine admodum sumus exhilarati, existimantes verosimiliter eum bonamque Poloniae partem a doctrina tua non abhorrere, id quod nobis hic aliunde etiam non semel est significatum. Faxit Dominus Deus ut florentissimum illud regnum a regno Satanae papisticaque impietate liberetur sinceraque religione imbuatur, ne ullo modo fanatica illa lue Lutheranorum inficiatur, qui non minus infensi infestique sunt nobis atque papistis et Anabaptistis ipsis, ne dicam magis. Ioachimus *Westphalus* evulgavit nuper libellum [6]) quendam adversum te, in quo pulchre theologum agit scilicet. Adversus cuius rabidos morsus tuum nunc exspectamus antidotum. [7]) Ecclesia Christi poterat quidem carere eiusmodi ingeniis quae ad turbandam tantum illam nata videntur. Verum dum Deo ita visum est ad exercendos suos, pie sane facis qui te Davo illi aut potius Thrasoni Terentiano fortiter in modestia christiana opponis. Illud interim te rogo teque rogant fratres passim omnes ut, quatenus omnino possis, in tuis scriptis abstineas ab obscurioribus loquendi formulis dum agis de re sacramentaria, nisi mox saltem interpretationem subnectas. Nam tametsi te aliis locis satis interpreteris, sic ut sententia tua dilucide haberi possit, tamen multi semilutherani, quia tua autoritate adhuc nituntur tibique multum deferunt, trahunt ea quae obscurius a te quibusdam locis sunt scripta ad confirmandam suam de quadam praesentia corporis Christi in coena Domini opinionem, eaque relictis clarioribus locis imperitioribus, quibus tua omnia legere non datur, obtrudunt, ut eos etiam tua autoritate fallant, inque suam ipsorum sententiam post se abducant. Utcunque est, plurimis hac ratione imponitur: cuius ego pro meo candore meoque in te animo te nunc monitum volui, rogans ut meam hanc admonitionem aequanimiter feras, sicuti facturum te, quae tua est pietas, nihil addubito.

Porro audiveramus hic pridem te tuis literis hoc animo ursisse Phil. *Melancthonem* [8]) ut in hoc recrudescente certamine sacramentario suam aperte profiteretur sententiam, ne ecclesiam diutius, quod sententiam eius attinet, suspenderet. Quo nomine valde exhilarabamur, sperantes fore ut ipse pro nostra sententia, a qua multis clam visus est non esse alienus, aperte diserteque staturum esse. Interea vero prodit quaedam epistola sub nomine *Melancthonis*, [9]) in male feriata illa nupera Farragine Lutheranorum tibi, ut opinor, visa: in qua scribit autor eius epistolae, praeter alia mendacia et non ferendas calumnias, nullam esse mentionem fidei iustificationis in omnibus Zwinglianorum libris. Quo nomine serio provocandus esset nunc *Philippus*, ut

---

2407. 1) *Laudatur ut collaborator Guidonis de Brès et aliorum in condenda confessione belgica a.* 1561. (*Niemeyer collect. conf. praef. p.* 53.) *Paulus a Wingen s. Wincken, fortasse frater eius, laudatur ab Utenhovio in hist. peregrinationis exsulum, et fuit eorum diaconus quum Lubecam appellerent. Bertram in hist. Io. a Lasco eundem dicit huius liberorum praeceptorem fuisse et cum eo in Poloniam abiisse.*

2) *Tum temporis v. d. m. apud Nordenenses. Obiit peste* 1559.

3) *Alibi Gualterus appellatur. Londini N. T. versionem Erasmi retractaverat.*

4) *Utenhovii et sociorum N. T. ad fidem ed. Stephani a.* 1550 *versum prodiit m. Nov.* 1556. 12. (*Le Long, Boekzaal des nederd. Bijbels. p.* 709. *Kuyper, Lasco I. praef.* 118.)

5) *De hac epistola Calvinus ad Regem N.* 2362.

6) *Iustam Defensionem adv. sacramentar.*

7) *Iam editum erat m. Ianuario.*

8) *N.* 2278.

9) *Scil. in Timanni farragine p.* 171 *legitur Philippi ep. ad Mart. Gorolicium pastorem Brunsvicensem (a.* 1530 *scriptam, quod tacet ille) in qua dixerat:* Nulla est mentio fidei iustificantis in omnibus Zwinglianorum libris. Quum nominant fidem non intelligunt illam quae credit remissionem peccatorum, quae credit nos recipi in gratiam, exaudiri et defendi a Deo, sed intelligunt historicam . . . . . Ego agnovi [*in colloquio Marburgensi*] quam nullam habeant christianam doctrinam: tantum pueriliter philosophantur . . . . . Ego mori malim quam hoc adfirmare quod illi adfirmant, Christi corpus non posse nisi in uno loco esse. *Melanchthon. Timannum rogaverat ut Farraginem suam edere supersederet.* (*Corp. Ref.* VIII. 337.) *Ipsam illam epistolam ex Conf. fidei de euchar. saxon. eccl.* 1557, *praebet Corpus Ref.* II. 24 *de Timanno tacens.*

vel agnosceret hanc epistolam pro sua, vel publico scripto negaret suam esse.

Micronius noster, qui hic nunc pastorem agit, ante octodecim plus minus dies disputavit hic publice coram nobilibus aliquot ac ingenti multitudine in templo quodam, ad integrum triduum, adversus quendam ministrum Anabaptistarum [10]) qui coeperat cives haeresi sua inficere pastoresque falsae doctrinae passim insimulare. Disputatio vero habita est de incarnatione Christi Domini quam alter ille vehementi studio impugnavit. Et sane initio quaedam in speciem verosimilia videbatur adferre, quae fucum aliquem facere potuissent simplicioribus. Verum Dominus eam dedit gratiam *Micronio* ut omnia illius virulenta tela facile exstingueret retunderetque, sinceramque doctrinam solidis scripturarum argumentis constabiliret adversarioque os obturaret. Nam quanquam ille se omnia ex tripode habere, exque spiritu sancto tantum loqui non semel publice dixisset, tamen tandem coram toto coetu coactus est agnoscere se nihil reliquum habere quod diceret, spiritumque sanctum nihil ei amplius suppeditare. Adeoque multa inter disputandum adferebat stulta, absurda, mendacia et inconstantia, ut facile fuerit plebi cognoscere, illum ex spiritu Satanae loquutum fuisse. Ex qua disputatione adeo confirmatus est populus ut nihil supra.

Caeterum nos iam scripsimus literas ad ecclesiam gallicam [11]) quae est Francoforti, commonentes eam ad concordiam. Metuendum est enim, si Dominus huic malo non medeatur, ne ipsi totam peregrinorum ecclesiam in periculum trahant. Tu hic non parum pro tua autoritate, tuis literis aut etiam praesentia tua, si opus esset, conferre posses. Et sane ego in hac re tantum momenti video situm esse, ut operae pretium facturus sis si eo descendas, quo eadem opera cum D. *a Lasco* ante eius abitum in Poloniam [12]) de rebus ad ecclesiae concordiam facientibus conferre possis. Cuius viri vel conspectus, quae eius sunt rarae dotes, non parum voluptatis tibi esset allaturus. Ego non semel vocatus sum a D. *a Lasco* ac fratribus Flandriae ecclesiae Francofordiam. [13]) Verum eo res meae sunt loco ut commode hinc decedere mihi adhuc non liceat. Interim me, quantus sum, Domino mancipavi: faciat ille de me quod bonum sibi videtur, ad nominis sui gloriam. M. *Micronius* ac Godfridus *Wingius*, quanquam de facie ignotus, te iubent plurimum perofficiose salvere. Saluta mihi quaeso Nicolaum *Gallasium*, Io. *a S. Andrea*, *Raymundum* ac reliquos fratres qui istic sunt. D. *Normannico* ex me quoque plurimam salutem dicito, ut interim *Anthonium* fratrem tuum ac Nicolaum *Ferreum* non praetermittam. Vale, vir clarissime mihique perpetuo observande in Christo Domino, cui ego tuum ministerium, ut illud efficax reddat suo spiritu, commendo ex animo. Nordae Phrysiorum 9. Martii 1556.

Tuus ut suus
Io. Utenhovius.

10) *Mennonem, de quo Micr. ad Bull. ex Norda d.* 5. *Mart. scribit:* Negotium hisce diebus non parum exhibuit hic nobis Anabaptista quidam, passim nos apud plebem pro falsis traducens doctoribus, quique diffugeremus male nobis conscii publicum cum ipso suscipere colloquium. Res eo perducta est ut in hisce bacchanalibus in totius ecclesiae conspectu per totum triduum sit disputatum, de incarnatione Christi, cuius ille originem statuebat modo ex substantia spiritus sancti, modo ex substantia Dei patris, repente ex verbi natura procreatum ex nihilo. Quumque tam esset in doctrina inconstans nec argumenti obiecta se diceret posse diluere, veritas triumphavit. Ille cum summo pudore alio iam commigrare cogitur cum suis *caett.* (*Ottii Annal. Anab. p.* 122.) *Cum eodem iam a.* 1553 *Vismariae disputaverat, postea edita relatione* 1555, *contra quam* 1556 *prodiit:* Bescheyden Antwoordt *etc. in Mennonis Opp. Amst.* 1681, *fol. p.* 543 *sq.* (*Cf. Cramer, Leven van M. Simons, Amst.* 1837. *Salig* II. 1100.)

11) *deperditas.*

12) *Quo abiit m. Octobre.* (*Bertram p.* 401.)

2408.

UTENHOVIUS BULLINGERO.

Calvinum a Polonis recipi gaudet. Ille tamen admonendus ut quum de sacramentis scribit minus obscuris formulis utatur.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. III, olim Scrin. B. Epp. Tom. VI. P. I. fol. 1521. — Simler. Vol. 87.)

Clarissimo viro. D. Heinrycho Bullingero pastori ecclesiae Tigurinorum vigilantissimo amico ac fratri vere observando.

— — — — — — — — — — [1]) Scripsit nunc nobis D. *a Lasco*, D. *Calvinum* non ita pridem accepisse literas vere benevolas a *Sigismundo* Rege Poloniae, quo nomine admodum sumus exhilarati, existimantes verosimiliter, eum bonamque Poloniae partem a doctrina *Calvini* non abhorrere, id quod nobis hic aliunde etiam non semel est significatum. Faxit Dominus ut regnum illud a tyrannide Satanae papisticaque impietate tandem liberetur, since-

13) *Vide N.* 2295 *seq.* 2338 *et quae annotavimus. Lascus Dathaenum minus aetate provectum putare poterat* (*natus erat Cassellis in Flandria a.* 1531 *vel* 1532 *Ter Haar*) *et ideo ei alium quempiam adiungere volebat.*

2408. 1) *Initium epistolae verbo tenus congruit cum praecedenti scil. de versione S. S. in linguam Germaniae inferioris.*

raque religione imbuatur, ne ullo modo fanatica illa lue Lutheranorum inficiatur qui non minus infensi infestique sunt nobis, quam summis papistis ac Anabaptistis ipsis, ne dicam magis. Admonui nunc *Calvinum* dum de re sacramentaria scribit, ab obscurioribus loquendi formulis [2]) abstineret propter rationes varias, quas non est operae pretium apud te recensere, et te rogo, quanto possum studio, ut et tu et D. *Bibliander* eum huius etiam admoneatis. Quantum enim periculi in illis loquendi formulis sit situm, ipsi me multo melius nostis. — — — — — — — — — — — — — Nordae Physiorum 1556. 9. Martii.

Tuus ut suus, Io. Utenhovius.

2409.

VIRETUS CALVINO.

Quo animo et qua ratione litem cum calumniatoribus inire non recusare potuerit. Zerkintes laudatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 50.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino fido Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae coniunctissimo ac plurimum observando.

Genevae.

S. Ego vero idem mihi optavi quod iure optas. Maluissem excipi durius, et causae non meae sed Christi maiorem, ut merebatur, rationem habitam esse. Sed ubi totius rei gestae [1]) historiam plenius ac certius cognoveris, intelliges aliter mea ex parte fieri non potuisse. Obfirmavi quoad potui animum ne me facile vinci paterer. Dixi satis gravi oratione quae causa postulabat. Suspecti erant valde tam blandi quorundam vultus. Ego etsi ea non sum modestia et mansuetudine qua me praeditum esse cupio, fateor tamen naturae meae in resistendo vim fecisse priusquam quidquam concederem. Lupum auribus tenebam. Quocunque me verterem videbam me non posse hominum calumnias effugere. Elegi amicorum moderatioris ingenii consilio quod me magis decere videbatur. Videbam quid allatura essent extrema consilia. Sic comparatum est iure ut qui iudices esse debent fiant intercessores. Si certum cursum tenere non possumus, praestat nostram accusare lenitatem quam asperitatem, si modo ea est moderatio quae non sit penitus intolerabilis.

Interea valde discrucior novis molestiis quibus cum veteribus, quarum iam erat plus satis, indies magis atque magis torqueris. Sed quid agas? Ne haec quidem sine numine. Exspectandum tempus est quo statuit Dominus haec omnia in adversarios retorquere. Tu interea persiste fortis in tua statione. Sequuntur gloriosiores victoriae bella periculosiora.

Zerkintes suis literis [2]) idem refert quod alias saepe. Praestat tales habere qui, etsi per omnia votis nostris non respondent, nobis tamen non sunt inimici. De morte *Abelis* [3]) audiveram. De alterius abdicatione [4]) nihildum intellexeram, nisi de crimine. Haec multo iudico graviora quae vera comperiuntur, quam falsae * omnes calumniae quibus gravantur innocentes. Hic nos intus et foris oportet exerceri. Literas *Zerkintae Bezae* dedi legendas, ut iussisti, [5]) qui eas tibi referendas curavit. Salutem multam dicunt amici omnes, nominatim tota mea familia. Vale. Lausannae 13. Martii.

Tuus Petrus Viretus.

2410.

HALLERUS BULLINGERO.

Iudicium de eius, Ochini et Calvini scriptis apologeticis contra Westphalum. [1])

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 115, olim Scrin. B. Epp. Tom. VIII. fol. 2955. — Simler. Vol. 87.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino ac compatri carissimo et colendissimo.

Zürich.

— — — — — — — — — — — — — — — — — — Quoniam autem meum expetis quoque iudicium, quamvis illud exiguum et nullum sit, dicam

2) *Ecce purum putum Zwinglianismum, cui Calvini formula obscura dicitur quia in simplici interpretatione quam hodie rationalistarum diceremus non subsistit.*

2409. 1) *litis cum Vandelio.*

2) *N.* 2403.

3) *Poupinus obiit a. d. III. Nonas Martias. Vide Bezae proxime sequentem.*

4) *Io. Fabri. Vide ibid.*

5) *Fortasse in eum finem ut quid respondere deberet ab amicis audiret.*

2410. 1) *Cf. de iidem Moenckebergium in libro: Westphal und Calvin, p.* 52, 84, 87 *omnino aliter iudicantem.*

tamen, non ut tibi adulari velim sed ut veritatem fatear, prae reliquorum omnium scriptis, tuam defensionem, non mihi modo, sed et omnibus nobis, placere et probari. Praeter enim placidam illam omnium rerum tractationem, quae non potest non cuique probo probari, res ipsa adeo luculenter, docte et dextre explicatur, ut speremus omnes, plurimum operam hanc tuam apud adversarios effecturam. Et ut videas, me non ex affectu iudicare sed candide, dico quod D. *Bernhardini* tractatio omnino mihi non placeat. Non quidem quod argumentum ipsum et materiam, sed quod tractandi rationem, argumentorum vim et explicandi dexteritatem attinet. Praeter enim dialecticam suam omnia videntur ieiuna admodum et tali viro parum digna. Velim ergo eum pugnandi locum aliis committere, ne una secum doctrinam ipsam ludibrio exponat. Boni consules, scio, meam hanc libertatem. Tecum ago. Vidi te honestam illius operae in tuo quoque scripto fecisse mentionem, sed non talis est scriptor, qualem putabam. *Calvini* etiam secundam defensionem legi, qui suos semper habet loquendi modos, quorum aliquos video te quoque in tuo notasse, imo explicasse scripto, utpote quod distinguit quodam modo inter fidem et manducationem Christi. Interea tamen cordatis omnibus se ipsum explicando satisfacit. Quanta vero in illo vis pugnandi? quantus verborum fervor et impetus? quanta in dimicando agilitas? Metuo ne hic quoque sit nimius, et impetu magis, quam nos deceat, feratur. Sed tale est ingenium eius. Haec mihi inprimis in ipso placent, quae in fine fere de privata absolutione, examine ante coenam, coena ad aegrotos deferenda etc. scripsit. Vides itaque me legisse haec, et quale sit meum iudicium. Tu boni consule. Tibi, non aliis scribo et sic quoque de aliis iudico, quoniam ipsos diligo. Vale. — — — — — — — — — — — — — — — — — — Bernae 15. Martii 1556.

I. H. tuus.

2411.

BEZA FARELLO.

Enardum profectum gaudet et optima quaeque de Gallia sperat. Geneva duobus ministris orbata, altero mortuo, altero abdicato. Inter varia alia obiter delibata et suas Tabulas memorat senatui Bernensi oblatas.

(Ex autographo bibliothecae pastorum Neocomensium. Edita est in Vita Bezae Baumio autore I. 456.)

Eximio servo Dei D. Gulielmo Farello patri mihi colendissimo et Neocomensis ecclesiae fidelissimo pastori.

Neocomi.

S. Laus Deo qui optimi fratris tam piam et tam fortem uxorem [1]) ecclesiae precibus donavit. Nobis quoque restitutae sunt illae de quibus ad te scripseram, et a mortis limine revocatae. Faxit Dominus deus noster ut vitam quam et illis et nobis tribuit totam ipsius gloriae consecremus. Simul atque intellexerimus *Enardum* nostrum illuc [2]) pervenisse, monebimus illum diligenter. Interim curabimus ut intelligat quod ad me de uxore et filiolo scripsisti. De ipsius profectione optime spero. Nam laeta quotidie accipimus de miro ecclesiarum incremento in omnibus Galliae partibus. Mirum ni extrema nunc tentabit Satan, qui Herodem cum Pilato [3]) coniunxit ad opprimendum Christum. Sed Deus noster in coelis est qui Satanam brevi sub pedibus nostris conteret. Nostri, quemadmodum et vestri, toti paene sunt in eo ut miseros exsules profligent. Itaque suspicor Dominum aliud hospitium nobis parare, vel idcirco fortassis ne ipsius ira involvamur. Nam in ista hominum praefracta perfidia et duritia quis non animadvertat manifesta iudicii praesagia? In *Vireti* nostri causa [4]) quid non tam actum quam transactum sit puto te intellexisse. Ex meo quidem consilio nihil hic gestum est, quia non privata sed Christi causa agebatur, qui in casses ita istum coniecerat ut elabi nisi volentibus nobis nulla ratione posset. Sed aliis creditum est potius quam mihi.

Abelis nostri [5]) mortem audisti, opinor. Sequuta est *Fabri* abdicatio propter attentatam cuiusdam matronae [6]) pudicitiam. Is vereor ne in hostium castra transfugerit et istis incendiis frigidam suffundat. Genevae te esse cuperem ut *Calvinum* nostrum confirmares, qui in postremis ad *Viretum* nostrum literis [7]) non obscure significat se de secessu cogitare. Utinam mihi mori liceat priusquam id eveniat. Sed hoc inter nos dictum sit. Certe tuum adventum magis necessarium puto quam unquam alias. Tabulas nostras [8]) D. *Blaurero* et tibi tantopere pro-

---

2411. 1) *Barmae N.* 2393, *not.* 8.
2) *Lutetiam.*
3) *Carolum V. et Henricum II.*
4) *cum Vandelio, de qua scriptores vitae Vireti fere nihil.*
5) *d.* 5. *Martii defuncti.*
6) *la femme de Iehan Iaquemo.* (*Reg. du Cons.* 9. *Mars.*)
7) *deperditis. Cur adeo animum desponderit non liquet. In senatus commentariis nihil ad rem, praeter ea quae iam nosti. Beza in Vita ad h. a.:* Annus iste ob tumultus a ministris illis factiosis nonnullis excitatos valde turbulentus.
8) *N.* 2255.

bari gaudere me non dissimulo. Ut vestris saltem iudiciis isti veritatis adversarii aliquid tribuant. *Triboletus* [9]) illas senatui obtulit, nimirum ab iis subornatus quos satis nosti, qui ne dissimularent suos conatus rumorem etiam sparseruut me poenae metu [10]) profugisse. Quid futurum sit nondum possum coniicere. Tantum intellexi nostrum *Zerkintem* [11]) in senatum vocatum suasisse ut iudicium suspenderent in re tam controversa, et hac ratione illos quorundam impetus fractos. *Zebedaeum* aiunt nescio quid scripturire. [12]) Tacitus exspectabo omnia et, ut spero, fortiter feram quidquid acciderit. De *Archesio* [13]) nobis non prius gratulabor quam re ipsa ostenderit se nihil simulare et suo *Castalioni* diserte renunciarit. Mitto ad te duodecim Tabularum exemplaria quae ad *Blaurerum* nostrum cures perferenda. *Tussanum* audimus ministros conquirere. [14]) Si ita est vides quid paret. Ego occurrendum censeo, sed rationem inire non possum qua id commode fiat. Tu vero si huc veneris amplius dispicies. Bene vale, mi optime pater. Dominus Iesus pergat te confirmare et ecclesiae suae servare incolumem. Laus. 16. Martii.

Th. Beza tuus.

Mitto ad te *Bullingeri* literas cum libello [15]) qui mihi mirifice placuit. *Ochini* scriptum videre gestio, quanquam iam divino.. Sed nolo male ominari.

2412.

CALVINUS FARELLO.

Nunciat Poppini mortem et Fabri dimissionem, de quorum successoribus deligendis sollicitus iam unum et alterum proponit amici prudentiae aestimandum.

(Ex autographo Cod. Genev. 107ª, fol. 129, coll. cum exemplari Turretini Cod. 108, fol. 63, Bernensi Epp. VI. p. 639 et Simleriano Vol. 87.)

Praestantissimo Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae fido pastori fratri et symmystae integerrimo.

S. Mors *Abelis*, [1]) cuius rumorem istuc perlatum esse non dubito, etsi repentina accidit quum omnes putarent eum convalescere, minorem (ut verum fatear) nobis luctum attulit, quia ingenium eius vix iam erat tolerabile. Matura ergo fuit eius decessio, *Fabri* abdicatio tristior, quae et nostro ordini non parvum dedecus aspersit et forte in posterum non leves creabit molestias. De successoribus merito sumus solliciti. Etsi enim probi quidam homines et mediocriter docti hic sunt ad manum, nemo tamen sic excellit quin aliunde accersere libeat si qui reperiantur magis idonei. Quia *Brossaeo* [2]) saepe antehac locum esse optasti, quid nunc sentias quam primum scribe. Nam electionem consulto suspendere visum est ut prius literis tuis certior fierem tuae sententiae. *Holbracus* etiam an liber sit, [3]) et quale de homine tuum sit iudicium, intelligere cupio.

Foederis sarciendi spes exstincta non est. [4]) Legatio tantum quae properare debuerat, in proximum mensem differtur. Nundinae Francofordienses, ut arbitror, multos Saxonum libellos [5]) perferent, de quibus opportunius coram, ubi nos invisere tibi et Vireto commodum fuerit. Vale, optime et integerrime frater. Dominus tibi semper adsit, te gubernet ac sustineat. Genevae 17. Martii 1556.

Collegae mei et amici complures, syndici etiam, te salutant. Tu istic fratribus plurimam salutem me precari dices.

Ioannes Calvinus tuus.

---

9) *N.* 1900. *Praefectus Grandissonensis Berna oriundus, et vexillifer; faciebat cum adversariis Calvini et doctrinae de praedestinatione.*

10) *sive propter aes alienum, sive propter clandestinum matrimonium, quas res postea alienum in usum detorserunt Claude de Xainte et Bolsec.* (*v. Bayle, Schlosser, Beza p.* 26.)

11) *qui tamen ipse praedestinationi non favebat.*

12) *Falsus fuit rumor, nam nihil unquam prelo mandavit.*

13) *vir ignotus, fortasse v. d. m. in ditione Neocomensi.*

14) *Si hinc conquirebat, eius lutheranismus satis modestus esse debebat, et potius ducis sui legibus quoad cultus formam obtemperavit quam in castra Saxonum transiit.*

15) *Apologetica expositione.*

2412. 1) *N.* 2409. 2411 *ubi et de Fabri abdicatione.*

2) *N.* 2386. 2391.

3) *Cuius, ut vides, vocatio Francofurdensis nondum rata facta erat.* (*N.* 2283. 2342. 2378. 2386. 2393. 2402.)

4) *N.* 2388. 2397.

5) *Cf. N.* 2385. *De Westphali Ep. ad Senatum Francofurtensem, et Brubachii libello contra Lascum, mense Martio editis nondum rescire potuerat.* (*Moenckeberg p.* 69 *et* 72.) *Fortasse loquitur de Schnepfii confessione et Westphali locis praecipuis de baptismo m. Decembr. editis.*

2413.

BEZA BULLINGERO.

Laudat eius Apologeticam expositionem contra Westphalum et narrat exitum litis Vireti contra Vandelium.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 86. — Exstat quoque in Codd. Genev. 119, fol. 140, et 111b, fol. 19, et ap. Simlerum Vol. 87 ubique sine inscriptione.)

S. Ego vero tibi, mi pater, magnam gratiam habeo pro aureolo tuo libello, quem ad me misisti, in quo nihil non summa laude dignum invenio. Nam etsi fortasse videberis nonnullis excurrere in argumento utriusque in Christo naturae explicando, tamen quia hoc fundamentum est firmissimi et solidissimi adversus nostros, id est, veritatis hostes argumenti, tota ea tractatio mihi non modo perutilis, sed etiam pernecessaria fuisse videtur. Neque dubito quin a tota ecclesia magnam hoc tuo labore gratiam inieris. Sed et nostris adversariis si non rem ipsam, at certe singularem tuam modestiam gratissimam fore confido. Utcunque sit, quicunque ad hanc causam aequi iudices accedent, veritati, ut spero, patrocinabuntur. D. *Bernardini* librum [1]) nondum vidi. Ad me vero quod attinet, quamvis eum esse me sentiam, a quo nihil nisi pertenue possit proficisci, tamen, si opus erit, symbolum et ipse libens conferam et egregiam saltem voluntatem allaturum me spero. Sed utinam Deus meliora. Utinam, inquam, Dominus Deus noster suae ecclesiae misertus nos in sese coniungat, ut adversus communes hostes potius pugnemus, quam mutuo nos ipsos conficiamus. Ad eam rem autem non parum momenti attulerit, si non passim quivis in aciem prodeat, sed vos veterani vestra autoritate et aequitate ac modestia iuniorum calorem et aestum temperetis ac moderemini. Nosti enim quam multa soleant in isto impetu extra causam, imprudenter et inconsiderate dici, quorum hic unus fructus est, ut magis ac magis irritentur animi, et qui infirmiores sunt prorsus dissiliant. Phana, aperta et omnium iam oculis exposita est causae nostrae bonitas. Superest ut modesta et composita quadam ratione eos ex nostris hostibus lucrifaciamus, qui praeiudiciis vel errore fascinati nondum potuerunt lucem adspicere. Reliqui vel tacere cogentur vel sese omnibus reddent invisos.

Sed de his hactenus. De rebus nostris nil novi habeo quod scribam, nisi hoc unum. Genevensis quidam illorum exsulum non infimus, [2]) *Viretum* nostrum aperte insimularat maximi sceleris, quasi scilicet ministerii praetextu in carcere Genevensi unum [3]) ex miseris illis, qui supplicio sunt affecti, ad falsam quorundam accusationem sollicitasset. Is in ius vocatus, quum frustra sese in omnes facies vertisset, ut iudicio elaberetur, tandem iusto iudicio damnatus culpam fassus est, et coram principibus deprecatus. Ita asseruit Dominus optimi viri innocentiam, et istorum improbitatem palam coepit detegere. Ea res faciet fortassis ut nonnulli tandem intelligant, quales illi sint, quos tuendos susceperant, et quales item illi a quibus tantopere abhorrent. Illustrissimo vestro senatui et vobis omnibus rependat Dominus labores quos in tam pia causa suscepistis, et porro etiam, ut speramus, suscipietis. Utinam idem ille Dominus Deus noster, in cuius manibus sunt principum corda, vestris sanctissimis conatibus benedicat, et nostrum omnium animos in sese coniungat. —

Lausannae xiij Calend. Aprilis.

Th. Beza, plane tuus.

2413. 1) *contra Westphalum.*
2) *Petrus Vandel N.* 2364. 2374. 2393.
3) *Claude de Genève.*

2414.

MADERUS STUMPHIO.

Balthasar Mader Frowenfeldiae lithotomus Ioanni Stumphio ecclesiae Stamheymensis antistiti epistolam Calvini ad Bullingerum de tragoedia Genevensi die xv. Iunii 1555 scriptam mittit. [1])

(Describimus ex Simleri Vol. 87 qui ipse sumpsit ex Epp. Stumphii impressis Libr. IV. Ep. 47, pag. 84.)

Mitto tibi, facunde *Ioannes*, [2]) tragicam Genevensium historiam lectu dignam, quemadmodum promisi. Optarem certe illam typis excusam fuisse, quo exsulum Gallorum, praecipue autem *Calvini*, hominis vere docti et pii, innocentia omnibus innotesceret, et nota quam illis immerentibus improbi quidam inusserant eradicaretur. Dolet mihi ex animo si proborum fama laeditur, eamque ob cau-

2414. 1) *Haec Simlerus. Vide tamen quae annotavimus ad N.* 2243. *Balthasar ille nobis aliunde non cognitus. Fuit aliquis Theophilus Maderus Frauenfeldensis prof. medic. Turici qui obiit a.* 1604, *fortassis Balthasaris filius.*
2) *Ioannes Stumpf, v. d. m. in Stammheim in pago Turicensi ab a.* 1543, *autor historiae concilii Constantiensis et Chronici helvetici.*

sam tibi illam communico, non solum ut apud te rei veritas constet, verum ut innoxiorum etiam apud familiares verbis scriptisque tibi sumas patrocinium. Audi igitur D. *Calvinum* ipsum de seditione et tumultu nuper Genevae a turbulentis et malignis exorto ad D. Henricum *Bullingerum* nostrum sic scribentem.

Quia de proximo tumultu *etc.* *(Vide N. 2243 et 2244.)*

2415.

MORELLANUS CALVINO.

Evangelii libera praedicatio in ditione Rappoltstein a subditis regis Ferdinandi impedita, nimirum principis praefecto se ministros tueri non posse affirmante. Quaerit ergo quid consilii capere debeat.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 48.)

Eruditissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo.

Genevae.

S. Quod tanto intervallo nullas ad te literas dedimus duae potissimum causae intercesserunt. Una, quod indies D. *Rapensteinensis* [1]) sententiam exspectabamus, qua sicuti promiserat legitimam ecclesiam publice apud S. Mariam constituere liceret: tibi enim ecclesiaeque tuae hoc evangelium de propagato Christi evangelio gratissimum fore sperabam. Altera quod, etsi nonnulla occurrebant de quibus te certiorem fieri vellem, tamen non satis aequum putabam te tot ac tantis negotiis occupatum de nihilo interpellare. Sed iam triste nuncium de meis rebus referre cogor. Nam quum sacerdos quidam [2]) in agro *Rapensteinensis* repudiato papismo uxorem duxisset verbumque Dei praedicare coepisset, ab Einesemensi * senatu in vincula coniectus est. Ac mox longas minacesque literas *Rapensteinensi* scripsit quibus graviter increpabat quod et sacerdotem illum et me iamdiu Lutheranam haeresim impune profiteri passus esset, nec fidem praestitisset quam sibi *Ferdinando*que regi dederat, se videlicet nihil admissurum cuius non idoneam rationem Deo regique reddere posset. Quia vero animadvertant illum palam Luteranis favere, se deinceps non exspecturos significarunt, ut quidpiam in religione constitueret, sed diligenter curaturos ut iustis suppliciis coercerentur si qui in ditione Rapensteinensi religiosa *Ferdinandi* regis edicta violassent. His acceptis literis *Rapensteinensis* variis suorum consiliis exagitatus est. Plerique, fere omnes, excepta matre [3]) religiosissima, nihil non illi ad terrorem obiiciebant, suadentes ut quietis potius rationibus uteretur quam religionis nomine in gravissimum discrimen sese coniiceret. Ab eo tempore quid consilii cepisset expiscari non potui. Sed tamen ab amicis admonitus sum ut saluti meae consulerem. Insidias enim in me esse constitutas ut quoquo modo ad Einesemenses raperer. Quin etiam praefectus S. Mariae internuncium mihi significavit se non posse praestare me tutum a periculo si illic agerem, praecipue si coetus instituto meo celebrare pergerem. Itaque Altenvillam [4]) petii, Richevillensis ditionis pagum, ubi ecclesiam Mariensium meorum anno superiore conciliaveram. Quo in loco tamdiu futurus sum adiuvante Deo, quoad intellexero quid tu nostrique Lausannenses mihi autores sitis: nisi quid interim acciderit, quamobrem solum vertere cogar. Maiorem igitur in modum a te peto ut primo quoque die ad me scribas an huic monti inhaerere debeam, in quo raram et paene nullam ecclesiam habiturus sim, an vero ad amicos Lausannenses aut Genevenses me referam, apud quos aliquam Domini vocationem exspectem. Tuam enim reliquorumque piorum et eruditorum virorum autoritatem nunquam defugiam. Vale cum ecclesia tua plurimum. Tuos symmystas meo nomine rogo ut quam officiosissime salutes. Ex Altenvilla [5]) 23. Martii 1556.

Franciscus Morellanus.
ad omne officii genus tibi paratissimus.

2415. 1) *Egenolpho de Rappoltstein, qui reformationi favebat, subiecta quoque erat tum temporis S. Maria ad fodinas (Mariakirch). Unde quum Loquetus Argentoratum concessisset Morellanus ei successit* (1555) *qui alternis vicibus in diversis eius regionis locis concionabatur, scil. in S. Blaise, Echery, et in templo quod dicebatur Mattenkirche prope S. Mariam.* (*Roehrich, Mitth.* II. 104. *Drion, notice sur l'église réf. de Ste Marie aux Mines p.* 6.)

2) *Nomen ei erat Iacobo Spahler. Qui a. d. IV. Cal. Febr.* 1556 *cum uxore Ensishemii in vincula coniectus postea in carcerem Altkirchiam deductus post diuturniorem captivitatem tandem libertati redditus fuit. Sacerdos fuerat in Heiternheim feudo Murbachiensi dominorum de Rappoltstein: qua de causa Egenolfus ei se patronum et vindicem constituit.* (*Roehrich l. l.* 103.)

3) *Mater Egenolfi, vidua Ulrici de R., erat Anna Alexandrina de Fürstenberg, mulier evangelicae religioni addictissima.*

4) *Altwyhr, Aubure, ad dominium Georgii Wirtembergensis pertinebat, ideoque liberius ibi in rebus religionis agi poterat quam in Rappoltsteinensium vicis, in quibus illi Austriae vel Abbatiae Murbachiensis vel episcoporum Basilensium feudatarii erant.*

5) *Mense Iulio* 1557 *Genevam rediit.*

2416.

HOTOMANUS CALVINO.

Plura tradit magis ad aliorum res spectantia, ut Cheki, Balduini, Ruffi, et suas ipsius, quam ad Calvinum, cuius tamen liber contra Westphalum laudatur et martyrium continuum praedicatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 24.)

A Monseigneur Monsr. Calvin
a Geneve.

Fr. Hotomanus S. D.

Redditas tibi spero fuisse meas literas [1]) ex quibus tum Pomerani adolescentis et meam et D. *Sturmii* sollicitudinem, [2]) tum ecclesiarum nostrarum statum intelligere potuisti. Ex eo tempore literas a matre [3]) et aliquot tum cognatis tum affinibus accepi, sed a duobus fratribus inprimis qui Dei beneficio et assiduis meis literis ad pietatis verae cognitionem adducti sunt. [4]) Responsionem tuam ad *Vesphallum* complures hic magna cum voluptate legerunt. Heri alteram a D. *Bullingero* accepi, qui tale quiddam a me quoque scriptum postulabat, tametsi *Hotom.* nomen celare contentus erat. Verum ego ita nunc alienissimis occupationibus obruor, ut non modo negotium illud quod arrogare mihi non ausim, verum ne triplicationem quidem adversus *Ruffum* [5]) suscipere possim, atque ut *Balduinus* pro sua humanitate me negotiis cumularet et molestiis animi si posset conficeret, insuper librum: *Christianus Iurisconsultus* inscriptum nomine promulgavit adversus *Duarenum*, in quo non modo fingit illos sui defensionem suscepisse sed etiam contumeliis et conviciis *Hotomanum* infestari. [6]) Tametsi futurum spero ut tales alibi quam Argentinae quaerere cogatur. Nunc autem priusquam liber ederetur Francfordiam se dixit ire, et *Bouquinum* suum qui postea librum spargeret reliquit. Interea ab illo quid de libro dicatur admonebitur, et si sibi commodum erit Heidelbergae manebit. [7]) Inde centum talleros nuper quum stipendii sui causa recepisset, interrogatus ab amico tuo [8]) quid sibi hoc vellet respondit, se id accepisse pro libro quem tribus post mensibus impressum principi inscripturus erat. Ex quo risus apud omnes qui liberalitatem principum cognorunt est commotus. Verum utut facturus sit anceps magistratus sive scholarcharum cogitatio, [9]) utrum ille mansurus an discessurus esset, et amicorum tuorum et *Sleidani*, itemque comitum et aliorum scholasticorum ac praeterea iuris consultorum, qui tum huius civitatis tum principum advocati et consiliarii sunt, postulationem pro me saepe interpositam retardavit. Nam quod ad me attinet, nunquam magnopere laboravi, partim quod aliunde mihi uberior sit fructus, partim quod si matrem possim allicere ad cognitionem Domini, non diu hic mihi commorandum intelligam. Nunc autem mihi acerbissimum fuit intelligere, *Ruffum* et alios testimonium non apostatae cuiusdam sed christiani iurisconsulti nomine editum habere, unde et illius libelli et *Siguierii* [10]) accusatiunculae me autorem esse confirmet, quum tamen ipse modestissime in sua duplicatione meum nomen tacuisset. Cui malo quo magis medendi rationem quaero, eo magis et meae et amicorum tuorum ac meorum cogitationes impeditae sunt. Vociferatur me nomen in causa religionis mutasse: *Ruffum* triumphare, nisi paretur triplicatio. Quem ad finem hoc nunc inusitato quodam zelo exquiritur? Nimirum ut effigie mea Lutetiae combusta et direptis bonis ex mea et liberorum meorum calamitate voluptatem capiat.

2416. 1) *deperditas.*

2) *fortasse propter Genevenses turbas excitatam.*

3) *Patrem, ferventem pontificiorum sacrorum asseclam, iam mortuum fuisse hinc conieceris, ita ut Franciscus noster cum familia in gratiam redierit.* Mater illi Paulla Vedasti filia ex Marleorum antiqua et nobili familia quae ex Picardiae provincia oriunda non procul a Lutetia Vaugianum et Falesiam dominio tenet. (*Doschii vita Hotomani.*)

4) *Erant ei decem fratres et sorores, inter quos nonnullos fuisse qui evangelio nomen dederint ex hoc solo loco colligi potest, quippe quod alioqui memoriae proditum non sit. Haagius quidem* V. 526 *eo nomine unum tantum consobrinum Ioannem* (*greffier des monnoies*) *laudat.*

5) *Raymundus Rufus* (*Leroux*) *D. iuris et advocatus in Parlamento Parisiensi scripserat de dignitate papae cardinalium epi.coporum et totius cleri, adv. Molinaei commentarium* (*sur l'édit des petites dates*). *Contra Rufum prodiit liber anonymus sub titulo:* Ad R. Rufum defensorem romani pontificis contra C. Molinaeum, de statu primitivae ecclesiae eiusque sacerdotiis, de patriarchis, metropolitis, archiepiscopis, primatibus etc. de pontificis rom. potestate et amplitudine, de religione populi romani ex instituto Numae, *sub nomine Franc. Vilerii* (*Hotomani*) *impressus Hierapoli* (*Genevae*) *a Crispino.* 1553. 8. *Argent.* 1555. *fol.*

6) *Titulus libri fuit:* Responsio christianorum iurisconsultorum ad F. Duareni commentarios de ministeriis ecclesiae atque beneficiis et alias eius declamationes. Arg. 1556. 8. *Librum sine nomine autoris editum postea suum esse negavit Balduinus. Cf. epp. Balduini d. d.* 24. *Apr. et Hotomani d. d.* 4. *Maii. Nihil fere faciunt ad rem explanandam quae praebet Biga respons. p.* 164.

7) *Mox quidem Argentoratum rediit, verum paulo post Heidelbergam vocatus eo concessit.*

8) *ab ipso puta Hotomano.*

9) *Huc pertinere videtur fragmentum epistolae Sturmii quod insertum est Bigae p.* 166. *Patet varias exstitisse machinationes inter Hotomanum et Balduinum, et quidem hic Hotomanus iniquius de Balduino loqui videtur, quod etiam ex Sturmii epistola* (*Biga p.* 164) *collegeris.*

10) *Fortasse loquitur de Petro Seguier, praeside Parlamenti Parisiensis qui grandaevus obiit a.* 1580 *scriptis clarus.*

Verum haec hactenus. Caesar iterum fertur in Hispaniam profecturus, praesertim ut filii regnum in Anglia stabiliat. Bonus ille archiepiscopus [11]) nondum combustus est. *Moricium* [12]) vicinum meum amisimus. Opinor in eius funere quadringentos fuisse. *Chekus* Antwerpiam est profectus. [13]) Scribet mihi Heidelberga et Colonia, ubi libera est religio sed nondum publice evangelium praedicatur. Haud scio an Coloniae sit permansurus. Me quoque magnopere secum allicit. Sed quod Lutetiae tam feliciter inchoavi perficiendum est. Heidelbergae reformabuntur ecclesiae [14]) sed Wittembergica ratione. Peto abs te ut strepitu istorum vociferatorum ne obtundaris. Nam tibi bene qui cupiant et ecclesiae tuae in Germania sunt complures. Dominus te in hac vita mirabiliter exercet, et universam tuam ecclesiam. Sed pro tua prudentia cogitare potes, hoc genus esse martyrii eiusque diuturni, quod Dominus Deus coram angelis et sanctis omnibus coronaturus est. Tot sunt quotidie martyres in Gallia, quorum sanguis doctrinae et ecclesiae tuae testimonium reddit, ut dubitari non possit de singulari quadam Dei in istam tuam ecclesiam benevolentia quae suo tempore cognoscetur. Eum obtestor ut animum tuum suo sancto spiritu confirmet. Vale et meam familiam Domino commenda. Argentor. 25. Martii 1556.

11) *Cranmerus.*

12) *Sir Richard Morison qui m. Maio* 1554 *cum Checo Argentoratum venit ibique obiit.* (*Strype, Mem.* III. 1, *p.* 232. *Idem, Parker* II. 446.)

13) *Vere huius anni Bruxellas se contulerat ubi eum Lord Paget et Sir John Mason exspectabant. Antwerpiae redux iussu regis comprehensus in Angliam ductus est.* (*Strype, Mem.* III. 1, *p.* 515. *Idem, life of Cheke p.* 105.)

14) *Friderico II. electore a. d. V. Cal. Mart. mortuo eius nepos ex fratre Otto Henricus rerum potitus statim per edictum pridie Nonas Apr. publicatum reformavit ecclesiam ex mente Lutheranorum, in consilium adhibito Marbachio Argentoratensi. Sed iam a.* 1559 *eius successor Fridericus III. ad Calvinismum transiit.* (*Struve, pfälz. KH. p.* 43. *Seisen, Gesch. d. Ref. zu Heidelb. p.* 51.)

2417.

HOTOMANUS BULLINGERO.

Pertinet ad eadem fere negotia de quibus etiam in praecedente egerat.

(Ex Epp. Hotomani impressis ed. J. W. Meelii. Amst. 1700. 4. p. 3.)

Clarissimo et praestantissimo viro D. Henrico Bullingero ministro ecclesiae Tigurinae patri meo observandissimo Franciscus Hotomanus S. D.

Munus tuum [1]) accepi cum literis tuis humanissimis et amantissimis. Deum oro ut me ista tua benevolentia nunquam indignum reperias. — Mitto nunc tibi epistolam apologeticam ad *Bezam* nostrum, [2]) adversus libellum quendam hic falso inscriptum christiani Iurisconsulti nomine [3]) ex qua humanitatem eius hominis cognosces, quem salutare tuo nomine non potui, quod Francofordiam aut Heidelbergam profectus esset priusquam libellum suum hic divulgasset: quem ita occulte imprimendum curavit ut pretio nullo pagina una a typographo prius extorqueri potuerit quam ipse discessisset. — Te de *Ruffi* duplicatione [4]) nihil audisse arbitror. Eam decem abhinc diebus *Balduinus* mihi misit, *ἐχθροῦ ἄδωρον δῶρον.* Nunquam meum cognomen effutivit. Quibusdam locis dicit me delirare, quippe iam quinquagenarium et aetate ipso sesquimaiorem. Nihil unquam ineptius legisti. Alterum autorem istius libri fuisse dicas. Sed omnino hoc tempore respondere non possum, [5]) partim propter innumeras occupationes (quas fateor esse negotio religionis postponendas, sed illis nunc penitus sum addictus) partim propter gallicum meum negotium, quod iam ita feliciter fidei beneficio succedit ut duos fratres meos [6]) ad cognitionem evangelii perduxerim, neque unquam maiorem de meo patrimonio spem habuerim.

Filius tuus [7]) mihi erit commendatissimus, sed ut video, nisi abs te moneatur, ad me non veniet. Mihi tamen in crastinum diem ad prandium promisit. Librum tuum cum summa voluptate hic legimus. Deus faxit ut istis aliquando scandalis finis imponatur. Ecclesiola nostra duos habet optimos ministros, [8]) qui sententiam suam apertissime prae se ferunt. *Sleidensis, Sturmius, Dasypodius* et

2417. 1) *Librum Bullingeri contra Westphalum.*

2) *Non quidem typis expressam ut fortasse aliquis crediderit.*

3) *Vide praeced. not.* 6. *Falso inscriptum dicit vel quod autor se christianum proclamat, vel potius quod plures sibi socios adsciscit.*

4) *Ibid. not.* 5. — *Balduinus in Resp. altera ad Calvinum* (*Biga p.* 397) *Hotomanum perstringit quod Duareni scripta laudaverit postquam eadem nihili fecerit quum pro Molinaeo contra Ruffum scriberet:* Oportet istius tui patroni incredibilem esse, non iam dicam impudentiam, quia latitat, sed nequitiam, quum postquam edito libello adv. Ruffum proscidit illos commentarios, nunc eos se adorare fingit.

5) *Eum triplicationem quam dicit meditatum esse in praecedenti legisti.*

6) *N.* 2416 *not.* 4.

7) *Secundus scil., Io. Rudolfus stud. theol. Qui videtur nuper Argentoratum venisse non* (*ut Pestalozzius habet p.* 480) *iam anno superiore.*

8) *Alexandrum et Loquetum.*

alii nonnulli nobiscum sentiunt, speroque Deum Opt. Max. veritatem evangelii sui electis et filiis suis patefacturum. — — — — — — — — — — — Argentor. 25. Martii 1556.

2418.

CALVINUS VIRETO.

De electione ministrorum in locum Poppini et Fabri sufficiendorum tam facta quam facienda.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 130; coll. cum exx. Turretini Cod. 108, fol. 63 v., Bernensi Epp. VI. 640, et Simleri Vol. 87.)

Eximio Christi ministro, Petro Vireto, ecclesiae Lausannensis fido pastori, fratri et symmystae carissimo.

S. In electione aliud cepimus consilium quam putaveram. Utilius hinc mediocres sumere visum est, quam molestos et incommodos circuitus obire. Si *Merlinus* [1]) liber fuisset, nemo erat quem praeferrent fratres. Itaque sine controversia omnibus suffragiis electus foret. Apud senatum res erat difficilis, atque etiam odiosa, nam etsi per vos impetrata esset eius missio, nostri hoc praesertim tempore nunquam adducti essent, ut in re tantula se redderent vicinis obnoxios, quibus statuerunt negare quod procul dubio vicissim peterent. Frustra ergo contendere non placuit vel nos in discrimen, quod fugiendum est, coniicere. Eadem in *Brossaeo* [2]) valuit ratio: memoria enim tenent nostri, se olim illic repulsam in *Corderio* passos esse. [3]) Ad idem cum dedecoris periculo tentandum vix tracti essent. Itaque supersedere maluimus, et forte absurdum fuisset accersere ex oppido, quem pago praeficerent. *Baduellus* magno consensu electus est. [4]) In secundo haesitavimus. Nisi *Tagautius* [5]) excusasset, maior pars in eum propensa erat. Descendere ergo coacti sumus ad Petrum *Ducem* [6]) hypodidascalum, hominem probum et sincerum, doctrinae etiam mediocris, cui, ut opinor, assignabitur in agro locus. De *Baduello* quoque videbimus. Magna *Fabri* improbitas in futilibus calumniis detecta fuit. Missi sunt duo ex nostro collegio, qui eum coarguerent. Si perrexerit, dabimus operam, ut eum senatus compescat. Quod ad *Pinum* spectat, se inconsiderate gesserunt testes, qui furti convincere poterant. Nunc levitas in transigendo fidem illis derogaret. Ego quia non sine stomacho et severa obiurgatione eos semel a me depuli, iterum non vocabo. Simon *Brossaeus,* [7]) mi *Virete,* suo more tibi frustra molestus fuit, et bonus vir se et alios supervacuis curis inconsiderate implicat, neque expendit, vel quid sit nostri suique officii, nec quid factu sit utile, nec denique quid fieri queat, discernit. Mulier non solum libidinosa, sed garrula et procax in illa temporum licentia, quam nosti, per totum triennium, modis omnibus ecclesiam nostram turbavit. Quum monitiones ipsa respueret, maritus stulte eius contumaciam alebat. Tandem in adulterio deprehensa solitis artibus ad extremum usque pugnare non destitit. Vide nunc an ego deprecatorem me interponere ultro debeam, qui exsilio dignam censui et quidem tacente marito, qui ut omnium malorum culpam in nos transscribat, hoc oneris in nos reiecit. Tu quid facturus sis, si meo loco esses, nescio. Ego talibus cerebris non obsecundare decrevi. Vale[*te*], optimi et integerrimi fratres. Dominus semper vobis adsit, vos gubernet ac tueatur. Collegae mei ut plurimas gratias vobis agerem mandarunt. Salutate amicos. Genevae 3. Calend. Apriles 1556.

Ioannes Calvinus vester.

2418. 1) *Io. Raimundus, prof. Lausannensis.*
2) *Neocomensi cf. N.* 2386. 2391. 2412.
3) *Eum olim Genevenses vocaverant, sed frustra. Iterum ergo Neocomenses adire nolebant alterum inde vocaturi.*
4) *Qui a.* 1551 *Genevam venerat, primum ad scholasticum munus obeundum; nunc v. d. m. in Russin creatus est.*
5) *Ambianensis, a.* 1557 *prof. philos. Lausannae, obiit* 1560 *Genevae.*
6) *Petrus Le Duc de Toysse en Dombe, baccalaureus in locum Colineti suffectus* (*Bétant p.* 19) *postea* 1561 *v. d. m. in Russin.*

2419.

NYDBRUCKIUS CALVINO.

Veterem consuetudinem in auditorio Argentoratensi olim ortam in memoriam ei revocat, et frequentiores literas sibi expetit. Tum consilium conscribendae historiae ecclesiasticae universalis proponit et qua methodo potissimum utendum sit in tali instituto exsequendo quaerit.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 80.)

7) *Omnino alius ac qui supra. Cuius negotium et quae praeterea sequuntur nobis incognita.*

Clarissimo viro eruditione et pietate praestanti D. Ioanni Calvino.

Genevae.

S. P. Redditae sunt quas 13. Cal. April. scripsisti,[1]) clarissime vir et amice in Christo carissime. Quae profecto fuerunt gratissimae. Nam erga te ab ineunte aetate ita semper affectus fui, ut erga virum pium doctum omnes debemus esse qui ecclesiae et honestis studiis consultum cupimus. Et non tantum unius colloquii inter nos anno 49 prima feria pentecostes habiti recordor: verum etiam memini me circa annum 1538 epistolas Pauli[2]) Argentorati te profitentem audire. Nam quum duo ex meis cognatis una cum Normannis nobilibus De *Richenbor* et *Malerb* tecum habitarent, et D. *Claudius* piae memoriae diem obiret,[3]) ego tum quoque Argentinae eram, sed propter aetatem imbecilliorem privato utebar praeceptore. Haec scribo quo intelligas non adeo recentem esse hanc tui notitiam, quae certe ex lectione tuorum scriptorum radices egit et nunquam intermoritura est. Ac periucundum erit hanc amicitiam crebra literarum transmissione colere. Argumentum scribendi praebebit studium rerum verarum et bonarum quo teneor. Ita enim ego ex lectione literarum tuarum foenus amicitiae nostrae recepturus fructumque sum facturus aliquem.

Et quia novi te iudicio pollere, rogatum vellem ut pluribus, dum per otium licet, perscribas quo ordine ac methodo putes conscribi posse historiam ecclesiae[4]) vel inde a Christo salvatore nostro. Sunt enim nonnulli pii et docti viri (non quidem in hac provincia) qui hoc susceperunt opus contexendum. Ex inclusa scheda intelliges quo ordine ipsi hanc materiam tractare cupiant, parati tamen rectius monenti obtemperare. Libere igitur ad me quid de hac methodo sentias potes perscribere, et num faciliore aliquo compendio aut ordine tractandum hoc negotium existimes. Non dubito quin hoc tam pium institutum et ecclesiae omnibusque piis utilissimum promoturus sis. Poteris autem non parum iuvare, nonnunquam etiam suppeditare res ipsas, non tantum tractandi methodum. Exspecto igitur prolixas a te de hoc negotio. Quod ad reliquam partem epistolae tuae attinet, non licet ad te nunc plura. Tu, ut prius quoque monui per illum amicum, ora Deum ut confirmet quod coepit. Vale in Domino. Datum Viennae Austriae ult. Martii anno 1556.

T. Gasp. a Nydbruck.

Ad *Oporinum* potes tuas transmittere si certus tabellarius desit.

2419. 1) *deperditas.*
2) *ad Romanos saltem.*
3) *De his vide epp. m. Martio et Aprili* 1541 *scriptas.*
4) Eodem anno (1553) coepi urgere consultationes de conscribenda ecclesiastica historia una cum D. Gasparo Nidpruck Caes. consil. (*Flacius ap. Preger*, II. 417) *Nidbruckius I. U. D. Vindobonae Caesari a consiliis, Archiduci Maximiliano regi Bohemiae familiaris et ὁμώνυμος, olim Flacii Witebergae docentis auditor, non vero eiusdem satelles in Lutheranismo. Quod vel inde colliges quod hic eius nomen tacet et Calvinum adit consulendum. Ipse magno cum ardore Flacii consilium suum fecit et Thuringum aliquem Marcum Wagnerum, postea ministrum in Bussleben et scriptis historicis clarum suis sumptibus ut varias Germaniae, imo et Daniae et Scotiae, bibliothecas in operis illius usum excuteret misit. Haec et plura praebet Sagittarii Introd. in hist. eccl.* I. 255. *Volumen primum celeberrimi* Centuriarum *operis prodiit a.* 1559 *ap. Oporinum, in quo tamen conscribendo ipse Nidbruckius nullas sibi partes reservasse videtur. Falso Gindely, Vir doctissimus, in Hist. fratrum Boh.* I. 429 *nomen Nidburg scribit.*

2420.

LASCUS BULLINGERO.

Spes affulget instituendi evangelicorum colloquii de pace componenda: ad quod et Turicenses rogat ut veniant. Mittit exemplaria literarum in Poloniam scriptarum et obiter attingit statum rerum Francofordiae.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 170, olim Scrin. B. Epp. Tom. 44, fol 152. Inscriptio desideratur. — Simler. Vol. 87.)

Quo die ad te scribere volui, vir sanctissime, morbus mihi meus rursus recurrit et ita vires omnes attrivit ut nihil omnino scribere possim. Habebam autem multa quae scriberem. Sed quid faciam? Vix unam atque alteram lineam possum ducere. Fit mihi spes colloquii instituendi de componendis doctrinae dissidiis inter omnes qui evangelium profitentur.[1]) Quod si fiat, efficerem ut vos quoque vocaremini, si scirem vos non esse detrectaturos ut aliquos mittatis. Sed quidam hic nobis male ominantur.[2]) Imo vero frustra id tentandum

2420. 1) *Rex Sigismundus Lasci reditum in Poloniam eo pacto se permissurum significaverat ut is Augustanae subscriberet. Inde studium denuo susceptum theologos congregandi et communi formulae adstringendi. Vergerius eodem tendebat duce Christophoro similia meditante. Qui tamen theologis diffidens rem potius per principes promovendam putabat.* (*Kugler, Hz. Chr.* II, 11 *sq. Bertram, Lasco* 373, *Bartels, Lasco* 62.)
2) *Scilicet ii qui hominum ingenia melius cognoscebant.*

esse putant, quod non putent quemquam vestrum venturum esse etiamsi vocaremini. Mihi vero id vehementer doleret. Neque puto vos ullam iustam excusationem adferre posse si detrectetis. Quod enim ad leges patrias vestras attinet, eas sane aequum esset hac in parte cedere publicae ecclesiarum Christi necessitati. Non enim homines propter leges, sed leges propter homines. *Calvinum* nostrum puto omnino vocandum, et *Musculum*. Quare, si quid de vobis mihi pollicori possis, vellem ut primo quoque tempore indicares. Mitto tibi et aliis istic epistolas meas in patriam nuper scriptas.[3]) Ex tuo exemplari reliqua corrigantur, nam[4]) mihi non vacat hoc facere. Nobis hic cum ministris huius urbis grave certamen fuit.[5]) Sed gratia sit Domino, magistratum nobis satis aequum habemus, adeoque et indies plures nostrae sententiae accedunt. Plura plane non possum, vir sanctissime. Commendo me vestris istic omnium precibus, et omnes in Domino reverenter salvere iubeo. Francofurti ultima Martii 1556.

Ioannes a Lasco.

Quae in forma excommunicationis requiris in nostro libello cuperem plenius cognoscere: quare indices quaeso. Ago et tibi et D. *Bernardino* gratias quod *Westphalo* respondeatis.

2421.

CALVINUS MICRONIO.

Contra Mennonem.

(Edidimus inter Consilia Calvini relatam Tomo X. Operum Part. I. pag. 167. Incipit a verbis: *Tu vero minime literis* etc.)

2422.

MINISTRI FRANCOFURTENSES CALVINO.

Vindicant se a suspicionibus vel adeo accusationibus quibus ipsi obnoxii fuerunt, quasi pacis et concordiae minus studiosi, imo ad contentiones propensi, contra peregrinos egerint; quum revera simpliciter in ea fide persistere cupiant quam pridem tenuerunt et publicae leges sanxerunt.

(Duo exstant authentica exemplaria, alterum in Cod. Genev. 196, fol. 39, alterum Francofurti in Actis eccl. Tom. V. pag. 203 seq. quod humanissime in nostrum usum descripsit Vir clar. Geo Ed. Steitz, pastor urbis primarius, rarissime alias lectiones exhibens (F.). Illud olim edidit, sed non ab omnibus mendis purum Ritterus (R.) in evang. Denkm. d. Stadt Fr. pag. 313 Cf. etiam Rel. Handl. II. 278.)

Venerabili et eximie docto viro D. Ioanni Calvino evangelii Christi in ecclesia Genevensi doctori diligentissimo et fratri in Christo colendissimo.

Genevae.

Salutem per Iesum Christum plurimam.[1]) Quum vix aliud sit, quod crebrioribus atque ardentioribus votis expetamus, quam piam societatem et coniunctionem firmam cum omnibus, qui puram filii Dei doctrinam candido pectore amplectuntur, non debes dubitare, venerande vir, nobis quam gratissimam fuisse epistolam tuam,[2]) qua benevolentiam et amicum animi tui affectum erga nos, et ignotos, et nihil de te meritos, declarasti. Quod autem ad Ioachimi *Westphali* libellum[3]) attinet, rogamus, ne suspiceris nos illi propter nostram a vobis dissensionem, vel autores eius scribendi, vel adiutores fuisse. Ac proinde, si quid in eo contentionis aut virulentiae inesse videtur, nos id defendendum minime suscipimus. Deinde, quod apud

---

3) *Quarum unam supra legisti N.* 2339.
4) *lapsu calami scripsit:* non.
5) *De quo v Pollanum N.* 2385.

2422. 1) *Inscriptio et salutatio ab ex. Francf. abesse videntur.*
2) *N.* 2401.
3) *Quum Calvinus aegre se ferre dixisset quod Westphali libellus Francofordiae excusus fuerit, merito sane respondere poterant haec se non tangere. Verum paulo ante H. Beyerus, qui occasione controversiae interimisticae arctiore familiaritatis vinculo cum Westphalo coniunctus fuit, hunc in auxilium vocaverat quum magistratus ministros rogasset ut peregrinorum fidem ad normam Augustanae confessionis examinatam ipsi declararent. Sic factum est ut Westphalus m. Martio ep. scriberet ad senatum qua hunc monuit ne ab istis Zwinglianismi errores in sua urbe falso praetextu orthodoxiae praedicari pateretur. Haec omnia scilicet acerrimis in eosdem invectivis referta quippe quos fures et latrones appellaret. Simul misit libellum contra Lascum editum, quem inscripserat:* Altera Apologia opposita Poloni mendaciis insignibus *etc. Ipsam epistolam postea edidit in suo libro:* Apologetica responsio Io. Westphali ad sacramentarii cuiusdam epistolam *etc. Ursellis* 1558. *Iam epistola illa ad senatum eo magis peregrinis stomachum movebat quod Pollanus eam Beyeri opus esse arbitrabatur, qua de causa etiam prodiit:* Antidotus Val. Pollani Flandri adv. Ioach. Westphali nomine pestilens consilium nuper scriptum ad m. senatum inc. civ. Francof. 1557. (*Mönckeberg, Westphal. p.* 71. *Steitz, der luth. Praedicant H. Beyer. Frf.* 1847 *p.* 124.) *Quae quum ita sint, iam tibi iudicium permittimus utra pars hic vel modestius vel sincerius scripserit.*

nos editus fuit, id quoque non arbitramur ita ad nos pertinere, ut eius ratio nobis reddenda sit: quum in officinis nostrorum typographorum neque iubendi neque vetandi potestatem [4]) ullam habeamus: nec etiam novum sit in nostra urbe Hamburgensium et aliorum Saxoniae theologorum scripta typis [5]) excudi. Caeterum doctrinam sacramentorum, quam in isto libello *Ioachimus* profitetur, a nobis non improbari libenter fatemur. [6]) Idque hoc nomine, quod eam consentire iudicamus cum doctrina quae in Augustana nostra Confessione comprehensa est, quaeque deinceps repetita est in Concordia ante aliquot annos inter D. *Lutherum* et *Bucerum*, aliosque complures Vitebergae confirmata: et rursum in Concordia, [7]) paulo post a D. *Bucero* hic inter ecclesiae nostrae ministros instituta. [8]) Eam namque doctrinam quum veram esse, et cum vero intellectu sacrae scripturae congruere sentiamus: in nostris quoque ecclesiis hactenus docuimus, et posthac docendam nobis arbitramur postquam et magistratus [9]) autoritate eidem sumus adstricti. Interim non ita sumus *φιλόνεικοι*, ut hanc doctrinam retineri doceriique non posse putemus, nisi ambitiosa contendendi cupiditate et libidine vexandi alios. Imo omnem disceptandi rixandique occasionem hactenus summo studio vitavimus, et quidem cum iniuria nostra: neque quidquam magis deploramus, quam pacem et quietem ministerio ac studiis nostris non concedi, sed infaustis quibusdam horum temporum certaminibus perturbari. Quare quod de nobis peregrini nostrae civitatis conqueruntur, non certe iusta de causa faciunt, quum nos illorum novas et nostris ecclesiis antehac incognitas caeremonias, ipsis magistratus nostri lenitate (licet invitis nobis) permissas, anno integro et eo amplius toleraverimus, [10]) non sine magno nostrorum hominum offendiculo, idque eo potissimum, ne cui illorum videri posset, se per nos impeditum et hospitio fraudatum esse. Et ne nunc quidem, quando multis argumentis deprehendimus longe a nobis discrepare, contra eos quidquam moliti sumus, nisi quod ad senatum nostrum, ut par erat, rem retulimus. Neque unquam pro concione illorum nomina traduximus: [11]) sed tum demum, quum videremus nec ipsos se continere, quin de hac controversia varia in vulgus spargerent: parcissime et generatim tantum auditores nostros admonuimus, ut doctrinam iampridem a nobis acceptam pacatis animis retinerent, nec ulla re turbari se sinerent. Nec ultra processit contentio nostra: Dominus faxit, ut nunquam maior fiat. Nos sane concordiam optamus: verum quae ratio et via perveniendi ad eam tutissima sit, definire non possumus, praesertim quum non nostra tantum, sed omnium nostrae confessionis ordinum communis causa agatur. Horum igitur animos ut Dominus excitet, et spiritu suo sancto instruat, ad has controversias pie ac feliciter conciliandas, assiduis precibus oramus. Interea dum id fiat, nostri officii esse putamus curare ut nobis salva maneat doctrina divinitus in nostris ecclesiis hucusque servata: quam mutare aut abiicere contra conscientiam nostram, propter ullam hominum autoritatem et gratiam, [12]) nequaquam possumus. Haec breviter visum est tuae humanitati respondere, cui nos commendatos esse volumus. Dominus Iesus benedicat ministerio tuo et spiritu suo tua studia gubernet. Francoforti 4. Nonas Aprilis, Anno 1556.

Tuae humanitatis studiosissimi
Ministri ecclesiae Francofurtensis
communi consensu.

4) partem *F. R.*
5) typis *om. F. R.*
6) profitemur *F.*
7) ante aliquot annos . . . . in concordia *desunt ap. Ritterum.*
8) *Concordia Wittembergensis a.* 1536 *instrumentum pacis esse debebat; hic vero a Westphalo de eadem ita agitur ac si Bucerus, nisi Augustanae prorsus consentanea fuisset et ab omni cum exteris transactione aliena, ab ipsis Wittebergensibus damnatus fuisset ut iam isti peregrini revera sunt. De altera concordia Francofordensi a.* 1542 *v. Frankf. Rel. Hndl. II. Beil.* 13, *p.* 41.
9) *add.* nostri *F. R.*
10) *scil. quia aliter non poterant: nunc vero serio illis suum Lutheranismum imponere conati, scripta ep. ad magistratum a. d. III. Cal. Febr. (Rel. Hndl. II. Beil.* 19. *Rathsprot. ib. I. n.* 9. *Resp. Senatus ad seniores eccl. peregr. ib. n.* 10 *et Lasci resp. ib. n.* 11.)

2423.

LASCUS CALVINO.

Tractat negotia coetus peregrinorum Francofurtensis, quae adhuc in ambiguo haerent, partim quoad magistratus et Lutheranorum imperia, partim ex partium internis dissidiis. Colloquium Helvetiorum cum Saxonibus meditatur.

(Ex autographo Cod. Paris. coll. Dupuy 268, fol. 46.)

Sanctissimo iuxta ac doctissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri in Domino observando.

11) *O bellam excusationem et Iesuitis dignam! Scil. quos pro suggestu publice sacramentarios vocitabant nemo nesciebat. (Rel. Hndl. II. Beil.* 19.)
12) propter ullam hominum autoritatem et gratiam *om. F. R.*

Ago tibi ingentes gratias, vir doctissime, et pro libello in Westphalum denuo scripto et pro literis tuis amantissime ad me scriptis,[1]) tum etiam quod nostri in tuo libello ita memineris. Nobis hic cum huius urbis ministris (sine congressu) certamen fuit,[2]) neque male cessit hactenus, sit Domino gratia. Magistratum non habemus iniquum et indies plures nostrae sententiae accedunt. Imo vero etiam indies magis ac magis fiunt invisi omnibus, quod tamen dolemus, qui nos praeter nostrum meritum invidia apud omnes gravare voluerunt. Ab instituendo colloquio[3]) non prorsus sunt alieni quidam principes: sed quisque vult esse secundus non autem primus illius autor. Spero tamen iam etiam habituros esse qui primus esse non recuset per gratiam Dei. Qua de re *Crispinus* plura.

Ex mea patria necdum mihi rediit meus nuncius, quem tamen in omnes horas exspecto. Sed ex aliis, qui inde huc ad mercatum venerant, accepi multas sectas eo confluere et quemque pro suo arbitrio instituere in sua ditione ecclesiarum restitutionem. Libenter tibi missurus eram quae nobis a magistratu fuerunt proposita, et quae nos vicissim respondimus: tum etiam nostras in traditam olim hic ministris *Buceri*, piae memoriae, concordiam adnotationes,[4]) in qua impietatis et blasphemiae damnantur qui vel certum aliquem in coelo locum corpori Christi assignare, vel immensitatem quandam corporis ex reali atque essentiali illius per panem coenae exhibitione colligere conantur. Ad quod equidem nobis haudquaquam connivendum esse existimavimus. Sed morbus meus, qui me ante dies quinque rursum invasit ac necdum plane reliquit, obstitit quominus exscribi potuerint. Alioqui adnotationes ipsae nondum sunt visae a quoquam praeterquam a D. *Crispino*. Nondum enim magistratus a nobis responsionem ad traditam nobis eam ipsam *Buceri* concordiam postulavit, quam nos tamen paratam habemus, si forte postuletur. Et putamus omnino postulandam esse. Nam sunt plurimi in magistratu qui fontes ipsos totius controversiae cupiunt omnibus quam notissimos esse.

Saxones dicuntur habuisse quandam synodum non procul a Witteberga,[5]) cui et *Philippus* dicitur adfuisse. Sed quid illic sit actum nondum novimus. Ego hoc ago ut si instituendum sit colloquium, quemadmodum spero, vos quoque vocemini, hoc est, tu, *Martyr* et Tigurini. Atque de te quidem et *Martyre* nihil dubito: sed metuo ne Tigurini excusent, quod profecto nolim. Scripsi ea de re ad *Bullingerum* pro eo ac nunc passa est valetudo mea. Sed vellem, tu quoque stimulos adderes. Faciam te autem mox certiorem, simul atque certi aliquid habuero: quod equidem brevi futurum spero.

De turbis hic nostris non est quod ad te scribam. D. *Sechelius*[6]) non tam est nobis familiaris quam esse solet: cuius nomine certe doleo quod se tragoediis parum necessariis tantopere implicuerit. *Augustinus*[7]) sui similis esse pergit. Posteaquam sibi non omnia ex sententia videt cedere, abitum adornat cum suo sodalitio. Interim hoc videntur moliri ut in suo abitu nihil non tentént quo ecclesia ipsa dissipetur. Sed Dominus est potentior. Iam neque *Glabergo* * neque tibi etiam parcunt. Ita illis nemo est bonus, scilicet qui modo ab ipsis dissentiat. Dominus eis parcat et spiritum resipiscentiae largiatur. Angli multo iam mitiores esse videntur.[8]) Ego hoc apud eos laboro ut omnis suae controversiae iudices constituant te et *Petrum Martyrem*: speraremque id me impetrare posse, si modo qui apud vos sunt Angli mihi indicent sibi id gratum fore. Nollem enim id tentare nisi factus certior de ipsorum voluntate. Ad quos tamen nunc scribere non possum propter valetudinem meam parum adhuc firmam, etiamsi illi ad me amantissime scripserunt: quo nomine illis gratias ago. Sed te oro ut illos huius admoneas. Nam hoc toti genti ipsorum honorificum fore putarem, ut re tota vestro permissa iudicio in gratiam ipsi invicem redirent.

2423. 1) *sed deperditis.*

2) *Ministri poscebant ut peregrini concordiam a.* 1542 *factam reciperent, cultum suum ad normam Francofordensis instituerent et infantes sibi baptizandos traderent.* (*Cf. Ep. senatus ad seniores peregr. in Rel. Hndl. I. n.* 10. *Lasci resp. ib. n.* 11 *m. Febr. scriptum. Fresenii KG. v. d. Ref. in Fr. p.* 105.) *Pro tempore magistratus nihildum decreverat.*

3) *Vide omnino N.* 2420 *et quae ibi annotavimus. Quibus iam haec addimus: Brentius ad Petr. Brubachium bibliopolam Francof. scribit Stuttg. prid. Id. Iul.* 1556: Saluta nomine meo D. H. Beier et dicito ei D. Io. a Lasco petiisse superioribus diebus a meo principe ut liceat sibi colloqui de re sacramentaria cum theologis suis. Quod quum ei ab ill. principe concessum esset contulimus cum eo de sacramento coenae Stuttgardiae. Sed intelleximus eum agere, non ut veram sententiam de verbis coenae inquirat et cognoscat, sed ut imperitis persuadeat se et suam ecclesiam non pugnare cum Aug. confessione. Homo est eruditus et multis modis venerandus, sed displicet mihi in sene studium imposturae huius et intelligo quid agat *etc.* (*Bertram* 373; *Schnurrer*, Erl. der würtb. K. u. Ref. G. 245.) *Adde quod Lascus multo maiora exspectaverat quam simplex colloquium cum Brentio.*

4) *Aetatem non tulisse videntur.*

5) *Rumor hic videtur vanus fuisse, nisi huc trahere velis quae habet Bretschneiderus in Annal. ad* 12. *Ian.*: Flaciani theologi (Amsdorfius, Schnepfius, Strigelius, Stolzius, Aurifaber) et legati Palatini et Würtembergenses Wimariae conveniunt et decernunt firmiter tenendam Lutheri doctrinam de libero arbitrio et coena sacra. *Vel* 2. *Febr.*: Mel. Dresdam vocatur ad deliberandum an conducat ut ante comitia Ratisbonensia theologi conveniant concordiae faciendae causa.

6) *Cf. N.* 2404. 2405.

7) *N.* 2385. 2405.

8) *Miveris eum certiora non habere.*

Plura iam non possum, vir sanctissime. Commendo me diligentissime sanctis tuis et tuorum omnium precibus. Vale. Francoforti secunda Aprilis 1556.

Tui studiosissimus
Ioannes a Lasco.

2424.

GLAUBURGUS CALVINO.

Gratias agit de literis consolatoriis nuper scriptis. Etiam quas ad senatum dedit bene exceptae sunt. Quod proposuit colloquium cum ministris Francofortensibus habendum vix ad rem aliquid facturum foret et melius omittetur. Status ecclesiae gallicanae deploratus.

(Ex Cod. Goth 405, fol. 76 autogr.)

Reverendo et clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori fidelissimo domino et amico suo inprimis observando.

S. Quod literis meis, [1]) reverende domine, quas in mense Decembri ad te scripseram, responderis [2]) his nundinis, summas habeo et ago gratias, non solum quod mihi sint gratissimae, verum etiam quod talem consolationem ob defunctum agnatum meum attulerunt, ut id quod concionator *Hartmannus* parum consideranter in funere agnati protulit facilius nunc condonem, quod (ut verum fatear) nisi a te admonitus non fecissem. Non tamen propterea approbo illius et reliquorum concionatorum pervicaciam, quae talis est ut fere nullum sincerum et pie sentientem ferre possint. Spero tamen Deum Opt. Max. daturum medium per pios aliquos principes, ut talium et consimilium hominum morositas atque pertinacia aliquando compescatur.

Porro de literis [3]) quas ad senatum nostrum dedisti hoc possum affirmare, illas senatui gratissimas esse. Verum quum pariter ad nostros scripseris concionatores, [4]) ego iustis rationibus adductus procuravi ut talis epistola alligaretur senatus literis. Itaque factum est ut ea concionatoribus per consulem exhibita fuerit. An vero his nundinis responsuri sint nescio: [5]) arbitror tamen illos posthac mitiores futuros, maxime quum nunc intelligant *Westphalum* non unum tantum sed plures habere contradictores.

Quod vero te ad placidum offers colloquium si per nostros admittaris concionatores, intelligo et perspicio in hoc summam pietatem tuam, quod non refugis tam longi itineris molestiam suscipere, modo Christi ecclesiae inservire possis. Itaque pro huiusmodi animi tui propensione atque pietate ingentes tibi ago gratias. Et quamvis sciam adventum tuum [6]) in tali negotio non inutilem fore, tamen quum videam concionatorum nostrorum susceptam contentionem non esse tanti momenti ut hoc tempore a Geneva esses accersendus, deinde si etiam ipsorum petulantia tua praesentia et autoritate coerceretur, semper tamen haberent quod postea obiicerent: nempe tale colloquium fuisse tractationem particularem paucorum hominum, neque per eam aliquid derogatum esse Saxonicis ecclesiis etc. Proinde quum omnibus sit spes aliqua de colloquio in comitiis Ratisponensibus habendo, ego, salvo tamen tuo iudicio, suaderem nihil tentandum esse per privatum colloquium hoc tempore, et praesertim anteaquam omnibus piis certo constaret de progressu comitiorum imperialium etc. Ego plura de hac re cum generoso et reverendis dominis D. Ioanne *a Lasco* et Valerando *Polano* multoties colloquutus sum. Quae illorum sit sententia non dubito quin ad te sint perscripturi.

Nunc ad alteras et posteriores tuas literas [7]) respondere volo, in quibus tractatur causa dissidii quod exortum est hic in gallicana ecclesia, cuius nomine tuum quaesivi atque expetivi consilium, ut Dei ope et tuo consilio adiutus lacera membra illius recolligerentur, et ad veram unitatem perducerentur. Quae mihi autem in prolatione sententiae (quae toti ecclesiae gallicanae primum a me germanice, deinde a filio meo *Carolo* gallice fuit pronunciata et publice lecta) a quibusdam relata sit gratia, malo ex aliis prius intelligas quam ex me. Certe si mihi liceret proferre id quod sentio, dicerem Satanam eo intendisse omnes nervos quo non solum hic gallicanam destruat ecclesiam, verum etiam illam reddat propter ipsorum implacabile odium sic exosam et detestabilem, ut nullum amplius in Germania locum invenire possit, sicut tua excellens pietas pro donis tibi a Deo concessis facillime poterit iudicare. Quantum in me tamen erit, non deseram pios et pacificos huius ecclesiae, quamdiu illa hic habuerit locum. Senatus huius urbis illos hactenus benigne et humaniter tractavit. Ipsi-

2424. 1) *N.* 2351.
2) *N.* 2398. 2404.
3) *de verditis.*
4) *N.* 2401.
5) *Responsum iam legisti N.* 2422.
6) *adfuit m. Augusto.*
7) *N.* 2404.

met nunc videant ne sint in culpa ut omnes urbe expellantur.[8]) Tale dissidium adfert secum malum exemplum. In Germanorum ecclesiis, si quis talia tentaret, periculum illi esset de capite.

Sed iam de hoc negotio satis. Dominus D. *Balduinus*[9]) et D. *Crispinus* tibi ordine referre poterunt qualis nunc sit status illius ecclesiae. Tu interim, reverende domine, bene vale, et si quid consilii habes, sicut scio te non destitutum esse consiliis, illud rogo profer antequam illa penitus dispergatur et corruat ecclesia. Deus te conservet incolumem ad augmentum gloriae ipsius et restaurationem ecclesiae suae. Datum raptim Francoforti ad Moenum tertia Aprilis anno Domini 1556.

Tuus ex animo
Ioannes a Glauburgo senior.

2425.

POLLANUS CALVINO.

Raptim tradit quaedam de Lasci consilio circa colloquium de re sacramentaria habendum, rogatque ut Calvinus aliquam brevem formulam conciliatricem concinnet.

(Ex apographo Cod. Paris. Dupuy 102, fol. 99.)

Clarissimo theologo D. Ioanni Calvino magistro ac parenti in Christo colendissimo.

Genevae.

S. P. In hac tumultuaria abitione non possum multis tecum agere. Ipsi autem me, uti spero, apud te excusabunt. Hoc autem volebam: his diebus D. *Grempius*[1]) Argentinensis pransum * nobiscum apud D. *a Lasco*. Is in se recepit negotium seu colloquium principi Wirtembergensi commendare, modo possit polliceri nihil contra confessionem Augustanam. De te vocando et *Vireto* et D. *Martiite*[2]) et *Musculo* nihil dubitat. Verum in Tigurinis haeret. Ipse D. *a Lasco* in brevi est ad ipsum Ducem profecturus. Orate interea Dominum. Videbatur hodie nobis, D. *a Lasco* et mihi, non fore inconsultum, si brevi scripto publice testaremur, omnes nos subscribere confessionis Augustanae verbis de coena.[3]) Tantum de interpretatione ut inter nos conveniat cum reliquis optare colloquium placidum. Sed de eo deinceps explicatius. Tantum hoc volui indicare ut interea cogites. Et si forte aliquis istinc huc proficisceretur, formulam aliquam brevem conceptam abs te mitteres D. *a Lasco*. Nollemus illam habere plus quam folium, et quam brevissimam. Condona mihi quod sic tumultuarie. Malui sic scribere quam omnino nihil.[4]) Caetera ex istis audies. Nolo deinceps tibi et mihi molestus esse. Salutem opto omnibus bonis fratribus symmystis. Rogamus te ut de D. *Olbracht*[5]) quamprimum nos certiores reddas. Dominus Iesus te sospitet. Raptim Francofordiae 6. April. 1556.

Tuus observantissimus discipulus et filius in Christo
Valerandus Pollanus.

2426.

THENAUDUS[1]) CALVINO.

Sibi officium Calvino scribendi incumbere professus primum quaedam de rebus Helvetiorum publicis narrat, tum prodigium Vitoduri visum, Biblia Tugii cremata, Pellicani obitum, denique sui ipsius novum munus paedagogicum.

(Ex autographo Cod. Paris. nation. Coll. Dupuy 102, fol. 172.)

Clarissimo viro pietate et eruditione insigni D. Ioanni Calvino fidelissimo ecclesiae Genevensis pastori.

A Geneve.

S. D. Etsi ratio officii mei postulabat, vir clarissime, ut post meum discessum crebras ad te

---

8) *Quod non sine causa praevidit prudentissimus et benevolentissimus ille senator. Paucis post annis expulsi sunt.*
9) *De Balduini itinere Francofurdensi alibi nihil. Etiam Hevelingius tacet. Videtur cum Crispino ivisse ad nundinas profecto, antequam ipse ab electore Friderico II. vocatus Heidelberyam se contulerit.*

2425. 1) *Lud. Gremp de Freudenstein Stuttgardiensis, inde ab a.* 1541 *Syndicus Argentoratensium etiam ab exteris saepe in consilium adhibitus.*
2) *sic!*

3) *Quod quamvis Lutheranis minime sufficeret, Calvinus a Pollano propositum fuisse aegre ferebat postea.*
4) *Etiam de sua ecclesia tacet.*
5) *Holbracum Calvinus Francofordiam misit ubi d.* 10. *Iulii appulit. Cf. etiam infra epp. m. Maio exeunte et Iunio scriptas tam Farelli quam Calvini ad eundem, ad Glauburgerum et Pollanum.*

2426. 1) *Vir caeteroquin ignotus. Ex ipsa hac epistola colliges eum iuvenem Genevam venisse.*

literas darem, quibus et de rebus publicis, si quid mihi compertum esset, et de privato rerum mearum statu fieres certior (hoc enim memoria et ratio institutionis, qua abs te velut ab incunabulis et a puero, ut dicitur, in pura et orthodoxa religione informatus et institutus sum, efflagitat et tuus in me singularis amor, pia et non satis laudanda benevolentia, qua pios omnes, et eos maxime qui tuis auspiciis in Christi cognitione rudimentis positis magnos progressus fecerunt, prosequeris, etiam exigit), nescio tamen quo pacto factum esse dicam ut hactenus nullas ad te scripserim epistolas. Et certe scio, id non alia de causa factum esse quam quod vix hic inveniantur qui tuto ad vos perferant literas. Itaque si nomine negligentiae tibi suspectus esse potuerim, lubens me culpa non vacare agnosco. Etenim quis est tam in scribendo piger quam ego? Meam tamen tuorum erga me meritorum [*gratitudinem*] nulla unquam delebit oblivio. Sed de literis hactenus. Non enim vereor quin non te scribendo expleam, id est, meis scriptionibus tibi facessam negotium: praesertim si studium meum non aspernabere.

Principio quod ad publicas res attinet, haec scias velim, omnium animos hic magnopere esse valde sollicitos summoque timore perculsos, tum propter ostenta et prodigia quae visa sunt ac quotidie videntur et apparent, tum etiam propter reditum legatorum quinque pagorum, ut vocant, qui adhuc mordicus et praefracte papisticam tuentur religionem. Ante aliquot menses Romam legationis causa a suis missi fuerant ad Neptunum illum Romanum et Memphiticos istos cornutos, a quo praeclaris scilicet muneribus et donativis, ut loquuntur, ditati donatique sunt, nimirum tribus vexillis quibus bellum gererent adversus Christum et suos. Quid enim aliud ex ista Africa aut Libya novi attulissent quam monstrum aliquod? Nunc autem multa nefarie et scelerate in totius reipublicae perniciem et communis patriae pestem eos moliri vulgo dicitur: licet eo ventum non sit ut ad arma sit conclamatum, tamen passim sinistri rumores seruntur et in vulgus quotidie sparguntur. Quo magis autem hic rumor confirmetur, iam haec fama constans est et percrebuit, Solodurenses Friburgenses et episcopum istum Basiliensem velle bellum Biellensibus indicere.[2]) Hinc mali labes. Hanc enim belli ansam cupide arripere conantur, quo in alios qui evangelium profitentur irruere et grassari possint et sociorum papistarum animos in illos irritare, ut una iunctis copiis eos opprimant. Isti enim, non ut antea, actis cuniculis clam, sed aperte arcem ipsam invadere cupiunt, id est puram et orthodoxam religionem ex tota Helvetia profligare. Quemadmodum hic a viris fide dignis relatum est, eos sacramento pollicitos fuisse pesti maximae, dicturus eram pontifici maximo, se nullum non moturos lapidem ut radicitus e sua regione hanc sancrosanctam Dei veritatem (quam ore suo profano haereseos crimine insimulant) evellant et funditus eius professores deleant. Haec sunt igitur istorum nefariorum et sceleratorum consilia qui iam *θεομαχίαν* instituunt. Sed Dominus de coelo illorum conatus deridet, eorum funesta consilia dissipabit, insidias deteget, ac tandem faba (ut tritum est illud Comici[3]) proverbium) in eos cudetur et eos Dominus suo baculo ferreo conteret.

Nunc ad illa prodigia et ostenta redeo de quibus mentionem feci. Calendis Februarii visum est horrendum ostentum Vitoduri.[4]) Est autem Vitodurum municipium celeberrimum in agro Tigurino situm. Tale est: in pinnaculo templi visa est turris ignea et flagrans, quae postea magno fragore edito in terram cecidit, ignisque in terra micans visus est. Eodem temporis momento magnus ignis accensus in cacumine vicini montis apparuit, ad quem exstinguendum factus est frequens rusticorum concursus, qui ubi illic pervenerunt statim ex ipsorum oculis e conspectu evanuit. His vero diebus proximis visus est dirus cometes, fulgens et coruscans in forma mucronis et ensis equitis cataphracti. Hic singulis noctibus maior fiebat et augebatur ab oriente versus occasum tendens. Alii duos, multi se tres vidisse affirmant. Omnes tamen uno ore tristia infausta et infelicia sibi ominantur. Quod quidem omen Deus verus noster *ἀλεξίκακος* pro sua bonitate clementia et misericordia a nobis et suis avertat. Sed quidquid est quod consequetur hos crines horrendi sideris, triste profecto erit. Nam quemadmodum nemo comatulus est, ut Graeci dicunt, qui molliculus non sit, ita de hoc sidere liceat loqui: *οὔτις κομήτης ὅστις οὐ κακὸν φέρει.*[5]) Certe quum Deus haec signa et prodigia coelitus emittit et edit, videtur velle diem dicere hominibus ac dicam illis scribere, suaeque imminentis ultionis certa *τὰ σύμβολα* dare.

Sed quid ego nunc haec ad te tanta eruditione doctrina et singulari in sacris literis cognitione ac pietate, cuius domi nascuntur, *γλαῦκα εἰς Ἀθήνας*?

---

2) *Bielenses a capitulo cathedrali Basileensi vallem S. Imerii a.* 1553 *acquisiverant, invitis incolis. Inde longae ambages de quibus adeas Ruchat.* VI. 146 *ss.*

3) *Terent. Eunuch.* II. 3, 89.

4) *Cf. Hess, Bull.* II. 415.

5) *Lege: οὐδεὶς κομήτης etc. Adagium hoc apud veteres frustra quaeri nobis affirmavit collega doctissimus Aem. Heitz, verum ut Ioach. Camerarii opus laudari ab I. L. Havenreutero in Comm. in Aristotelis Meteor. l.* I. *p.* 81. *Paulo aliter sonat illud quod ex G. Pachymere affert Casp. Barthius ad Claudian. bell. Getic.* 243: *οὐδεὶς κομήτης ὅστις οὐ φύσει κακός.*

Sed ecce ad haec tanta e coelo nobis divinitus data praesagia, irae Domini documenta, nuper accessit facinus horrendum et nefandum scelus, hactenus inter illos inauditum. Tugii siquidem iis diebus ingens sacrorum bibliorum copia igni cremata et combusta est,[6] et quidquid erat librorum qui de sacris rebus et de religione conscripti erant in piorum civium aedibus, furiose facto in illos impetu, igni flammisque tradiderunt. O caecas mentes! o pectora caeca!

Sed haec iam satis. Nunc quod ad meum statum attinet sic accipe. D. *Lismaninus*, quum primum huc appulit, antequam suam profectionem pararet in Poloniam, nihil prius et antiquius habuit quam ut duos illos iuvenes Polonos ex amplissima familia et nobili genere natos, ut probe a D. *Lismanino* intellexisti, in viam reduceret et eorum dissolutos corruptosque mores reformaret.[7] Illi autem eo absente, dum esset Genevae, perdite a studiis abstracti et avulsi fuerant, ita petulantes et protervi facti ut nullo modo in ordinem cogi posse viderentur. Ita multis precibus mecum egit ut, si rem gratam ecclesiae renascenti in Polonia et matri omnibusque parentibus facere vellem, illorum curam et institutionem susciperem. Eo tandem ab illo adductus sum, mihique persuasit, et hanc provinciam satis quidem duram obeundam suscepi. Nam illorum ingenium non plane abhorret a Sarmatis. Quo autem melius sub fraeno contineri possent nos collocavit apud virum doctissimum, fidelissimum huius ecclesiae ministrum, D. *Wolphium*, qui mihi in illis compescendis, eorum moribus formandis et instituendis est adiutor assiduus. Itaque mihi bona iam spes iniecta est, illos brevi ad frugem posse redire, suis et patriae ornamento et decori fore.

Pridie quam haec scripsi D. Conradus *Pellicanus* linguae hebraicae professor diem suum obiit,[8] magno sane cum detrimento reipublicae literariae. Fuit enim hac nostra aetate huius civitatis decus et ornamentum. Pluribus verbis fortassis ad te scripsi quam oportuit, vir clarissime, quippe qui nullam neque pietatis et tuae rarae eruditionis rationem habuerim, aut haec pingui Minerva scribens tuas aures mea impolita et inculta oratione obtundere potuerim. Ignoscas velim temeritati nostrae et haec omnia aequi bonique consulas quaeso. Ad id enim me impulit is amor quo te tanquam parentem in Christo prosequor et colo, utpote qui abs te Christo genitus sum. Quare dabo operam ut in posterum quidquid ad te scribam magis sit politum *καὶ κατὰ τὸ πρέπον*, atque etiam ut hanc Spartam quam nactus sum ornem omni cura opera diligentia et studio *τῷ θεῷ* providebo. Bene vale. Dominus te ecclesiae suae diu incolumem servet, teque suo semper sancto spiritu regat, quo invicta animi magnitudine et constantia intestinos hostes gladio spiritus profligare et lupos a grege Domini arcere possis, tuosque labores provehat et foveat ad ecclesiae aedificationem, tibique cum omnibus sanctis benedicat. Amen. Tiguri 6. Idus Aprilis.

Tuus tibique addictissimus
Ioannes Thenaudus Biturigus.

D. *Wolphius* hospes noster te in Christo plurimum salvere iubet seque tuis precibus commendatum iri cupit.

6) *Turicensibus maximum scandalum. Cf. Hess. l. l.* 402.
7) *De filiis Dluskae loqui videtur.*
8) *Obiisse constat Nonis Aprilis* 1556, *ipsa dominica Paschatis. Quod simul epistolae huius natales definit.*

2427.

CALVINUS VIRETO ET BEZAE.

Usque ambigit de ministro Parisiensibus mittendo et de variis cogitat. Waldenses armis se defendere constituerunt. Bernensium de Ochino iudicium.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 131. Legimus praeterea in Epp. Bern. VI. 597, ap. Simlerum Vol. 87 et anglice in edit. Philad. III. 259.)

Eximiis Christi servis D. D. Petro Vireto et Theodoro Bezae, fratribus integerrimis.

S. De *Morellano*[1] optimo fratre ita sentio, non esse in eo loco retinendum diutius, ubi eum multa taedia nullo vel exiguo profectu conficiant, ubi quotidie manent discrimina, nec pretium respondet, ubi sua functione ad extremum perfunctus videtur. Tentavit enim constanter longa patientia, quidquid a servo Dei flagitari potest. Utinam hic esset, ut nos liberaret consultandi molestia. Accidit enim praeter spem, ut *Petrus* hypodidascalus[2] maneat in suo gradu. Nam etsi probitas hominis satis nobis comperta est, timenda fuit calumnia, si admitteretur. Parisiis, ut dicis, esset utilissimus. Certe si detur ex plurimis optio, non video inter eos qui liberi sunt aptiorem. Francofordienses, si intelligant illinc posse abstrahi, non immerito eum appe-

2427. 1) *Qui tum Altavillae* (*Aubur*) *erat et ad S. Mariam ad Fodinas.*
2) *Le Duc cf. N.* 2418, *not.* 6.

tent,[3]) sed antequam de eo statuatur, in eius locum sufficere mediocrem quempiam expediet, ne locum desertum occupet Satan.

Stephanus[4]) ad me nuper scripsit, fratres Alpinos,[5]) quia vim contra se parari intelligunt, ad repugnandum se accingere. Nova illinc anxietas: simul ac oblatus erit nuncius, eorum animos mansuefacere conabor. Sed quidvis potius experiri decretum est, quam ultro se dedere. In montes autem fugere absurdum putant, unde eos brevi inopia extrahat.

Bernensibus[6]) rectum de *Ochino* iudicium gratulor, ac spero fore, ut Tigurini ab illis admoniti de sua facilitate aliquid restringant. Ego interea ut suadetis, tacebo. Utinam legati nostri aliquid tandem conficiant. Rogandus erit Dominus, ut omnes difficultates expediat. Dolor capitis ex catarrho abrumpere epistolam me cogit. Valete, optimi et integerrimi fratres. Quia nullus ad *Farellum* nuncius iturus erat, quod de *Stephano* scripsi, facite ut prima occasione intelligat. Dominus vos conservet, regat ac sustentet perpetuo. Genevae 10. Aprilis 1556.

Ioannes Calvinus vester.

3) *De Holbraco ergo nihildum constitutum.*

4) *Hunc ministrum Waldensium fuisse suspicamur.*

5) *De Waldensium ecclesiis circa hoc tempus constitutis vide supra N.* 2189. 2240. 2250. *Quarum praecipuae fuerunt Angrogne, Luserne, S. Martin. — Hist. des Martyrs f.* 584: L'an 1555 au commencement du mois d'Aoust la pure predication de l'Evangile se commença à faire publiquement à Angrogne. Les ministres avec le peuple avoyent bien deliberé de continuer le plus couvertement qu'ils pourroyent pour le commencement, mais tant de gens acouroyent de tous costés qu'il falut prescher en public et devant tous. A cause de quoy on bastit un temple au milieu d'Angrogne où les sermons et assemblees se faisoyent . . . . . Environ la fin du mois de Decembre suyvant il y eut nouvelles de Turin qu'il estoit ordonné qu'on envoyeroit quelque cavalerie et infanterie pour destruire et saccager Angrogne . . . . . Tant y a que ceste entreprise fut rompue. Au mesme temps on commença de prescher aussi publiquement en la vallee de Luserne. Au commencement du mois de Mars 1556 ceux de la vallee de S. Martin eurent des ministres qui prescherent tout ouvertement. En ce temps quelques gentilshommes de ceste vallee prindrent prisonnier un bon personnage nommé Barth. Hector, libraire, comme il passoit pour aller à la dite vallee, lequel fut incontinent livré à la iustice et mené à Turin où il mourut constamment. (*Cf. fol.* 428 *v. ubi de eius morte agitur.*) *Vide etiam Hist. eccl.* I. 137. — *Sulzerus Marbachio d.* 25. *Iun.* 1556 *in Marb. Epp. p.* 57: Nuper scripsi de successu regni Christi in Galliis: laetiores indies nuncii inde adferuntur, maxime de regionibus Inalpinis quas vocant . . . . . Procurrit evangelii fides et confessio. Sunt enim in illis valles plures et multa hominum millia qui Christum palam profitentur. Ministros habent missos e Lausannensi schola, exsules Gallos, viros doctrina pietateque praestantes, idque ipsorum rogatu . . . Coena celebrata est palam apud Angrognanos magna populi frequentia ad numerum saltem 6000. Concursus ad sacras conciones ab xj millibus italicis: tanta est sitis salutiferae doctrinae. Non latent haec supremum senatum Taurinensem. Profectus est praesidum unus cum senatoribus aliquot, qui partim blanditiis et pollicitationibus partim minis atrocibus conati sunt hos populos a recta via et evangelii professione abducere, sed frustra. Nam ne unus quidem inventus, non mulierculae, non pueri, qui non responderint se extrema quaeque potius pati esse paratos quam ut a Christo deficiant.

6) *Patet Ochinum et Bernensibus et Calvino iam suspectum fuisse: qua vero de causa, non item. Trechselius quidem* (II. 214) *hanc sibi in peculiari autoris sententia de coena in libro contra Westphalum proposita deprehendisse videtur; speciatim quod sacramentum pignus gratiae esse negaverit. Hoc fortasse de Bernensibus valebit. Calvini suspicio altius repetenda: scilicet inde quod Ochinus postridie supplicii Serveti Genevam advectus sibi eventum displicere haud obscure significaverat. Libellus contra Westphalum multo magis a Lutheranis male acceptus fuit, ita ut dux Christophorus propter eundem a Locarnensibus manum antea porrectam subduxerit.* (*Meyer, Loc.* II. 18. *Curio ad Bull.* 20. *Iun.* 1557.)

2428.

VERGERIUS BULLINGERO.

Iam et ipsi Gribaldus de orthodoxia suspectus.

(Excerptum ex Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 170, olim Scrin. B. Epp. Tom. 44, fol. 679. — Simler. Vol. 87.)

Clarissimo viro D. Henricho Bullingero fratri et domino honorando.

Tiguri.

— *Gribaldus*[1]) nunc in patriam satis iniquo tempore est profectus. Misit ad me D. *Martyr* scriptum, quod ille Genevae sparserat, satis alienum a confessione[2]): fateor mihi valde ista displicere. Sed sic sunt omnes, tegunt se mira astutia, praeterea cum infamia bonorum. Serio monui hominem ne pergat. — Tubingae xi Aprilis 1556.

Vergerius.

2428. 1) *Videtur Calvini ad Volmarium epistola* (2220) *et quod Beza Bullingero et Vergerio de Gribaldo dixerat hunc permovisse ut Tubingam relinqueret. Verum neutiquam in Italiam se contulit, ut finxisse videtur, sed in Helvetiam. Musculus Zanchio scribit d.* 7. *April.* (*Zanchii epp. p.* 310): Vergerii literas attulit ad me hodie D. Gribaldus, vir non modo prudentissimus sed et pietatis Christi scientissimus. *En quam facile iste sibi fucum fieri passus est, scilicet Gallorum iudicium minoris faciens quam Itali loquacitatem. Postea Basileae fuit teste Sulzero ad Bull.* 19. *Maii.*

2) *Bull. Bezae* 3. *Dec.* 1555: D. Gribaldus multa apud me questus tandem talem fidei confessionem edidit quam ego improbare non potui. Si vero alia spargit apud alios in semetipsum Dei iram excitat. (*Trechsel* II. 287.)

2429.

CALVINUS PORUSSONIO.

Rationem reddit molestiarum in quas sua culpa soror eius Genevae incidit. Simul ipsius laudem in munere gerendo praedicat et ad pergendum hortatur.

(Ex coaevo exemplari, in cuius tergo Calvini manu scriptum est: *Porusson*,[1]) Cod. Genev. 107[a], fol. 132; Epp. Bern. VI. 598. Simler. Vol. 87.)

S. De sorore tua prius quam literae tuae venirent, optime frater, iam res satis commode transacta fuerat. Durius fuisse initio exceptam non est quod mireris. Tacuerat de coniugio, gravidam se esse non dixerat. Postquam aliunde innotuit foetum sex mensium eam gestare, silentium bonis omnibus merito suspectum fuit, nec parum offendit tam supina eius securitas. Et certe tota illa ratio inconsiderata fuit, e claustro non prius egredi quam plenum uterum efferret. Imo ambos sub monachali habitu instar coniugum familiariter simul versatos esse absque evangelii probro non est credibile. Atque hanc levitatem magis odiosam aetas reddidit. Iam vero quum de mariti consilio rogata foret, vacillare aut saltem parum sibi constare visa est. Tu vero pro tua prudentia iudicas quam absurdum fuerit uxore procul ablegata manere in illis sordibus, nec ullum animi sui testimonium reddere. Caeterum eam comiter hortatus sum ut sinistram opinionem, quam sua culpa contraxerat, misso ad maritum proprio nuncio purgare studeret. Remedium hoc profuit, quia ille idem nuncius fideiussor fuit in baptismo infantis. Nec vero longius progressa est severitas quam ad istam denunciationem, non posse infantem sub legitimi partus nomine admitti donec de patre certius aliquid oblatum foret. Denique post nuncii reditum placata fuit offensio, et ante privatim tantum fuerat admonita. Ergo de hoc negotio, nisi quid novi et inexspectati contingat, ne sis sollicitus. Nam certe tua anxietas nobis perinde molesta fuit ac si tuo loco singuli essemus.

Te istic strenue laborare et fructum exstare tui laboris qui te ad perseverandum stimulet, quam iucundum nobis sit, verbis exprimere nihil attinet. Scimus, et multorum relatu pridem fuimus admoniti, non pauca taedia tibi devoranda esse. Sed qua conditione istuc profectus sis non ignoras, et quanquam conspectu frequentiaque hominum interdiu privaris, tibi ad solatium sufficere confidimus, quod noctis tenebris piorum mentes doctrinae claritate illustras. Perge igitur infracto animo, optime frater: imo his levibus exercitiis ad obeunda, si opus sit, maiora certamina te compares. Nos quidem incommodis tuis condolescimus ut par est, qui tibi vellemus optime, frater. Sed te in cursu tam praeclaro fatigari minime convenit, praesertim quum multis te non vulgaribus solatiis Dominus ad constantiam animet. Vale igitur, frater nobis carissime, cum tota ecclesia quam nostro nomine salutabis. Christus vos omnes tueatur suo praesidio, spiritu gubernet, omnis benedictionis genere locupletet. Idibus Aprilis 1556.

Io. Carolus Passellius
suo et fratrum nomine.

2429. 1) *Vir ignotus.*

2430.

CALVINUS PETRO FABRO.

Iuvenem alias ignotum ad pietatem exhortatur patris exemplum vitandum proponens qui olim, ut videtur, ab evangelio defecerat.

(Ex thesauro Bezano ed. Genev. p. 178, Laus. p. 369, Hanov. p. 413, Chouet p. 241, Amst. p. 110. — Gallice legitur in ed. Berol. p. 238.)

Etsi literae tuae duplici nomine gratae mihi suavesque fuerunt, quod in illis ingenii dexteritas et elegantioris doctrinae nitor emicat, deinde quod tuae erga me observantiae testes esse voluisti: plus tamen illis apud me gratiae addidit quod tuae in Deum pietatis signum ac pignus esse interpretor. Etsi enim qui liberalibus doctrinis sunt exculti me forte amant, quia ab illis existimant non prorsus alienum esse: scio tamen ea me invidia flagrare apud totum fere mundum, quae multos a mea amicitia absterreat. Itaque reverentiam quam communi magistro defers causam esse non dubito, quae tuum mihi animum conciliat teque ad scribendum impulit. Hoc vero pietatis semen ut sedulo fovere atque etiam excolere studeas et assiduo progressu ad frugem usque perducere, pluribus de causis hortari te cogor. Video aetatem tuam: video corruptionem totius nostri saeculi: video quod te circumstent mundi illecebrae, quae totidem sunt ad te inescandum hami: video denique innumeras Satanae insidias, quibus cavendis nemo unquam satis erit intentus. Dominus te iam forte virili spiritu ornavit. Sed quum lubrica semper et flexibilis sit iuventus, remedio isto, quod omnibus tuis aequalibus praescripsit David (Psal. 109. vers. 9), opus tibi esse cogita,

nempe ut Dei sermonem custodias. Quantus vero scelerum labyrinthus hodie mundum involvat, et quanta impietatis colluvies ubique exundet, verbis explicare nihil attinet. Te vero ne falsis blanditiis mundus deliniat, non frustra metuo. Nam ut reliqua taceam, me patris tui exemplum huius periculi plus satis admonet. Quum mihi ingenii sui mansuetudinem et candorem (quae duae sunt rarae virtutes) probasset, longe alia mihi de eo pollicitus fueram, quam quae boni omnes se comperisse narrant. Hoc si homini maturae iam prudentiae, et ad optima quaeque longa iam peritia assuefacto accidere potuit, quid tibi periculi imminet, nisi attentissime caveas? Qua in re opinionem meam fefellerit, si rogas, uno verbo accipito, quia mundi blanditiis irretitus sese Christo subduxit. Eius itaque memoria ad te acrius stimulandum me non immerito excitat. Sed quia longius progredi non patitur vel temporis angustia, vel epistolae modus, tantum velim hunc tibi scopum toto vitae cursu proponas, quando nobis in regem a patre datus est Christus, et pro omnibus mortuus est ac resurrexit ut omnes ei vivant ac moriantur, te in eius obsequium prorsus addicas: quando unicus etiam nobis datus est magister, ut coelesti eius sapientiae studia tua consecres. Nam ut te liberalibus doctrinis excultum esse gaudeo, ita tuum est videre, nisi eas in legitimum finem et usum referas, totum perverti naturae ordinem: quidquid etiam splendoris et opulentiae te manet, non invideo, modo ab eorum illecebris non secus atque exitialibus venenis tibi caveas. Vale, frater mihi carissime. Dominus te spiritu suo ad extremum regat, praesidio tueatur, omni genere benedictionis locupletet. Idibus Aprilis 1556.

2431.

LISMANINUS CALVINO.

Polonica quaedam paucis narrat et expedit.

(Ex autograph. Cod. Genev. 110, fol. 177.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis vigilantissimo et fidelissimo pastori domino et patri colendissimo.

Genevae.

Gratiam quae est per Iesum Christum D. N. Quum nihil certi a Rege possim scribere,[1]) vir Dei mihi semper carissime et observandissime, non erat animus ad te literas vacuas mittere, ne te onere rescribendi gravarem, sed rursus, ne hoc meo silentio offenderem, malui hoc epistolio laconico te salutare quam per alios. Ex scriptis quae his alligavi cognosces quomodo hactenus me Dominus exercuit satis clementer. Sum totus in liberandis aliquot Franciscanis eruditis ex papatu. In qua re pia et ecclesiae huic renascenti summe necessaria si me iuveris adhortando illos, imo et increpando, quae tua apud illos est autoritas, rem et mihi gratissimam et illis utilem et Deo acceptam feceris. Petrus *Tonvillanus*[2]) ut quam primum proficiscatur ad nos, cura obsecro. Est enim mihi et huic ecclesiae admodum necessarius. Ex *Varrone* cognosces me illi de viatico prospexisse. Quod si ille subterfugeret id laboris, da operam ut alterum mittas, qui et exemplo vitae, et scribendis literis, ac vertendis tuis gallicis me et ecclesiam iuvet. Brevi et ecclesia ad te scribet[3]) et a proceribus tibi rescribetur. G. D. Stanislaus *Carninski*[4]) Iwien,[5]) meus hospes, qui etiam brevi rescribet, te nunc reverenter salutat. Dominus te suae ecclesiae diutissime servet. Ex Alexandrovice 15. Aprilis 1556.

Franciscus Lismaninus tuus.

2432.

FARELLUS CALVINO.

Varia obiter de rebus quae ex parte tantum aliunde magis nobis innotuerunt quam ex tectis autoris verbis. Pertinent vero maxime ad Waldenses, Parisienses, Gruanos.

2431. 1) *Scripta est haec epistola quo tempore Lismaninus latere coactus nondum in regis gratiam receptus fuerat. Episcopi de eius adventu certiores facti mandatum regium contra eum obtinuerunt, magnates vero nonnulli pro eo intercesserunt.* (*Lubien.* 65.) *Vulgo credebatur m. demum Maio vel Iunio rediisse.* (*Salig.* II. 605.)

2) *Petrus Statorius ex Thionville.* Fuit is natione Gallus qui Geneva Lismaninum in Poloniam sequutus libros Serveti secum attulerat et regimini celebris scholae Pinczovianae post Paulum Orsacium admotus. (*Lubien.* 148.) *Discipulum Bezae dicit Sand. bibl. antitr.* 47 *et a.* 1559 (*?*) *in Poloniam venisse. Oratione funebri Lascum laudavit a. d. IV. Cal. Febr.* 1560. *Fuit ex iis qui S. S. in linguam polonicam vertere susceperunt. Haag* IX. 317: S'étant déclaré ouvertement pour les opinions antitrinitaires il crut prudent de quitter la Suisse en 1556 et de se retirer en Pologne. (? ?)

3) *Vide N.* 2446.

4) *N.* 2366.

5) *sic.*

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 113; coll. c. Epp. Bern. VI. p. 601 et Simleri Vol. 87.)

Praestantissimo Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae quam fidelissimo pastori fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Christus omnia componat inter urbes, [1]) et ut non sine miraculo etiam insigni istam ecclesiam servavit, ita semper magis et magis tueatur. Multa feruntur et de Gallo [2]) qui militem legit ad Alpium radices, et aliis, ut ista subito evertatur urbs: alii in pios parari alios, qui qualiter stare possunt, nisi Christus nova et orbi incognita ratione succurrerit, videre nemo potest.

Stephani [3]) discrimen non parum nos tenet sollicitos; sed tamen est aliquid audire aliqua de eo. De *Humberto* meo tam altum silentium magis nos angit, licet ante tempus miseri esse nolimus. Arbitror te nobis invidere tantam rerum ignorantiam, quum tu angaris molestioribus auditionibus, quum facta sunt quam acerbissima. Sed istud admiscet pater coelestis poculo quod tibi bibendum dat laetis lacrymis ebibendum. Sed licet iugiter haurire cogaris, quantumvis id horreat sensus et temperatura tua non videatur ferre posse, tamen manus quae offert fida quum sit, vera et certa, non supra quod potes ferre dabit, quia iam te ita assuefecit, ut nonnihil, imo multum voluptatis internae sentias, dum foris angeris.

Valde placet quod tam facile expedieris, ut plene consulatur ecclesiae et nostro tam pio *Morellano.* [4]) Abduci non poteram ut desereret semel acceptam ecclesiam, licet magis deseratur ipse quam deserat, ut olim de nobis vere dicebas. Sed longe aliter nobiscum agebatur quam cum fratre. Sed rebus plenius intellectis aperiet Christus et benigne efficiet quod in gloriam sui nominis faciet eritque e re ecclesiae et fratris. Heri nuncium ad eum misi. Spero favente Domino nos quem optamus visurum. [5]) Forte et tunc aderit *Dommartinus*, per quem intelligemus si vellet * Christus laetiora, licet Satanas funesta omnia reddere tentat. Sed fraenum habet cuius habenas tenet Christus: non feret ut pro libidine feratur.

Consilium nostrum non habuit locum. Id enim quod tu et ipse tecum dicebam, alii contra. Faxit Christus ut consilii non poeniteat praeteriti, neque vertat quod sequuti sunt, tum is tum sui. Urgebam *Viretum* ut Gruanos inviseremus, et recepit se curaturum, et inde istuc. Sed aliud ei videtur: nimirum ut cum legatis Genevensibus, quando Berna venient, ut iam convenerunt, istuc veniat, et demum ubi redierit Gruanos invisemus. [6]) Hoc quum ita conclusum sit, non possum nec volo dissolvere. Tantum opto ut feliciter omnia absolvantur, licet satis olfaciam multa moram et quidquid est impedimenti iniectura. Sed potens est Dominus qui suis aderit, quem precemur cum vate ut benigne agat cum probis qui recto sunt corde, et quidquid est nequam et improbum prorsus convertat et evertat.

Nos synodum petimus. Nondum de die constitutum. Tibi novum paramus laborem. Verum quamdiu omisisti nos invisere? Sed vale bene cum collegis. Nondum plene potui intelligere qui lecti fuerint. Christus omnes vos servet tibique omnia reddat secunda, magis et magis benedicat tuis laboribus. Cupio omnes pios salvos quos vicinos habes, et pios syndicos. Collega et *Maturinus* te salutant. Neocomi 17. Aprilis 1556.

Tuus Farellus totus.

2433.

CALVIN A UNE ÉGLISE A PERSÉCUTÉE. [1])

Exhortations et consolations.

2432. 1) *Eo ipso tempore nova legatio duce Roselo Bernae aderat.* (*Reg. du C.* 20. *Apr.*)

2) *A.* 1556 *Henricus rex inducias fecerat cum Imperatore ad quinque annos. Caeterum quid Noster sibi hic velit tu videas.*

3) *ministri ad Angronianos missi.*

4) *Cf. N.* 2427. *Pro:* abduci non poteram, *quod in autographo legitur, Simlerus emendavit:* adduci non poterat.

5) *sic.*

6) *Ultimus comes de Gruyère* (*Greyerz*) *aere alieno oppressus ditionem suam vendiderat Bernensibus et Friburgensibus, quorum illi unam, hi duas partes ex tribus emerant. Ineunte anno Hallerus c. Vireto et Hugone Muretensi eo se contulerat ad reformandas ecclesias.* (*Ephem.* 109. *Ruchat* VI. 165.) *Nunc ergo et Farellus easdem confirmaturus erat.*

2433. 1) *M. Bonnet a mis:* A l'église d'Angers. *La lettre elle-même ne contient absolument rien qui puisse appuyer directement n'importe quelle conjecture. Il ne s'y trouve aucune allusion à celle que C. avait écrite précédemment aux Angevins* (*N.* 2288). *Ce qui paraît avoir amené l'hypothèse de l'éditeur des Lettres françaises de Calvin c'est qu'il y eut réellement une persécution à Angers au commencement de l'année* 1556, *et que deux missionnaires, Iean Rabec et Pierre de Rousseau, y furent brûlés. M. Bonnet cite à ce propos une lettre de C. à Mercier du* 21. *juin* 1556. *Nous ne connaissons pas de pareille lettre. Mais on peut voir l'hist. des Martyrs fol.* 403 *suiv. et l'Hist. eccl.* I. 107: L'Eglise d'Angers dressee l'an precedent fut tresrudement assaillie y estans envoyés par le Roy Remy Ambrois president d'Aix en Provence et Mtth. Ory inquisiteur avec commission et pouvoir de proceder ius-

(Minute Bibl. de Genève Vol. 107, f. 73. — Berne, Epp. VI. 607. Simler Vol. 87. — Ruchat VII. 332. Henry II. 81. Bonnet II. 90. Trad. angl. III. 261.)

La dilection de Dieu nostre Pere et la grace de nostre Seigneur Iesus Christ soit tousiours sur vous par la communication du S. Esprit.

Treschers freres, quand vostre [2]) messager passa nagueres par icy, combien que ie sentisse par compassion en quelles angoisses vous pouviez estre, et que ie desirasse comme lun de vous de chercher bons remedes a voz fascheries et perilz, [3]) toutefois voiant a loeil que les moiens desquelz on vous avoit avertiz estoient frivoles, ie luy declairay franchement que cestoit temps et argent perdu de sy amuser. Ie voy bien, quelque semblant quil fist de vouloir suyvre mon conseil, que son courage tendoit a lopposite. Et depuis, a ce que iay entendu, leffect a monstre quil avoit conclu en son cerveau de faire ce que ie luy monstray estre du tout sans raison ne propoz. Or ie vous prie de nestimer, quant ie napprouve telles entreprinses, que ie naye tel souciz de vous comme ie doy. Mais lamitie que ie vous porte ne requiert point que ie vous abuse. Maintenant ie suis encores en plus grande tristesse et trouble, pour les menaces quon vous faict, et lapparence qui se veoit a loeil de plus grandes persecutions que vous navez senty de long temps. Mesmes croiez que beaucoup de bons freres sont en semblable peine pour vous. Mais nous ne pouvons sinon gemir, en priant Dieu quil luy plaise vous conserver par la main de ce bon et fidele pasteur en la garde duquel il nous [4]) a commis. Vous devez avoir premedite de long temps que vous estes la comme en la gueulle des loups, et que vous navez non plus dasseurance ne repoz, sinon daultant quil luy plaist vous donner de iour en iour quelque respit. Si apres vous avoir supporte quelque temps, il luy plaist lascher la bride a voz ennemys, vous avez a le prier de deux choses: quil ne permette point que vous soiez tentez oultre vostre portee, et cependant quil vous fortifie dune telle vertu, que vous ne soiez estonnez de rien qui vous pourra advenir, pour defaillir. Nous devons bien estre tous resoluz, comme nostre vie luy est chere et pretieuse, quil nous sera protecteur contre tous assaultz. Mais ce nest pas pour nous exempter des persecutions, par lesquelles il veult esprouver la patience des siens. Plustost cest la condition a laquelle nous sommes ordonnez, comme dit S. Paul, que de passer par tel examen. Parquoy mettez peine de vous confermer et pratiquer au besoing ce que vous avez apprins en lEscriture, et dont iournellement on vous admonneste. Car si nous ne scavons que cest de batailler, quelle couronne esperons nous? Or la facon de combattre nous est monstree par le filz de Dieu, de posseder noz vies en souffrant. Cest chose dure a nostre fragilite, mais puis quil a promis de donner constance invincible a ceux qui len requerront, plus tost apprenons de nous renger a sa doctrine, quen repliquant chercher de vains subterfuges. Ie ne dy pas que vous ne deviez estre esmeuz, oians ce quon machine contre vous, [5]) moiennant que cela ne vous face point perdre courage pour quitter la confession de vostre foy en declinant, mais plus tost vous sollicite a prier Dieu, et aussi esveille vostre zele pour maintenir sa verite, comme nous y sommes tenuz, quant il nous y appelle.

Au reste pource que iay entendu que plusieurs de vous se deliberent, si on les vient oultrager, de resister plus tost a telle violence, que de se laisser brigander, ie vous prie, treschers freres, de vous deporter de telz conseilz, lesquelz ne seront iamais benictz de Dieu, pour venir a bonne issue, puis quil ne les approuve point. Ie voy bien quelle perplexite vous presse, mais ce nest point ny a moy ny a creature vivante de vous dispenser contre ce qui nous est commande de Dieu. Quant vous serez affligez, naians rien attenté [6]) oultre vostre debvoir, ceste consolation ne vous pourra faillir, que Dieu vous regardera tousiours en pitie pour vous secourir en quelque facon que ce soit. Mais si vous essayez plus quil ne vous est licite, oultre ce que vous serez frustrez de vostre attente, ce vous sera un remors trop dur de sentir que Dieu vous est

---

ques à l'execution des iugemens non obstant toutes appellations, à l'instance des chanoines de S. Maurice Guill. le Rat président d'Angers et de l'avocat Guy Lasnier. Ceste persecution fut merveilleusement aspre non obstant laquelle l'église subsista grandement fortifiee par la constance de ceux qui furent executez à mort, savoir Loys le Moine, Imbert Bernard, Richard Yette, Claude Donas, Guill. Boystanné . . . . . Mais entre autres est remarquable Pierre de Rousseau; lequel retournant de Geneve et Lausanne où il avoit estudié quelque temps, et saisi prisonnier dès le mois d'Octobre 1555 par lequel commencerent les executions le 22. May 1556. Jean Rabec du diocese de Coutance en Normandie et iadis cordelier, ayant aussi esté escolier à Lausanne fut pris à Chateau-Gontier le 1r d'Aoust 1555 et là non obstant l'intercession des chrestiens seigneurs de Berne qui en avoyent escrit au Roy il fut bruslé le 24. Avril . . . . Ces cruautés effaroucherent tellement le pauvre troupeau qu'ils prierent Depleurs leur ministre de se retirer pour un temps, durant lequel toutesfois ils furent visités et consolés par Chrestien ministre de Poitiers. — *Tout cela ne nous paraît pas être de nature à servir de commentaire à la présente lettre.*

2) nostre *Bt. H. Ce messager allait sans doute à Berne pour demander l'intercession de la république.*

3) revers *Bt. H.*

4) vous *Bt. H.*

5) *Ceci semble plutôt se rapporter à des persécutions éventuelles qu'à des faits déjà accomplis.*

6) à tenter *Bt.*

contraire, daultant que par temerite vous aurez transgresse les bornes de sa parolle. Quil vous souvienne donques de ceste sentence que tout ce qui nest fonde en foy est peche, et si cela est vray quant au boire et manger, que serace en ung acte de telle importance? Si vous estes tourmentez par les iniques pour avoir ouy la parolle de Dieu, vous estre retirez et abstenuz des idolatries, et avoir confesse que vous tenez lEvangile de Iesus Christ, vous aurez tousiours pour le moins cest appuy que vous ne souffrirez que pour bonne querelle, en laquelle vous avez promesse que Dieu vous surviendra.[7]) Mais vous nestes point armez de luy, pour resister a ceux qui sont establiz de luy pour gouverner. Ainsi vous ne pourrez attendre quil vous garentisse, si vous entreprenez ce quil desavoue. Que reste il donques? Ie ny voy aultre refuge sinon quen vous despouillant de toutes voz affections,[8]) et remettant voz vies en la main de celuy qui a promis den estre gardian, vous attendiez paisiblement le conseil quil vous donnera, et ne doubtez point quil ne trouve ouverture telle quil verra estre propre pour vostre salut. Ie veoy bien cependant en quelle extremite vous demeurez: mais encores quil vous faille resister iusques au sang, pensez que vault ceste vie celeste, laquelle nous est apprestee a telle condition que nous passions par ce monde comme laissant un pays estrange, pour parvenir a nostre vray heritage. Pensez aussi que nous navons nulle excuse de refuser a souffrir pour celuy qui est mort et ressuscite, affin que nous luy dedions nos vies en sacrifice. Et combien que le monde non seulement se mocque de nostre simplicite, mais nous deteste, contentons nous que cest un service agreable a Dieu par dessus tous, que de rendre tesmoignage a la verite de son Evangile. En somme, puis que le Seigneur Iesus est le patron auquel il nous convient estre conformez, advisez de regarder du tout a luy.

Noz chers freres, m^e^ Guillaume *Farel* et m^e^ Pierre *Viret* avoient bien propose de vous escrire chacun. Mais puis quils ne sont arrivez a temps,[9]) vous prendrez la presente comme escrite en commun de tous trois, et aussi de mes freres et compagnons lesquelz vous saluent. De ma part ie vous certifie, quant ilz auront lopportunite, quilz advoueront tout ce que ie vous mande.

Surquoy, treschers freres, apres mestre recommande a voz bonnes prieres, ie supplie nostre bon Dieu vous estre pour forteresse et rempart contre tous voz ennemiz, vous maintenir au millieu de toutes leurs furies, cependant vous gouverner par son S. Esprit en droicte prudence et verite,[10]) tellement quen despit de Satan et de ses suppostz, son nom soit glorifie en vous iusques en la fin. Ce 19. dapril 1556.

7) subviendra *H. Bt.*
8) afflictions *Bt.*
9) *D'après le Reg. du Conseil ils se trouvèrent à Genève le 27. et 28. d'avril.*

2434.

CALVINUS VIRETO.

Rogat ut cum Beza et Farello Genevam veniat.

(Ex autographo Cod. Genev. 107^a^, fol. 133. — Exstat in Epp. Bern. Tom. VI. 603 et ap. Simlerum Vol. 87.)

Eximio Christi servo, Petro Vireto ecclesiae Lausannensis fido pastori, fratri et symmystae integerrimo.

S. Iucundum mihi de adventu ad nos tuo nuncium uxor attulit. Sed quia te una in re deceptum video, rogare te cogor, ne legatos nostros exspectes, quos supra octo dies Bernae adhuc fore arbitror.[1]) Est autem iusta ratio cur te profectionem accelerare cupiam. Omnino quidem, si mihi obtemperas, saltem proximo die Iovis[2]) te hic sistes, quia tunc ad eligendum alterum convenient fratres: et data opera electionem suspendimus, ut tu cum *Farello* adesses. Si nondum ille admonitus fuerit, cave ne spem nostram fustreris. Et tamen, nisi *Farellum* invites, vereor ne offendas. Verum si modo tuum discessum indicaveris, mox satis opportune sequetur. Tu cave diem illum praetereas, quem tibi condico, tantum ut noster sis ad vesperam. Uxorem antequam venires a primo hospite abducere nolui. D. *Bezae* dices, mihi quod de *Beraldo*[3]) nostro scripserat curae fuisse. Promisit *Baduellus* se quoque amici officio functurum.[4]) Utinam et ipsi *Bezae* opportunum esset huc usque convolare. Nam multa sunt de quibus libenter cum ipso agerem. Sed quanta sit temporis iniquitas video. Vos simul quid expediat dispicite. Interea Epigramma illi dabis ex *Benedicti* ineptiis compositum, vel po-

10) charité *H. Bt.*

2434. 1) *Vide N.* 2432.
2) *i. e.* 23. *Farellum et Viretum d.* 27. *Genevae adfuisse scimus ex commentariis senatus. Iam Idibus Aprilis Calvinus coram senatu de eligendo ministro verba fecerat.*
3) *in cuius locum alius sufficiendus erat scholae magister.*
4) *Hunc ministri senatui commendarant ut ecclesiae serviret.*

tius de ineptiis, etsi utrumque verum est. Vale, optime et integerrime frater. Dominus te incolumem nobis adducat. xix Aprilis, a coena. 1556.

Ioannes Calvinus tuus.

2435.

ZERKINTES CALVINO.

Proponit ei quaestionem iuridicam ex iure feudali.

(Ex apographo Cod. Parisiensis Coll. Dupuy Vol. 102, fol. 75.)

Doctissimo et integerrimo viro D. Ioanni Calvino Genevensium in verbo Domini ministro vigilantissimo mihique inter primos honorando.

Torqueor indies quaestionibus molestis, a meo ingenio et professione, si intra suos limites concludatur, alienis. Ad iurisperitos enim potius quam scribas censuales seu ut nunc vocant commissarios pertinent de quibus nunc agitur quaestiones. Et quia gnaviorem te ac diligentiorem in hoc officii genere neminem habeo, quaeso ut quam poteris brevissime cumulo officiorum tuorum habes [1]) quoque nodi certam ac solidam solutionem ab idoneis hominibus elicitam addas. Quanquam enim certus mihi videor quid censendum sit, malo tamen meam sententiam aliena confirmare aut mutare, quam temere et sine autore proferre. Res ita habet: Nobiles aliquot in ditione Sabaudica quae Bernatibus paret, arces, clientes et praestationes annuas omnis generis possident, habentque simul in haec omnia ius gladii, merum et mixtum imperium ac omnem iurisdictionem. Commissarii fiscales reipublicae nomine instant ut nobiles illi agnoscant se esse feudatarios Bernensium tenereque et possidere imperium illud et iurisdictionem a Bernensibus in feudum nobile ligium, ut vocant. Neque enim cum privatis nobilibus nasci imperia et iurisdictiones, sed a principe conferri, idque vel in feudum quod agnoscendum sit, sed a reo quum constet a principe profectam esse iurisdictionem et gladium qui repetat ius suum feudi, nisi reus probet concessione se pura niti sine reservatione feudi. Ut cardo in hoc vertatur, Domino seu principi ius suum persequenti an reo id neganti incumbat probatio, quum de tota iurisdictionis agnitione agitur. Alioquin satis certum videtur actori incumbere probationem, si de parte eius, utpote praedio, agro etc. controvertatur. Maxime quum nostra respublica armis in possessionem venerit, nec autoritate instrumentorum instructa sit ad probandum, principe superioris temporis ea non suppeditante. Vale, et tam diligenter hoc cura quam ego tua omnia, modo mea opera vicaria uti non recuses. Vale. Bernae 21. Aprilis 1556.

Tuus Nicolaus Zerchintes.

2435. 1) *textus corruptus videtur, et nonnulla interciderunt.*

2436.

CALVINUS BULLINGERO.

De foedere nihildum actum. Lascus et Vergerius de conventu curiosi frustra satagunt. In Austria et Bavaria boni seminis copia.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 134. — Epp. Bern. VI. 605. Simler. Vol. 87. Versio anglia Philad. III. 268.)

Ornatissimo viro D. Henricho Bullingero, ecclesiae Tigurinae fido pastori, fratri et symmystae colendissimo.

S. Redditae mihi sunt, venerande frater, tuae suavissimae literae, [1]) et simul *Westphali* refutatio, de qua tibi gratias ago duplici nomine, et ob laborem publice omnibus piis impensum, et quia me hoc amoris testimonio dignatus sis. De foedere nihil scribo, quia dubii pendemus [2]): sed ex nuncio eventum intelliges. Utinam eiusmodi sit, qui communem nobis laetitiam afferat. Si repudient vicini quod nunc demum offertur, non iam morositatem suam, non fastidium, non contemptum nostri, sed implacabile odium prodent.

Tantam in Austria et Bavaria [3]) boni seminis copiam, quamvis ad tempus suffocata maneat, Dominus exstingui non sinet. Praesagiis interim ostendit, se indomitam mundi contumaciam velle subigere. Si a nobis incipiat digni sumus in quos severe animadvertat. Sed rogandus erit, ut pro paterna clementia nobis ignoscat. Dominus Ioannes *a Lasco* [4]) sibi conventum aliquem promittit, de quo nihil spero, non modo quia satagendi fervor saepe

2436. 1) *N.* 2406.
2) *Reg. du Conseil* 20. *Apr.*
3) *Urgentibus statibus ducatus dux Albertus V. a.* 1556 *aliquod initium reformationis hactenus fecit ut calicem concederet volentibus.* (*Sugenheim. Baierns Kirchen- u. Volkszustände im* 16. *Jhh. p.* 83. *Medicus, Gesch. der ev. K. in B. p.* 382.)
4) *Cf. N.* 2423.

mentes obcaecat, sed quia *Vergerius*, homo futilis, ut video, praecipuus est actionis autor. Si quid tamen erit, simul ac tibi erit denunciatum, nihil dubito paratum fore. Hoc semper erit nobis praestandum, ne colloquia respuendo lucem videamur fugere. Quia nunc ad lectionem me hora vocat, finem huic epistolae faciam. Vale igitur, eximie vir et frater mihi plurimum semper colende. Salutabis diligenter symmystas. Doluit, ut par erat, vestrum collegium morte sancti viri *Pellicani* [5]) fuisse imminutum. Dominus nos ad se feliciter colligat. Te interea familiamque et reliquos omnes tueatur et gubernet perpetuo. Genevae 22. Aprilis 1556.

Ioannes Calvinus tuus.

2437.

SULZERUS BLAURERO.

Perlinet ad negotia ecclesiastica Mombelgardensium.

(Ex autographo Cod. Sangallensis MSS. 37, Epp. VIII. fol. 88.)

Viro praestantissimo D. M. Ambrosio Blaurero domino et symmystae perpetua observantia mihi colendissimo.

Farellus miranda sollicitudine perpetuo pro fratribus in agro Montbelgartensi agentibus angitur, quia periculum metuit ne qui reliqui supersunt ab electorum sententia non alieni et ipsi propediem eiiciantur, et convellatur ecclesiae ordo et disciplina. Quare a me postulavit ut operam interponerem fidelem. Quam ut debeo ecclesiae piisque fratribus, ita non vidi qua ratione praestarem nisi prius cognito penitus negotio et praesertim ecclesiae eius statu. [1]) Primum autem commodissime oblatus mihi *Hoecklinus* noster est, qui interroganti pro suo candore respondit sancteque testatus est in bona pace versari omnia, fratres diligi a principe et consiliariis, ut de periculo non sit ullo metuendum ipsis, modo quam foverunt pacem hactenus porro fovere pergant. Idem mox ex D. *Schrotysen* licentiato responsum tuli. Postremo autem et ipsum *Tossanum* et *Schradinum* praesentes conveni, qui post multas querelas de sinistris suspicionibus et calumniis quibus fuerint gravati egregie se et ad pacem et ad amicitiam fraternam compositos esse testati sunt, et quantum in se sit libenter declaraturos. In eo autem videtur constatura pax esse, si quae desiderant in ecclesiae constitutione fratres non ipsi privata autoritate mutare praesumant, sed collato cum antistitibus suis et aliarum item ecclesiarum consilio legitima ordinatione ad principem referant, ne propter externos ritus scindatur consensus ecclesiae atque tranquillitas. Sed iam vale in Christo Iesu cum tuis omnibus. Basil. 24. Aprilis anno 1556.

T. Sulcerus.

2438.

BALDUINUS CALVINO.

Agit de controversia quae ipsi est cum Duareno et Calvinum in suas partes trahere studet quasi et ad eum res pertineat.

(Edita est ab ipso Calvino in sua Resp. ad Balduini convicia p. 50.)

S. Venit ad me his diebus Duarenicus explorator Gallogermanus, [1]) homo tam mihi iam pridem bene notus quam se tectum et cautum esse putat. Tam officiosum tamen salutatorem perhumaniter excepi. Pransus et coenatus mecum est. Ibi multa narrare coepit de colloquio tecum habito, et nos tam fatuos fungos esse putavit ut non sentiremus quid egisset et nunc ageret. O miseram Germaniam, quamdiu infelix et imprudens tales in suo sinu serpentes alet! Miseram religionis causam, quamdiu tales adultero-germani suis illudent! Miseros nos, qui cum ingeniis conflictamur eiusmodi! Non temere me haec deplorare, brevi ut spero, patefaciam. Et o beatam illam, quae suis proditoribus larvam detrahat! beatam religionis causam, cuius vindices oculati sunt! beatos denique nos, qui eorum praesidio protegemur adversus domesticorum hostium cuniculos atque insidias!

5) *N.* 2426, *not.* 8. *Cf. etiam Hess, Bull.* II. 281. *Meyer, Loc.* II. 40. *Schweiz. Mus.* 1788 *p.* 791. *Obiit a. aet.* 78 *et moriens professus est se in toto vitae cursu vix per triduum tristem et nunquam iratum fuisse.*

2437. 1) *Vides ipsos Farelli amicos eius invidiosum zelum in hoc negotio et in Tossanum hostilem animum minus probasse.*

2438. 1) *Quis hic fuerit nescimus, etiam reliqua quae hic obiter memorantur nos fugiunt. Memineris tamen iam apud Bituriges Balduino cum Duareno haud bene convenisse. Caeterum cf. N.* 2241 *et quae ibi annotavimus.*

Existimo legisse te Duarenica scripta [2]) et de ecclesia et de nobis. Responsionem [3]) quam ad te misi et iudicio permitto tuo, ut perlegas etiam atque etiam peto et obtestor, deposita persona amici, sumpta iudicis severi et religiosi, hoc est tua. *Colladonium* [4]) istic habes idoneum in hac quaestione assessorem. Quod ad principem causam attinet, [5]) magis est ea fortasse tua quam mea. Imo vero neque tua esset neque mea, sed ecclesiae Christi. Quid igitur eam tibi commendarem? Responsionis autores [6]) et subscriptores quum voles tibi nominabo, atque etiam si voles palam profitebor. Si quid praeterea sit obscurum, vel quod adversarii clam calumnientur, peto ut de eo quoque audiar, nihilque de hac causa tota pronuncietur non auditis utrinque litigatoribus. Sentio multos passim conspirare in meum caput, quos aut invidia praecipites agit, aut conscientia mala, cuius tectum ulcus oratiuncula mea [7]) ictum esse sentiunt. Sed in hac causa nihil me terret, et si Dominus noster agonothetes in hoc arena velit me obiicere bestiis, ut loquuntur, poecilomorphis, pugnabo et solus et cum multis ut est in Attico sacramento, magnamque victoriam esse putabo, si vel capitis mei periculo vel sanguine etiam meo possim quod latet aperire, et haec contentio revelet (ut ille ait) cogitationes multorum. Sed miserum athletam ut consilio saltem tuo instruere velis atque armare vehementer peto, ne ingenii mei culpa causa bona laboret.

Quid cum *Otthenrico* principe Palatino, ad quem properans Vormacia ad te scripsi, [8]) egerim, commodius scribam per *Crispinum* nostrum quem exspecto, simulque mittam reformationis Palatinae formulam: [9]) et si nostros quoque naenias legere vis, Constantinum, [10]) quem principi obtuli. Is iussit ut cum D. *Martyre* agerem de Heidelbergensi professione theologiae. Vale, pater et patrone optime. Argentorati 8. Calend. Maii. [11])

Tuus Fr. Balduinus.

2439.

HALLERUS BULLINGERO.

De foedere sanciendo fere desperandum nisi aliae civitates se interponant.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 222. — Simler Vol. 87.)

— — — — — — — — — — — — — — — — — —

— — Foedus Genevense nondum coaluit, et vix sine arbitris componetur. Genevates conditionibus cedere nolunt, [1]) quas etiam nostri recipere nolunt. Si Urbes se serio interponerent, bene sperarem. Vale. Bernae 27. Aprilis.

Ioan. Hall. tuus.

---

2) De sacris ecclesiae ministeriis ac beneficiis ll. VIII. Par. 1551. 4. 1557. 8. *addita diss.* Pro libertate eccl. gallicanae adv. romanam aulam defensio. *Quum addit:* de nobis, *innuere videtur Ep. ad Hotom. N.* 2241.

3) Responsio christianorum ICtorum ad F. Duareni commentarios de ministeriis ecclesiae atque beneficiis et alias eius declamationes (*sine nomine autoris*) Arg. 1556. 8. *De quo libro Heveling p.* 10: Cui Balduinus simul cum amicis quibusdam rescripsit omissis autorum nominibus. Notandum est, omnes qui de Balduino scripserunt, Bezam, Thomasium, Heineccium, Iuglerum, hanc illi soli tribuisse, Bezaque excepto affirmasse eam ab illo denegatam esse. (*Ita et Bayle Art. Baudouin* M. 90.) Utrumque falsum est. Cf. Resp. alt. Balduini p. 160. Biga p. 195. *Vides hic ipsum candide de suis partibus loqui.*

4) *Germain Colladon ICtus, cui a.* 1555 *a Genevensibus ius civitatis datum fuit, et quidem gratis, pro eius meritis in rempublicam.*

5) *Quamnam dicat ambigere poteris. Nicodemitis eum adnumeraverat, et in Commentarios suos de ministeriis optima quaeque ex Calvini scriptis hausisse dixerat.*

6) *Quos et nos ignoramus.*

7) *In qua inter alia haec:* Alii vero autoritate et gloria elati quid non faciunt? Purpuram induet, mulum conscendet, sedebit in auditorio togatus aliquis Epicurus, fermento inflatus et fastu, ut nova nescio quae et barbara decreta iuris prope divino titulo atque autoritate donet, conceptisque etiam verbis in eorum verba liberos vestros iurare iubebit *etc.*

8) *Non exstat, etiam altera, si revera scripta fuerit, deperdita est. Quid ergo cum Palatino egerit nescimus. Sed vero simile est eos de Heidelbergensi universitate novis et claris professoribus accersitis ditanda loquutos esse, inter quos ipse fuit Balduinus iam a Friderico II. vocatus.*

9) *Ordo eccl. palatinae ab Ottone Henrico prid. Non. Apr.* 1556 *promulgatus fuit in eum finem ut Lutheranismus, sed mitigatus, in ea praevaleret.*

10) Constantinus Magnus sive de Constantini imp. legibus ecclesiasticis atque civilibus comm. ll. II. Bas. 1556. 8. *Qui liber a Bullingero multum laudatus in Indicem prohibitorum relatus est.*

11) *Annum* 1556 *incunctanter adscribimus praeeunte Hevelingo. Cf. etiam N.* 2416. *Caeterum ex hac epistola cave colligas hoc tempore inter Balduinum et Calvinum omnia bene se habuisse, sed illum de huius in se animo nullam adhuc concepisse suspicionem vides, quanquam Hotomanus iam cum Duareno contra Balduinum fecerit et ipse Balduini cathedram affectans eius famae labem aspergere conatus sit.* (*Heveling p.* 11. *Biga p.* 164 *seqq.*)

2439. 1) *Legati Genevenses infecta re redierunt d.* 28. *Apr.* (*Reg. du Cons.*)

2440.

VERGERIUS BULLINGERO.

Recrudescit certamen sacramentarium. Gribaldi dubia et lubrica fides.

(Excerptum ex autographo Cod. Turic. Arch. Plut. VI. Vol. 170, olim Scrin. B. Epp. Tom. 44, fol. 682. — Simler Tom. 87.)

Clarissimo viro D. Henrico Bullingero Tigurinae ecclesiae antistiti fratri honorando.

Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — —

— — Si audires quae ego audio de tribus illis qui *Westalum* [1]) impetivere, omnino recruduit certamen, incensi animi. Non probo quae noster ille Trinitarius [2]) agit, praesertim in eo quod tam lubricus sit, nec sinat se comprehendi, nam modo [*hoc*] modo illud. Prudenter mones mihi cavendum. Cavebo, quando iam morbum agnovi mihi antea incognitum. Iterum dico, me omnino non probare, imo abhorrere toto pectore, ac velim sis aliquando meus testis (si opus fuerit) me favisse, quamdiu ignoravi talem esse, destitisse favere ubi hominem melius novi. — — — — — — — — Tubingae xxvii Aprilis 1556.

Vergerius.

2441.

CALVINUS INCERTO.

Consilium de certis quibusdam capitibus.

(Edidimus inter Consilia Opp. Tom. X. Part. I. pag. 264. Datum est 28. Apr. 1556 et incipit a verbis: *Quia accidit ut plurimum* caett.)

2442.

BULLINGERUS CALVINO.

Quum Lascus ipsum adierit cupiens ut manus praeberet ad colloquium cum Lutheranis instituendum pro pace instauranda, fuse exponit quo sensu ei responsurus sit: scilicet tantum abesse ut hoc pacto quidquam solidi et acceptione digni paretur, ut potius omnia in peius abitura sint.

(Autographon exstat in Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 129, olim Epp. Tom. 30. Scrin. B. fol. 314. Aliud exemplar manu Lud. Lavateri scriptum, cui Bullingerus titulum adiecit Turici in Bibl. civica MSS. F. 80, olim 45, fol. 209, et ap. Simlerum Vol. 87.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fideli pastori domino colendissimo et fratri carissimo suo.

Genff.

S. D. Valde me cruciat quod foedus hactenus coire non potuit. Orandus est nobis sedulo Dominus ut negotium hoc arduum ipse moderetur et ad salubrem nobis omnibus finem perducat. Nunc in senatu sunt legati vestri. [1]) Quid responsi sint accepturi nescio. Hoc scio, vestros amari a nostris. Gratulor vero mihi, quod mea expositio apologetica [2]) tam fuerit tibi, fratri meo percaro et colendissimo, accepta. Gratias item ago Deo meo qui mihi hanc concessit gratiam, ut libellus hic etiam ab aliis viris sanctis et doctis approbetur.

In Austria et Bavaria valde crescit numerus vere fidelium. Interim mirifice premuntur Regis *Ferdinandi* exactionibus. [3]) Heri ex Vienna Austriae nuncius ad nos rediit qui et syriacum Testamentum novum impensa Regis syriace et eleganter quidem per Tigurinum quendam mihi notissimum et nunc Viennensem civem impressum [4]) attulit et narravit, inducias emptas a Turcis pretio 8 tonnellorum auri, atque nunc importune postulari magnam pecuniae vim a miseris et alioqui exhaustis subditis, ac in his apparere nunc indignationis et impatientiae perspicua argumenta. Relatum est superioribus diebus, papistas moliri bellum contra evangelicos in Germania, atque ea de causa varios fingi praetextus. Amplissimus huius urbis magistratus (nescio quid suspicetur) iubet suos esse paratos ad singula momenta.

Clarissimus vir D. Ioannes *a Lasco* de spe colloquii nonnulla ad me quoque scripsit. Nihildum illi respondi: tabellione enim carui. Respondebo

---

2440. 1) *sic. — Loquitur de Calvino Bullingero Ochino. Ipse Vergerius lutheranizabat vel saltem unionem quam vocant fieri cupiebat.*

2) *Gribaldus.* (*Cf. N.* 2428.)

2442. 1) *Genevam quidem redierant d.* 28. *Apr. Constat tamen postea ad caeteros civitates missos fuisse. Reg. du Conseil* 9. *Mai:* les ambassadeurs arrivent des trois villes.

2) *m. Februario edita:* qua ostenditur (*ut titulus habet*) Tigurinae ecclesiae ministros nullum sequi dogma haereticum in coena Domini.

3) *Vide ad N.* 2436. *De vexationibus hoc tempore in Austria factis nihil memoriae proditum.*

4) *Editionem celeberrimam Widmannstadtii fuse describit inter alios Masch. P. II. Vol.* 1, *p.* 71 *seqq.*

ad primam occasionem. Ego (sicuti et tu) parum aut nihil spero: quinimo timeo ex mediocri incendio oriturum incendium amplissimum. Illi sane, cum quibus colloquendum erit, vel vehementioris adeoque plane Lutherani sunt ingenii, ut *Schnepfius*, *Brentius*, *Westphalus*, et huius farinae innumeri alii, vel moderatioris, ut *Philippus*, *Pacaeus*, et pauculi aliquot. Hi vero pro ingenii sui natura aut mollitie nolent illos offendere. Illi ne latum quidem culmum cedent, imo pro barbarie sua conviciorum plaustra in nos exonerabunt. Sed et post colloquium (quod et post Marpurgense colloquium factum videmus) scriptis epistolis et in cathedris suis triumphabunt. Neque est quod imaginatione quapiam suavi aliud et melius quidpiam polliceamur nobis. Nimis bene noti sunt nobis Lutherani isti iam ab annis triginta. Verum sperant nonnulli rem hanc moderandam principum modestia, qua facile mitigari possit barbara concionatorum asperitas. Sed audi quid hic sperem. Si de sententia nostra cesserimus, aut quod hactenus perspicue docuimus nescio quibus involucris involvamus, benignos sentiemus principes, ac forma concordiae erit confessio Augustana. Hoc si non receperimus, dimittemur ut cervicosi et superbi. Ingenue vero dico nunc me non posse recipere et agnoscere confessionem Augustanam, quum ob alias causas, tum ob Apologiam coniunctam, et quod modo ex *Westphali* scripto expertus es quid isti sentiant de Augustana confessione. Quod vero ille scribit et dicit, id caeteri omnes sentiunt. Ac experieris ne *Philippum* quidem hac in re facturum quod speras. Cur autem de principibus ita iudicem, audi. Principes plerique ex professo sunt Lutherani. Omnes pendent a Caesare Augusto. Huic exhibuerunt confessionem Augustae: in iisdem comitiis damnarunt Zwinglianos. Nec est quod putemus sincerius illos egisse posterioribus comitiis. Nam ultimis istis Augustanis rursus exclusi sumus Zwingliani. Quid quod princeps *Wirtenbergicus*, qui iam tenet primatum et totus pendet a *Brentio*, in synodum Tridentinam confessionem bene Lutheranam in hoc capite misit eandemque germanice et latine excudi curavit. Recessus imperiales omnes habent Zwinglianorum condemnationem. Hic ego nunquam persuaderi potero ut credam istos tantillum de his cessuros quae Imperatori et Ordinibus imperii tanta constantia et perspicuitate sententiarum concesserunt. Quid ergo restat aliud quam ut ex hoc colloquio ingens detrimentum et dedecus redeat ad ecclesias nostras? Nec est qui non intelligat, quum discessum fuerit re male sarcta, scandalum gravius futurum quam fuerit hactenus. Quid quod non frustra timeo contentiones de pluribus dogmatum capitibus movendas quam ipsi nunc putemus. Praeterea terrent me exempla. Nam ut nihil dicam de Imperialibus, quantum, obsecro, mali dedit D. *Bucerus* Helveticis illis colloquiis? Quaesivit sane pacem et bono quodam zelo videbatur curare velle vulnus filiae Zion: sed eventus docuit illum imprudenter et male egisse. Id quod ipse demum subobscure significavit, dum non semel rogantibus viris sanctis de hac controversia respondit: Video Deum nolle per me hac in causa doceri ecclesiam.

Opto itaque D. *a Lasco* prudentiam et ne aliquid tentet cuius postea per omnem vitam poeniteat. Quod attinet ad D. *Vergerium*, si is aliquid hac in causa agit, et D. *a Lasco* aliquid ab ipso sperat, certissimum est optimum virum *a Lasco* toto errare coelo et falli. Ipse enim D. *Vergerius* manu sua ad me scripsit, D. *a Lasco* satagere pro colloquio sed frustra. Haec verborum sententia fuit: verborum non amplius memini. Bernenses puto non consensuros in ullum colloquium, utpote qui adhuc memores sunt quantum ipsos exercuerint, quantisque periculis involverint *Buceri* colloquia. Quod nostros attinet, si miserint legationem, non alia lege mittent quam ut audiant, nostram doctrinam proponant et defendant, acta referant rursus ad senatum et plebem. Hic enim patrius mos est, nec aliud sibi persuaderi permittent. Sunt enim et ipsi colloquiis supra modum infensi, idque maxime propter colloquia tot et tanta *Buceri* cum ministris Helveticis magno cum periculo et magnis cum impensis habita.

Haec solito copiosius ad te perscribo ut probe intelligas quid sperem aut sentiam de colloquiis istis cum illis hominibus. Si audires collegas vel symmystas nostros, longe acriora audires. Hoc tamen ingenue dico, malle me colloqui cum papisticissimis quam cum hoc hominum genere. Video enim hos omnem exuisse humanitatem, ac deploranda se armasse pertinacia, ut nihil dicam acerbius. Experiatur vero ipse D. *a Lasco* cum suis, quid apud eos possit. Si benignos invenerit et spes aliqua affulserit, scripto plus effecerimus quam colloquio. Nec ingratum feceris si haec mea narraveris per tuas literas D. Ioanni *a Lasco*. Desiderat enim meam audire sententiam. Ac scripturus sum illi, sed quando tabellionem habere possim nescio. Tu forte commodius ipsi haec nunciaveris. In locum optimi viri et beatae memoriae senis D. *Pellicani* cogitamus vocare clarissimum virum D. *Petrum Martyrem*. [5]) Dominus faveat nobis. Ora pro nobis Dominum. Ama nos, nam te ac tuos amamus. Vale cum omnibus symmystis. Salutant te ac tuos nostri omnes. Tiguri 29. Aprilis. Anno 1556.

Bullingerus tuus.

---

5) *Otto Henricus m. Februario eum Heidelbergam vocare voluit. Bullingerus Cal. Maiis ei scripsit suadens ut Turicum potius veniret.* (*Schmidt* 184. *Hess* II. 307.) *Plures Martyris epp. de hac re praebet Ed.* 1587, *p.* 1115 *ss.*

2443.

BULLINGERUS LASCO.

Denuo, et fere iisdem verbis quibus nuper de eadem re ad Calvinum usus fuerat, suam sententiam declarat de colloquio cum Lutheranis frustra exoptato.

(Manu Amanuensis scripta habetur in Cod. F. 80, olim 45, Bibl. civic. Turicensis. Bullingerus titulum adscripsit. Simler. Vol. 87.)

D. Ioanni a Lasco.

S. D. Vehementer dolet nobis omnibus adversa tua valetudo. Dominus restituat te nobis. Pro epistolis tuis in patriam tuam scriptis,[1]) magnas ago humanitati tuae gratias. Perplacent nobis omnibus utpote pie docte et prudenter scriptae. Faxit Dominus ut uberem proferant fructum. Apud nos aliquamdiu vixit vir senex D. Franciscus *Lysmaninus*,[2]) qui reginae *Bonae* confessiones audivit, ordinis illius seraphici. Verum monachismum exuit et aliquamdiu Genevae habitavit atque *Calvinum* nostrum audivit. Demum ad nos pervenit. Idem revocatus in Poloniam mense Ianuario relicta hic uxore in Poloniam profectus est, abunde literis nostris ad Serenissimum Regem, ad principes aliquot et ad doctos oneratus. Exspectamus in horas quid rescribat[3]) aut quando redeat. Sperat ille optime de Polonia. Utinam spe sua non fallatur. Si quid habueris de rebus polonicis ac nobis communicaveris, rem nobis facies gratissimam.

Significas spem tibi fieri colloquii instituendi de componendis doctrinae dissidiis inter eos qui profitentur evangelium. Cupis ut primo quoque tempore tibi significem quid, si et nostrum aliqui vocarentur, tibi de nobis polliceri possis. Ego vero, colendissime mi domine et semper in Domino honorande et carissime frater, nihil hic dissimulabo, sed candide et libere meum tibi aperiam iudicium, et te oro per Christum ut benigne consulas. Atque eadem haec heri scripsi et ad *Calvinum* nostrum.

Valde timeo oriturum ex colloquio, quod cum talibus instituitur hominibus, incendium multo periculosius quam hoc ipsum sit quod exstingere cogitamus. Nam illi, cum quibus colloquendum erit, vel vehementiores ac plane Lutherani sunt ingenii, ut *Schneppfius*, *Stollzius*, *Amsdorpffius*, *Westphalus*, et huius farinae innumeri alii, vel moderatiores, ut *Melanchton*, *Pacaeus*, et nonnulli sed pauculi quidam alii. At hi pro ingenii sui natura, non dicam mollitie, nolent istos offendere. Illi vero, pro incredibili sua pervicacia et fera barbarie, ne latum quidem pilum cedent, utcunque sanas et multas audierint rationes. Hoc enim ceu sacram habent anchoram, non discedendum a perspicuitate verborum, neque ullam Suermeris concedendam esse syllabam. Dum Marpurgi colloquerentur beatae memoriae viri illustres in praecipuo capite non potuerunt convenire. Praecipuum voco caput propter quod potissimum convocati fuerant. Subinde enim et ad fastidium usque repetebat *Lutherus* suum illud: *Hoc est corpus meum*, et huic pertinaciter inhaerebat. Id quod ab eo didicerunt eius discipuli, praeceptore multo pertinaciores ac furiosiores. Quid quod mox a colloquio ipse *Lutherus* epistolas sparsit, quibus iactitat sibi ab istis Suermeris ne literam quidem e manibus esse ereptam, utpote hominibus indoctis, rudibus, fanaticis etc. Alii in publicis et sacris cathedris cecinerunt victoriam, et in optimos viros indignissima exspuerunt. Neque est quod nunc nobis alia atque meliora suavi quadam imaginatione polliceamur. Nimis bene noti sunt nobis Lutherani isti iam ab annis triginta. Sed et tu ipse expertus es eorum humanitatem.

Verum meliora sperari posse videantur de Principum modestia et aequitate, qua videlicet infringi aut saltem leniri possit barbara quorundam concionatorum asperitas. Quanquam vero non nesciam multos esse inter Principes viros pios et aequissimos, hoc tamen etiam non ignoro benignos habituros nos Principes si vel de nostra cesserimus doctrina, vel saltem hanc involverimus involucris quibusdam verborum quibus perspicuitas obscuretur. Tum vero forma concordiae erit confessio Augustana, quam interim toties oblatam a *Bucero* nunquam agnoscere vel recipere voluerunt ecclesiae nostrae, quum ob multas causas tum ob eam quoque quod nimis crasse explicatur ab Apologia, ac prorsus accedit ad papistas. Si vero illam recipere noluerimus, sat scio dimittendos nos veluti superbos et cervicosos. Et certe quod de Augustana confessione scribit *Westphalus*, id satis certum est sentire omnes Lutheranos. Cur autem de optimis Principibus non sperem ampliora, audi. Principes plerique ex professo in articulo praesertim coenae Lutherani sunt: illi omnes pendent a Caesare, cui Augustae exhibuerunt confessionem quam ipsi papistae in articulo docimo approbarunt. In illis ipsis Augustanis comitiis damnata est Zwingliańorum doctrina. Eadem damnata est et consequentibus comitiis imperialibus. Neque obscurum est quid ultimis Augustanis comitiis actum sit. Optimus alioqui Princeps *Wirtenbergensis* a doctis suis persua-

---

2443. 1) *Ad Regem, senatum et status.* (*V.* 2339.)

2) *Mense Dec. ineunte relicto Turico Genevam concesserat. Inde Basilea et Argentorato transiens Poloniam petierat.* (*N.* 2353 *seq.* 2359. 2361. 2384.)

3) *Iam d.* 15. *Apr. ad Calvinum literas dedit, et ad uxorem quoque scripsisse facile conieceris. Literae vero nondum aderant.*

sus obtulit confessionem in doctrina coenae bene Lutheranam concilio Tridentino. Non nescis hunc Principem nunc primas obtinere inter Principes. Nunquam autem mihi persuadebitur, Principes tantillum de iis cessuros quae palam Imperatori, Ordinibus imperii et concilio exhibuerunt. Nolent incurrere infamiae, inconstantiae aut defectionis crimen, quasi videantur vel ferre nos vel colludere cum Zwinglianis, quos neque Augustus, neque Caesar, neque papa ferre vult aut potest, id quod tot et tantis decretis imperiique recessibus testati sunt et evulgarunt.

Iam ipse non video quid ad nostras ecclesias ex hoc colloquio aliud redire possit quam ingens dedecus et detrimentum. Quum infecta re domum nostri redierint, increscet indignatio, increscet scandalum et suppeditabitur amplissima impiis ludendi, ridendi et gloriandi materia. Quid quod non frustra metuo, multo acriores de nonnullis aliis dogmatibus contentiones movendas, quam nunc ipsi putemus. In his terrent me exempla. Nam ut modo de colloquiis imperialibus nihil dicam, quantum, obsecro, mali dedit ecclesiis et Germaniae et Helvetiae colloquiis suis D. *Bucerus*? Quaesivit sane pacem et bono quodam zelo videbatur curare velle vulnus filiae Zion, sed ipse rerum eventus evicit imprudenter et male ipsum egisse. Audivi ab Anglis, non fluxae fidei hominibus, rogatum aliquando *Bucerum* de causa coenae et de causa concordiae respondisse: Video Deum nolle per me instrui ecclesias. Opto itaque tibi praecellentem prudentiae spiritum, optime mi frater, ne quid in instituendis periculosissimis colloquiis aliquid agas, cuius postea poeniteat. Si D. *Vergerius* aliquam tibi aperit spem, miror. Ad me enim scripsit, satagere quidem te pro synodo convocanda, sed frustra. Hac ipsa hora significat animos suorum exasperatissimos esse propter editos a *Calvino*, *Bernhardino* et me libellos, neque iam aliud sperandum quam pugnam.

Bernenses non puto facile consensuros in ullum colloquium, ut qui adhuc sunt memores quantum ipsos exercuerint quantisque periculis involverint infelicia *Buceri* colloquia. Quod nostros attinet, vix ullam mittent legationem, si Berna nullam miserit. Si vero miserint, non alia lege mittent quam ut auscultent, doctrinam ecclesiae nostrae proponant et tueantur, nihil autem vel recipiant vel repudient, probent vel improbent, sed acta ipsa domum referant ad senatum et plebem. Hic enim patrius mos est, neque aliud sibi persuaderi permittent. Sunt enim et ipsi colloquiis illis Buceranis ad fastidium usque ultro citroque vexati et frustra fatigati. Quod me attinet, mallem sane colloqui cum papisticissimis quam cum hoc hominum genere, quod video humanitatem exuisse et deploranda se armasse pertinacia, ut ne quid dicam acerbius.

Haec multis ad te, vir reverende et frater carissime, recitare volui, ne quid ignorares nostrarum cogitationum. Tu pro tua pietate omnia boni consule. Vive et vale. Tiguri Calendis Maii 1556. Literas obsecro probe curato quas accipis inscriptas D. *Micronio*. Mortuus est optimus senex D. *Pellicanus*, in cuius locum vocatur iam D. *Petrus Martyr*. Salutant te fratres omnes.

Bullingerus tuus.

2444.

SEILERUS BULLINGERO.

Westphalum increpat.

(Excerptum ex autographo Bibl. civ. Turic. F. 62, olim Epp. Tom. 27, fol. 489. — Simler. Vol. 87.)

— Sed habetis vos homines acerbos et vehementes. *Westphalus* ea qua solet uti modestia contra neminem hominum, nec maledictis nec immani ulla imprudentia hactenus insurrexit. En tibi simplicitatis in eo exemplum. Proh dolor quantum vetus papismus denuo per istos nebulones vereor ne integer restituatur, adeo increbrescit. Temperantiam vestram sibi conatur adscribere, quam ne imitari quidem novit. Livorem suum in vos reiicit. Cavete tamen serio, ne non homini triobulato graviter respondeatis. — — — — — — — — — — Augusta 2. Maii 1556.

Tui ex animo observantissimus
Raphael Seiler. [1])

2445.

POLONI CALVINO.

Post multas et praeclaras laudes desiderium suum declarant ut ipse in Poloniam se conferre velit ut nascentem ecclesiam bene instituendam curet.

(Ex apographo Cod. Paris. Dupuy Vol. 102, fol. 97.)

2444.1) *Vide N.* 1932, *not.* 4.

Singulari doctrina et eximia pietate insigni D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo domino et fratri in Christo amantissimo.

Gratiam et pacem in Christo.

Quantum tibi tuisque laboribus, vir clarissime, ecclesia Christi debeat, non dubitamus, si pro merito fiat, tibi plurimum deberi. Nos vero, qui omnium fere novissimi videmur, et plus tibi debere fatemur, quod alii ab aliis instituti tu solus prope es cui maiorem partem huius nostri profectus vendicamus. Quantum enim tuis monumentis solidae pietatis nobis accesserit, quantum armorum contra Antichristum romanum et tot haereticorum monstra nobis per te Dominus suppeditaverit, plus nostrae conscientiae gaudii sentiunt quam cogitatione mens concipit, neque vereremur tibi apud te trophaeos quibus dignus es erigere, si per tuam pietatem et modestiam, qua gloriae nominis tui contemptor es strenuus, permitteret. Quod autem ad hunc cumulum beneficiorum accedit, ut ex memoriali tuo D. *Lismanino* dato [1]) didicimus, te quoque tua officia offerre ecclesiae nostrae, patrem coelestem, qui tibi hunc animum inspiravit, benedicimus. Tibi quoque gratias maximas quas possumus agimus, et sedulo per nomen unigeniti filii Dei precamur, ut quamprimum ipse veniens hoc promissum praestes. Scis enim procul dubio quibus et quantis obstaculis his primordiis ecclesiae obsistat Satan, quid quoque moliantur Antichristi satellites, qui iam fere sex mensibus legatum papae detinent. [2]) Scimus nos quoque quibus architectis iaciendo fundamento, et quam strenuis propulsatoribus adversus indefatigatos hostes Christi opus sit. Quibus omnibus agendis quum te Dominus prae caeteris fere omnibus instruxerit, non dubitamus, pro tua in Deum pietate, quin ad tempus, commissa aliis agricolis vinea Domini, ad nostram quoque plantandam et sepiendam nunc venias. Si putaremus te humanae rationis argumentis promoveri, occasiones alias, quibus hoc tibi persuadeamus, quaereremus. Verum quum sciamus te Christi et ecclesiae eius servum esse, satis habuimus si te ex consensu omnium ministrorum ecclesiae nobiliumque ad opem ecclesiae ferendam vocaremus. Tu, si dignum argumentum vocationis tuae a nobis sit, dispicies, et quod videbitur pro tua prudentia et pietate iudicabis. Quod reliquum est, D. *Lismaninus*, frater in Christo nobis colendus, te literis certiorem reddet. Vale, vir clarissime, ecclesiae summum ornamentum. Christus Iesus, unicus servator noster, te suae ecclesiae afflictae servet diu fidelem ministrum et suo spiritu regat. Datum ex Synodo Pinczoviensi 2. Maii anno Domini 1556.

Nos ministri renascentis ecclesiae Christi in Polonia nostro et caeterorum fratrum nostrorum absentium nomine, [3])

Foelix Cruciger Scevrissinius, minister ecclesiae Christi in Serenim et superintendens ecclesiarum.
Gregorius Paulus, minister ecclesiae Pelvicensis et senior ecclesiae. [4])
Stanislaus Luithomirski, minister ecclesiae Coninensis secretarius S. R.ae M.tis.
Stanislaus Sarnicki, minister M. D. Castellani Biere et senior ecclesiae. [5])
Iacobus Silvius, minister Kczekinzensis et senior. [6])
Martinus Taurinus, minister ecclesiae Solecinensis.
Martinus Crovicius, minister ecclesiae Wlodistensis.

Nos equestris ordinis qui puram evangelii doctrinam suscepimus nostro aliorumque fratrum nostrorum nomine,

Io. Bonar de Balicze Castellanus Bieczensis manu propria.
Nicolaus Thesznicki in Pinczow manu propria.
Stanislaus Lassoczki . . . . . .
Stanislaus Sastranicz de Pieskona Skala.
Hieronymus Philipovozki manu propria.
Stanislaus Karnynzky Ivan.
Iacobus Gnoienski.

2445. 1) *deperdito.*

2) *Aloysium Lippomanum episcopum Veronensem, qui inter coryphaeos concilii Tridenti fuerat, Paulus IV. in Poloniam misit ut quocunque modo posset reformationem ecclesiae inhiberet. Is speciatim iussus fuerat a Rege efflagitare capita octo vel decem magnatum, ex. gr. Bonari senatoris.* (*Salig* II. 602 *sqq.; Krasinsky, Gesch. der Ref. in Polen* 110; *Lubien.* 76; *Sixt, Verg.* 393.)

3) *Quod ad orthographiam nominum polonicorum attinet, memineris nos nihil nisi apographon ante oculos habuisse.*

4) *V. D. M. in Wola Cracoviae suburbio et alibi, postea in ipsa Urbe.* (*Sandii bibl. antitr.* 43. *Salig* II. 581. 649.)

5) Ecclesiae Niedvedensis pastor, vir nobilitate praestans et ut acri ingenio ita et elato animo qui iam tunc (1555 in synodo Pinczoviensi) ad primatum per ruinam concordiae ecclesiarum, quae paulo post (1565) hoc incentore inducta est, grassabatur. (*Lubien.* 58.) *Fuit adversarius Lismanini et antitrinitariorum, spec. Gregorii Pauli et capellanus Bonari castellani Biecensis* (*sic lege pro Biere*).

6) *Lege:* Kczeczinskiensis, *quae est parochia in minori Polonia. Hic cum praecedentibus suas partes egit in cel. consensu Sendomiriensi condendo.*

Chrystoro Glynsky cum suis fratribus tribus.
Sigismundus Mysskowski Regiae M^is^ Poloniae aulicus.
Kilianus Lukowsky Reg. Poloniae aulicus m. pr.

2446.

MINISTRI POLONI SENATUI GENEVENSI.

Petunt ut sibi Calvinus per aliquot menses concedatur.

(Archiv. Genev. Pièces hist. N. 1591.)

Magnificis et amplissimis viris Dominis syndicis senatuique Genevensi Dominis et fratribus observandis.

Genevae.

Gratiam et pacem per Iesum Christum.

Si prudentia et pietas C. V. nobis ignota esset, viri amplissimi, aut dubitatione a scribendo forte depelleremur, aut longiore praefatione apud V. C. nobis utendum foret. Verum haec pictas et in Christi sponsam amor toti mundo perspectus facit ut nostra vota veluti apud fratres exponamus. Non putamus vos latere nostrae quoque genti evangelio suo illuxisse Dominum, et quibus machinis Antichristus per suos satellites et legatum suum conetur illud lumen exstinguere. Quare quum sciamus clar. virum D. Ioannem *Calvinum* summis Dei donis ornatum, qui non solum nostrae ecclesiae quae nunc in herba est prodesse, sed etiam adversarios Christi depellere possit, petimus et per nomen Iesu Christi obsecramus, ne huic renascenti ecclesiae nostrae tam praeclarum Dei organum, saltem ad aliquot menses, priusquam concilium nationale absolvatur, negaveritis: quum potissimum nullum vestrae immineat periculum ecclesiae, nostrae autem extremum. Nos vero non solum hanc vestram pietatem apud omnes celebraturos esse, verum etiam hunc virum Dei, Domino volente, incolumem reducturos pollicemur. Christus spiritu sapientiae et fortitudinis vobis adsit, ut constanter in Christi via ad extremum pergatis. Datum in Synodo nostra Pinczoviensi 2. Maii M. D. LVI.

Nos ministri ecclesiae Christi renascentis in Polonia nostro et caeterorum fratrum nostrorum absentium nomine,

Foelix Cruciger Scebresinius, minister ecclesiae in Seczemin et superintendens ecclesiarum.
Gregorius Paulus, minister ecclesiae Pelsnicensis et senior.
Stanislaus Sarnicki, minister D. Castellani Bienae et senior.
Iacobus Sylvius, minister ecclesiae Christi in Krzaczicze et senior.

2447.

HOTOMANUS CALVINO.

Multus, imo totus est in enarrandis suis ipsius cum Duareno et aliis disceptationibus, ita tamen ut deperditis praecedentibus epistolis vix quid rei fuerit intelligi queat.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 129, lectu difficillimo.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino eximio Christi et ecclesiae suae ministro.

Genevae.

Fr. Hotom. S. D.

Camiallii adventus duabus de causis nobis gratissimus fuit: primum ut stultitiam sermonum, qui iam triduum hic spargebantur de Genevae obsidione, patefaceret, deinde quod iudicium de Balduinobocquini libro [1]) tuum nobis attulit. Quem etsi confidebam tibi talem visum iri, verebar tamen ne fucum istic alicui fecisset, quum hic *Crispino* persuasisset, se tuae tantum Institutionis defendendae causa hoc negotium suscepisse. [2]) Sed de illo monstro plus satis, nisi hoc mea manu testatum etiam habere vis, nos omnes exploratum et compertum ha-

---

2447. 1) *Videtur Boquinum notare ut collaboratorem Balduini in conscribendo libro N.* 2438, *not.* 3 *laudato. Boquinus olim Carmelitarum Biturigensium prior, per aliquod tempus Garnerii successor fuerat* (*N.* 2232. 2236. 2240). *Sed Loqueto et senioribus ecclesiae suspectus et invisus munere se abdicavit et m. Febr. Heidelbergam vocatus ibi professione theologiae claruit. Balduini amicus Hotomano male audiebat.*

2) *Quum Calvinus Duareni ep.* (*N.* 2241) *edidisset, Balduinus in sua Resp. altera* (*Biga p.* 381) *haec ei obiicit:* Stultitiae incredibilis est adversario qui tuam Institutionem damnavit ultro subscribere atque etiam eum laudare et ut patronus tuus sit advocare . . . . . *et postea p.* 383: Superstites reliquit (*Duarenus*) de sacerdotiis ministeriis et beneficiis commentarios quibus plane confoditur quidquid tu de ecclesia tam prolixe doces in tua Institutione.

bere, nebulonem [3]) illum ab Heidelbergensibus 100 flor. pro stipendio quatuor mensium iampridem praeteritorum accepisse. Quam rem et *Grempius* [4]) et caeteri patefecerunt, et speramus brevi ad senatum delatum iri. Sed me amici commonent ne ipse hanc causam agam, ne non tam publicam quam meam privatam agere videar. Hactenus.

Quod attinet ad eam epistolae tuae [5]) partem in qua me tam amanter hortaris, gratiam habeo quam maximam. In eo quod ais te suspicatum esse me *Duareno* aliquid de te scripsisse, teque in eius epistola perstringi, mirabiliter sum equidem unde haec nata esset suspicio admiratus. [6]) Non nomino *Sleid.* et alios totos tuos, dico illum quem idem *Sleid.* solet appellare nebulunculum, hunc inquam dico, quum id maximopere ad suam causam pertinuisset et syllabas quasque aucuparetur, tamen non observasse quod dicis. Itaque nemo tuas ad me literas vidit quin miraretur. Esto. Dicamus iam aliquid, nos inquam aliquid dicamus, quorum iusiurandum non aspernaris, et apud eum dicamus qui vel iniurato mihi, opinor, crederet. Testor Deum me nunquam a *Duareno* literas accepisse nisi ternas, quarum duas tibi mitto, tertiam vidisti impressam. Eundem Deum testor, nunquam mihi id quod ais in mentem vel leviter venisse, ad illum *Duar.* ter tantum aut summum quater scripsisse: primum de Cretione, iterum de I. l. d. dedol. m., tertium commendandorum trium Germanorum causa, postremum acceptis suis literis, ne ille ad me eas perlatas nesciret. Nam quod videris etiam suspicari, aliquid me de peculatore isto *Draceno* scripsisse, unde coniecturam caperet me cum illo non congruere, confirmo tibi, quod mihi credas velim, me ne syllabam quidem unquam eius rei causa delineasse, non quo (verum enim fatendum est) non id lubenter fecissem, post multas ab illo acceptas hic iniurias, [7]) sed quod neminem per quem id facerem habebam. Hoc etiam tibi affirmans dico, me nunquam suspicatum esse inter eos discordiam intercessisse, quae millesima ex parte tanta esset quantam nunc videmus. Quod nisi me scandalorum metus deterreret, ea *Duareno* scriberem quae libri permagni argumentum suppeditare possent. Sed tam multi clari et docti tum sermone tum literis me per Christum obsecrant, in his hodie D. *Bullingerus*, ut tacite hanc perferam iniuriam, ut publicam utilitatem meis commodis anteferre cogitem. Nam in hoc negotio mihi idem usu venit quod tibi persaepe in *Perrino*, *Vendelino* et aliis. Multi qui illos non norunt existimabant te partim iracundiae partim ultionis causa cum illis ita graviter agere. Itaque vidi etiam qui ad reconciliationem te adduxerint, quum tamen illos semper idem facturos intelligeres. Verum eventus suo tempore, id est, a Deo praestituto, rem omnem patefecit. Hoc idem in isto nunc accidit, et post eventurum confido. Et ita confido ut istum talem virum, [8]) quem amplissimae civitates, illustrissimi principes certatim expetunt, nusquam ubi latere possit reperturum putem. Compertum enim habeo quid iam *Cnodius*, qui te alloquutus est, Heidelbergae fecerit. Interea quorsum res spectet intelligis. Nam optimus princeps dixisse fertur, mirifica esse Gallorum ingenia, et nominasse *Mol.* et item istum alterum.

Sed nimis multa. In locum *Pellicani* publice accersitur D. *Martyr.* [9]) Si eo se conferat, video illum consuetudine inflammatiorum hominum paulo magis exarsurum, et suos libros, quos dicitur nunquam editurus, impressurum. [10]) Sed *Bocquinobalduinus*, ut omnes affirmant, ei succedet. [11]) Itaque quid facturus sit valde metuo. Nunc tamen pro certo affirmatur non abiturus. Is ad te scripserat, [12]) me acceptis iniuriis commotiorem fuisse, de quo sane lubenter risimus. Laetor autem quum aequitatem animi tui perspicio in literis ad Io. *Sleid.*, [13]) quaesoque ut semper hanc fortitudinem retineas eamque mihi a Domino tuis precibus impetres.

Vale, vir clarissime, et mihi observande in Christo pater. Argentor. 4. non. Maii 1556. Uxor et filiolus te perhonorifice salutant. Is de cuius pigritia aliquid scripsisti, velim tibi ex secretarii *Polierii* [14]) sermone sit notior. Nam tua puto interesse nosse talia. Timeo equidem illi hoc tempore quo Gallus timeri incipit.

---

3) *Monstrum et nebulonem dicit et librum et hominem qui a Palatino stipendium accepit antequam Argentoratensibus vale dixerit. De hoc stipendio v. Hautz, Gesch. d. Univ. Heidelb.* II. 54.

4) *N.* 2425.

5) *deperditae.*

6) *Revera in Duareni ep. nihil de Calvino. Hic ergo et Sturmius falso rumore decepti fuerant.*

7) *Qua de causa ista inter illos duos viros inimicitia orta sit non omnino liquet. Sturmius quidem Balduinum innocentem dicit, quippe qui Hotomano viam ad cathedram ab ipso relictam suo patrocinio faciliorem reddiderit.*

8) *haec ironice dicta videntur de Balduino, non sincere de Molinaeo.*

9) *Exstat ep. Bullingeri ad eum Cal. Mai. scripta* (*Schmidt, Verm.* 184) *et plures Martyris ad calcem Locc.*

10) *Vide sequentem.*

11) *Minime. Vide supra not.* 1.

12) *non exstat epistola.*

13) *Dolendum tot literas inter hunc et Nostrum mutuas intercidisse.*

14) Jean Polier noble du Rouergue sortit de France et se retira à Genève où il se maria en 1554. Suivant une autre version Polier conseiller secrétaire du Roi aurait été envoyé en Suisse en 1553 avec le titre de secrétaire d'ambassade et d'interprète de S. M. auprès des ligues suisses et grisonnes. Cette dernière version nous semble plus vraisemblable. (*Haag*, VIII. 274.)

In margine diversis locis adscripta haec leguntur:

Oblitus eram tibi dicere mihi nunquam in mentem venisse cupere ut mea defensio istic imprimeretur. Nam multo satius fuisset hic imprimi si imprimenda fuisset.

Et alibi:

Una cum Aegloga in *Philipp.* vidi eiusdem *Philippi* orationem [15]) nuper alterius amici nomine inscriptam, quam puto ad te missam esse, in qua Genevensis senatus laudatur ob necem *Serveti,* sed dicitur ad supplicium ductus noluisse Christum invocare. *Philippus* eam sua manu, ut moris est, inscriptam *Sleidano* dono misit. Rogo ut *Duareni* literas nulli ostendas et ad me remittas.

Item Postscriptum in alio folio:

Monsieur depuis les presentes escrittes M. *Lenfant* [16]) nous a priez a disner, M. *Sleid.* et aultres, et nous a conte comme il venoit de chez M. *Stur.* l'advertir qu'un nommé *Bauduin* a este a Heidelberg dont ledict *Lenfant* revenoit et avoit dit au Chancellier et autres quil feust desia là nestoit quil estoit apres a faire recevoir un sien amy qui est pauvre pour la parolle de Dieu nomme *Hotom.* et que cestoit un oeuvre de misericorde en maniere quil a obtenu de luy de six sepmaines pour ceste affaire. *Sturmius* a promis den avertir demain les Scholarques et aultres. Iay laisse presentement M. *Sleid.* avec un homme d'auctorité qui luy contoit ce mensonge diabolique avec grande cholere. Monsieur je suis si las des mensonges de ce diable là que sil demoure icy ie ne my tiendray de ma vie.

15) Quaestio an politica potestas debeat tollere haereticos? recitata a M. Andrea Tilandro Brand. Cal. Aug. 1555. (*Corp. Ref.* X. 851.) *Eandem Melanchthon d.* 20. *Aug.* 1555 *etiam ad Bullingerum misit.*

16) *De quo saepius infra. Vides tamen quam invidiose per confabulationes et mendacia animi mutuo exacerbari potuerunt.*

2448.

HOTOMANUS BULLINGERO.

De Balduino queritur obtrectatore et suarum ipsius rerum statum exponit.

(Ex Hotom. Epp. impressis p. 5.)

Clarissimo viro D. Henrico Bullingero eximio Dei et ecclesiae Tigurinensis Ministro, Theologo praestantissimo.

Tiguri.

Fr. Hotomanus. S. D.

Apud D. *Martyrem,* [1]) non tuam, sed ecclesiae Dei causam egi. Multa sunt tamen accurate consideranda et prudenter. Nam si discesserit, de successore sumus vehementer solliciti. Si liceret, nomen adscriberem monachi cuiusdam, [2]) quem huc hostis noster [3]) adduxit, qui quid effecturus sit, incerti sumus: quid velit et quo intendat, nemo nescit. Hoc quoque D. *Martyr* perpendet. Literas accepi a D. *Calvino* et *Beza,* [4]) quarum lubenter ad te exemplum mitterem, si mihi describendi otium fuisset. Videres testimonium illarum ecclesiarum, de eo, quem impium, crudelem, impudentem, sycophantam, manifestum apostatam [5]) appellant. Tuis tamen et illorum monitis, quoad potero, parebo: et hanc iniuriam, Deo iuvante, sempiterna oblivione delebo. Quo tamen id pacto fiat, incertus sum. Nam quotidie sic pergit, ut nunc, quum videat, se neque existimationem neque fortunas meas laedere potuisse, de capite meo, ut audio, consilium ineat. [6])

2448. 1) *Qui Turicum vocabatur.*

2) *Boquini, qui ergo nondum Heidelbergam abierat.*

3) *Balduinus.*

4) *deperditas.*

5) *Cf. N.* 2438, *not.* 11. *Hotomanum talia iudicia de Balduino provocasse vero simillimum est.*

6) *J. Sturmii ep. ad Hotom. ex Biga Resp. p.* 166 *descripta haec habet:* Quum tua tibi professio (*Lausannensis*) non videretur satis honorifica, et D. Balduinus anteferretur propter professionem iuris, a Balduino doctore impetrasti ut pro ipso aliquando doceres. Non invitus ille id tibi concessit, neque quidquam minus metuebat, quam ut tu illius insidiareris aliquando vel fortunae vel existimationi. Sed tu subito et Duarenum contra eum concitasti et Balduinum apud me accusasti et non aperta sed occulta criminatione, quum diceres ut mihi ab eo caverem, nihil ei clausum esse, observare omnes tabellarios, adversarium esse Duareno viro religionis nostrae studiosissimo, inimicum vero esse Calvini. Hac tu accusatione effecisti ut ego alienarer a Balduino, et propter me alii etiam ab illius abstinerent familiaritate, usque adeo ut Balduinus Heidelbergae quam nobiscum esse maluerit, et ibi a principe et schola stipendium acceperit. Atque hic etiam quid veri in altera parte fuerit facile apparet. Falsum enim erat quod de Duareno dicebas, nam moriturus contra religionem nostram pro pontificia est testificatus, Balduinus innocens omnino, nisi abs te in tenebris accusatus esset, comparatis per te literis accusatricibus, sparsis etiam per te criminibus, quibus calumniis bono principe abutereris contra innocentes. Sed suo tempore omnia revelabuntur quae nunc sunt abscondita. Sed tamen ne tunc quidem observabam tuas insinuationes et tuorum consiliorum exitus, et postquam Balduinus a nobis Heidelbergam discessit, et antequam discessit. Quum constaret autem eum discessurum in illius postulasti locum succedere, et per me illud procurabas, et ego impetravi tacite nonnullis improbantibus, qui tuam simulatam simplicitatem observabant

Rem tibi magis perspicue patefacere non audeo. Nunc quod sit tempus vides. Aiunt regem Galliae timeri. Sedulo civitas munitur. A Gallis ergo cavebitur. In hoc tumultu, iniectum verbulum plus nocere poterit, quam alio tempore accusationes verbosissimae. Deus familiae meae miserebitur. Migratio mihi esset gravissima hoc tempore, praesertim quum uxor propediem paritura sit. Sed si mea negotia Lutetiae confecta essent, id est, mater respondisset aut *καταφατικῶς* aut *ἀποφατικῶς*, praeclare mecum agi putarem, si qua in re ecclesiae vestrae prodesse possem, de quo rogo ut cogites: tantum tamen hoc apud te habeas, hoc tam vehementer a te peto, ut magis non possim. Si placet ad me scribere, gratissimum feceris, sed quaeso ne ad quemquam alium. Mihi reverende et optime pater, vale. Argentor. 8. Maii 1556.

D. *Gesnerum* et D. *Gualterum*, viros clarissimos meo nomine perhonorifice salutes velim.

2449.

IONAS [1]) CALVINO.

Familiaritatem olim initam literis renovare cupit, etsi cunctanter, et se totum ab eius partibus stare adversus Lutheranos firmiter et candide asserit.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 73.)

[*Clari*]ssimo viro D. Ioanni Calvino [*ve*]ritatis propagatori fidelissimo [*ecclesias*]tae Genevensi amico et patri in fide Christi carissimo s[*uo*].

S. D. P. Debueram ego iam pridem tibi, reverendissime et clarissime vir, aliquid pro mea in te observantia scribere, quo et initam aliquando inter nos familiaritatem hoc qualicunque literarum colloquio tuerer, et simul meum tibi in te verum amorem, quo me sanctissimarum lucubrationum tuarum lectio indies magis magisque incendit, testatum facerem. Sed quia horrido hoc meo ac rudi stylo eruditissimis tuis auribus obstrepere hucusque veritus sum, dabis pudori meo, ut spero, veniam, et eo gratiores tibi erunt hae literae meae quantumvis impolitae, quod amoris erga te mei magnitudo eas mihi vel invito extorsit. Ita enim vere tibi de me persuadeas velim CALVINUM nostrum vel me ipso mihi cariorem esse. Atque utinam esset aliquid in quo tibi animum erga te meum talem qualis re vera est factis potius quam verbis declarare liceret. Experieris profecto quanta sit amoris illius vis quem scriptorum tuorum lectio apud omnes bonos tibi conciliat. Cui quidem lectioni me adeo deditum esse scias, ut nihil sit rerum humanarum omnium quod huic anteponam.

Legi libellum recens a te editum contra calumnias *Westphali*. In quo quum omnia summopere exosculer, tum vero illud a te dictum inprimis veneror: quod ignem quo plurimi Christi martyres consumpti sunt, eorum vocibus tanquam flabellis fuisse accensum testaris, quibus in sacramentarios vociferari summa pietas fuit. Venit mihi legenti haec verba in mentem sancti martyris *Thomae* archiepiscopi Cantuariensis recens [2]) in Anglia crudeliter cremati. Cuius sanctis cineribus ne hodie quidem parcitur, quin illud a diabolo suggestum atque inventum Suermeri vocabulum ipsis impingatur. Ideo valde laetor tale aliquod nunc exstare scriptum quo suis isti depinguntur coloribus. Si te hoc velle intellexero, dabo operam ut liber ille quam fieri potest fidelissime in nostram linguam transferatur, [3]) suppresso tamen interpretis nomine. Cuperem enim aliquod exstare unde nostri homines aliquem saltem veritatis gustum percipere possent, praesertim quum quotidianis Westphalorum clamoribus ita obtundantur ut diabolos esse putent non homines qui ab antiqua illa superstitione papistica vel latum unguem recedunt. Sed instat tabellarius. Ideo, ut coepi invitus, ita postquam coepi invitus desino teque oro ut me meosque precibus tuis Deo commendes. Salutem plurimam opto D. Roberto *Stephano* et aliis fratribus. Iterum vale. Postridie Nonas Maias anno MDLVI. Lipsiae.

Tuus Iustus Ionas
Iusti Ionae quondam theologiae doctoris [4]) filius.

---

diligentius. Impetrasti tamen, et qua methodo ante aliquando apud me usus eras eadem etiam eo tempore utebaris et dicebas turpe esse in Balduini locum succedere laborum et non stipendii *etc. Hanc epistolam post a.* 1559 *quo mortuus est Duarenus scriptam fuisse patet.*

2449. 1) *Iusti Ionae τοῦ πάνυ, Lutheri collegae, filius natus* 1525, *prof. iuris Wittebergensis. Qui quum Grumbachiana causa implicitus fuerit, a.* 1567 *Augusto electore Saxoniae flagitante Hafniae decollatus est. Hic se Melanchthonis asseclam profitetur.*

2) *d.* 21. *Martii.*

3) *De tali translatione non constat.*

4) *Qui nuper fato functus fuerat d.* 9. *Oct.* 1555.

2450.

FARELLUS HALLERO.

Laeta quaedam praedicat, tristia plura deflet, utraque tali stylo ut tu quoque non parum crucieris.

(Descripta per amanuensem Hottingeri exstat in Bibl. civ. Turic. F. 46, olim Epp. Tom. XI. fol. 619. — Simler. Vol. 87.)

S. D. Quanto plus considero quid Christus egerit et agat in Genevensi ecclesia, totus rapior, et nescio quid dicam, nisi ut tandem Christo gratias agam, gratulorque isti ecclesiae talem et tantam coronam coram Domino et piis omnibus, quod Genevae ita a tam parvis initiis ordienti, adfuerit usque ad haec incrementa et quod preces pro ista ecclesia fiunt. [1]) Oportebat *Calvinum* traduci palam ob coenam Domini, tanquam a *Calvino* eversam, idque affixis literis ut omnes ministerium servi Christi detestarentur, et passim rumor dissiparetur. [2]) Nunc quid spargatur super foedere, [3]) quod locum habuit dum plene impia fuisset Geneva, ubi nulla erat ecclesiae facies, et magis et magis auctum fuit ubi aliquid affulgere coepit evangelii, sed tunc potissimum ubi Antichristus fuit eliminatus et hostes ecclesiae fugati procul. Nunc ubi omnia quae conciliare talem et tantam ecclesiam omnibus debent, non posse foedus pristinum firmari, quam putemus passim excitare omnes, praecipue hostes Christi, ut loquantur et in Deum et in verbum. Christus tale tollat offendiculum, detque ut omnes studeant gloriae Christi, evàngelio illustrando, paci et aedificationi. Erat spes non levis de concordia cum omnibus ecclesiis. Abstulit *Eduardum* Dominus, probavit suos per furiam quam praefecit, pulsa * dum putant se multum effecturos, incendium rursus excitant, cui oleum addidit *Ochinus*, vires et animos administrat adversariis, [4]) quos ita* *Calvinus* in arctum redegerat, ut paene confecti viderentur. Et pius D. *Bullingerus* [5]) vere triumphasset tam sancto et pio opere, modo aliud quod tueretur non haberet, quam quod Deus dederat ut scriberet. Verum ita visum est Deum nos exercere. Faciet sane ad confirmandos adversarios rumor iste, quasi ecclesiae, quae tam sunt coniunctae in pietatis doctrina, ut quae quam maxime videantur discissae. Nec deerunt turbatores, quos exturbet Christus, quin omnia agant, fingant et mentiantur. Invisimus ecclesiam Sanensem, [6]) quam tu primus erexisti, ubi optimum vidimus *Beatum*, [7]) de quo plurimum speramus, non tantum in ea ecclesia, sed in vicinia quoque. Sane rapiebamur cernentes Dominum ita operari in iis, qui tunc primum gustassent verbum, quamvis non nihil praeteritae caliginis et superstitionis nonnullos turbet, tamen Deus ita operatur ut sit grande miraculum. Vale. Neocomi ix Maii 1556.

2451.

FARELLUS CALVINO.

Praeter morem paucissimis verbis amicum salutat occasione oblata de qua obscurius loquitur, et inter alia quid in recenti itinere viderit refert.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 114, coll. c. Cod. 116, fol. 48, Epp. Bernens. VI. p. 569 et Simleri Vol. 87.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis ut fidelissimo ita doctissimo theologo fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Hic quem in uxore visitavit Dominus, ut suos solet hic cruce exercere, quum iussus fuerit egredi urbem, ne quis putet eum non paruisse sed in ea latuisse, me rogavit ut ad te literas darem quibus testarer hic fuisse. Quod afflicto negare non potui. Consuluit mø de ratione si qua posset hic agere. Sed nullam prorsus video, ut sunt nunc res. Christus presso adsit.

Absolvimus iter nostrum [1]) satis feliciter quamvis in Gruanis montibus fuerit laborandum. Sed vidisse plebem novam fecit ut gratiores et leviores fuerint labores. Multum nobis placuit pastor Germanus [2]) qui Sanae docet. Collega [3]) hodie Bernam petiit. Utinam aliquid efficiat pro fratribus quos Italus ille [4]) non parum turbat. De *Morellano* [5]) aliud non accepimus. Tantum viri adventum expectamus. Fratres tuo salutavi nomine, qui omnes

---

2450. 1) *Haec omnia pro more invita Minerva adeoque invito Donato, nisi amanuensem reum habeas.*
2) *Videtur ad Westphalum et Timannum alludere.*
3) *scil. quasi Calvinus, quominus sanciretur, autor fuerit impedientibus.*
4) *Quum et Beza et Calvinus scriptum huius contra Westphalum improbassent, Farellum sibi non temperaturum quin eandem cantaret cantilenam omnino exspectari debebat.*
5) *edita apologetica expositione.*
6) *N.* 2432.
7) *Fuit fortasse minister in vallem Sarinae missus. (Rougemont, Chateau d'Oex et Saanen.) Vide seq.*

2451. 1) *In vallem Sarinae superiorem. Vide ep. praec.*
2) *quem supra Beatum appellarat.*
3) *Libertetus, nisi fallimur.*
4) *An Ochinus? Quos vero fratres turbaverit nescimus.*
5) *Qui tum in Alsatia versabatur.*

amanter te resalutant et reverenter, et isti gratulantur ecclesiae et potiora semper addi exoptant, receperuntque in precibus memores esse. Christus magis et magis suis locupletet donis et semper servet talem et tantam ecclesiam, et te una cum piis collegis sacroque senatu et iis qui praesunt. Vale bene et omnes salvere iube. Neocomi 10. Maii 1556. [6])

2452.

INCERTUS CALVINO.

Polonus quidam gratias agit Calvino quod literis ipsum in evangelio confirmarit ut pridem scriptis instruxerat, optatque ut aliquando suam gentem et nascentes ecclesias visitet.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 71.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis fideli ministro.

Gratiam et pacem in Christo.

Accepi literas tuas, vir Dei, quibus mihi gratularis ex animo, me invenisse margaritam illam pretiosissimam, quam iam olim Antichristus abscondidit. Fuit autem mihi haec gratulatio tua quam gratissima. Inter alia vero primum gratias ago Deo meo per Iesum Christum, qui dignatus sit mihi misero in tam densis tenebris et crassis erroribus sepulto patefacere lumen vitae aeternae, et addere spiritum inter tot saevissimos et truculentissimos lupos, qui nihil cogitant et moliuntur aliud quam ut opprimant filium Dei, unicam salutis nostrae portam. Hic tamen filius Dei regnat et fuit mecum semper, ac me mirabili modo, praeter vel meam omnem cogitationem, conservavit ad hanc usque diem illaesum. Non solum autem me, verum etiam complures alios fratres regni huius, et claros et praestantes viros, qui filium Dei exosculati sunt. Non est hoc opus revera nostrum, sed magni illius Dei, qui consilia mutare hominum et potentiam frangere adversariorum suorum novit optime. Crescit hic indies magis ac magis numerus discipulorum Christi, quos Dominus et defendit et robustos facit in fide. Etsi enim Antichristus saevit et movet omnem lapidem ut nos opprimere et nomen nostrum delere possit, tamen manus Domini est nobiscum: adiuvat enim ille nos et consilia inimicorum nostrorum irrita facit.

Tibi etiam, praestantissime vir, gratias agimus quod nobis non solum tuis lucubrationibus piis et doctis profueris ad cognoscendam veritatis lucem, sed etiam ignotos et remotos homines literis tuis invisere et confirmare non sis dedignatus. Rogamus autem te ut hoc ipsum saepius agas, vel, quod magis optamus, ad nos venias aliquando, ut visites templum Dei, ut te hisce nostris oculis videamus et glorificemus in te Deum quem nos etiam hic pro te oramus, ut te diu in gloriam nominis sui sancti et ecclesiae suae velit servare incolumem. Saluta istic tuos symmystas et totam congregationem Christi nomine nostro, et ora sanctos omnes ut nostri memores in precationibus sint suis. Vale, vir sancte et eruditissime. Ora pro nobis Deum, et pro nostris omnibus qui Christum diligunt. Datum Cracae pridie Ascensionis Dni. [1]) 1556.

2453.

VERMILIUS CALVINO.

Se et Heidelbergam et Turicum vocatum significat, simul exponit qua de causa nunc Argentorato valedicere cupiat et olim Genevam se conferre recusarit.

(Fragmentum autographon ex Cod. Genev. 110, fol. 32.)

S. D. De mea profectione ad principem *Palatinum* nihil adhuc scio, quod non rescripsit neque mihi quidquam, ab eo tempore quo meas ad te dedi, eius nomine significatum est. Suspicor non defuisse qui eum ab illa vocatione revocarint. [1]) Mirum est quam haec nostra causa sacramentaria, quae alioquin verissima et optima est, mundo sit ingrata. Sed mundi iudicium una cum ipso mundo est crucifigendum, si Deo volumus placere. Gaudeo tamen probasse te rationem illam qua scripsi ad eum. [2]) Nihil postea de *Alasco*. [3]) Puto mutasse consilium. Verum, ut dicis, multum satagit neque fructum ex

6) *Subscriptio desideratur, abscissa chartae parte a quodam male feriato autographorum collectore.*

2452. 1) *i. e. a. d. III. Idus Mai.*

2453. 1) *Constat eum circa m. Aprilem ab Ottone Henrico vocatum fuisse ut professionem theologicam Heidelbergae susciperet. Cal. Maiis Bullingerus ei de cathedra Turicensi scripserat.*

2) *Literae desiderantur.*

3) *Lascus videtur Vermilium Palatino commendasse quum ipse Spirae esset.*

labore capit. Persuadet et multa de adversariis quae ego semper vidi non successura. Nunc audio ab homine satis fide digno Matthiam *Flaccium* Illyricum aliquid adversum te atque me cudere.[4] Videntur velle pugnam redintegrare. Faciant quod voluerint, non mutos nos habebunt. Atque ego, nisi consilium meum impediatur, paro me ad libertatem mihi a Deo nunc oblatam acceptandam. Nosti D. *Pellicanum* Tiguri esse mortuum. Me hoc non exspectante, imo de re prorsus ignaro, professores ministri et senatus in eius locum delegerunt et ad nostrum magistratum literas dederunt benevolas, quibus magnopere contendunt ut me illis concedant[5]. At senatus me retinere vellet:[6] cui ego sum vehementer conquestus quod non possim per conscientiam manere quum ipsi nolint de re sacramentaria in schola disputari, neque moveri ea de re ullam contentionem, et interea patiantur e suggesto concionatores in nos pro sua voluntate debacchari et sententiam quam nos defendimus haereticam vocare: ad haec non aequum esse ut ego taceam et illi ut volunt libere loquantur: non esse ingenuae atque christianae conscientiae, ut probavi, sinere veritatem indefensam. Auditorium me fatebar habere satis refertum, sed peregrinis: Germanos vero quam paucissimos accedere, atque in summo pro haeretico me a suis ministris haberi, uno aut duobus ad summum demptis. Adieci quoque me non putare germanicam ecclesiam pro suo me habere. Nam a reditu meo ex Anglia usque ad hanc diem me ad suos conventus ecclesiasticos non vocarunt, quum priore tempore, vivo Matthia *Zelio*, *Bucero* ac *Hedione*, clarissimis viris, nihil in ecclesia quod alicuius momenti esset sine meo saltem scitu actum fuerit, quod infinitae propemodum subscriptiones declarant ubi manus mea una cum aliis conspicitur. Quare concludebam, me non videre quomodo re ipsa existimarent discessu meo scholam aut ecclesiam facturam esse iacturam. Pergebant illi rogare ut manerem, dicendo se multa quae commemorassem ignorare, ac se remedium allaturos pollicebantur, at de concessione ut libere de re eucharistica disputaretur et ageretur nullam mentionem faciebant. Unde rursus ego petii ne me ita retinere conarentur, quum per conscientiam mihi gratificari eis non liceret. Petierunt ergo ut manerem, et saltem rogabant ut uno aut altero die apud me deliberarem, quod admisi. At quantum video, nisi aliud illi mihi concedant, non sum mutaturus consilium. Io. *Sturmius* et *Sleydanus* me retinere conantur, sed frustra. Nam ipsi quoque fatentur esse a nostro senatu inimpetrabile ut ita dixerim, quod peto: nempe ut mihi liceat aperte docere aut scribere de sacramentaria sententia ut sentio, idque praesertim ob praeterita comitia. Sed aiunt posse forsam id obtineri ut media quadam via res agatur. At ego quae media ista sint probe video: nempe ut taceam, vel ut loquutionibus tectis veritatem obscurem, quorum neutrum statui facere. Amplector ergo christianam libertatem, quae mihi omnium rerum, ut esse debet, est dulcissima, et confido fore ut meum consilium non improbes.

Unum tantum oro, ut boni consulas quod ad vos potius Genevam non me contulerim.[7] Duae fuerunt causae. Prima, quia vocationes alienas occupare aut ingredi non videtur mihi fructuosum esse posse, neque ab aliis qui hoc fieri viderint posse commendari. Sciunt autem omnes, ecclesiam italicam apud vos ministrum habere pium et doctum virum, comitem nostrum *Martinengum*, fratrem meum in Christo dilectissimum. Quum itaque viderim adventum meum non fore necessarium, imo potius laborare posse aliqua suspicione, abstinui. Altera causa est quod Tigurini, ut dixi, anteverterunt, rogarunt vehementer nostrum senatum, delegerunt me ad professionem quae per mortem vacat, et ea de re a nostro senatu sum appellatus, et quid sentirem aut vellem oportuit me libere dicere. Ideo mihi divinitus libertatis datam occasionem putavi. Nam Deum patrem nostrum a multis iam mensibus assidue oravi, ut vel de alia vocatione mihi prospiceret, vel hanc meam tolerabilem redderet. [Ad haec arbitratus sum nostrum magistratum non tantam rationem habiturum nostrorum Italorum, si fuissem ab illis postulatus, quantam senatus et consulis Tigurini. Quamobrem rogo te, ut consilium meum boni consulas].[8] Quia tamen ad principem *Palatinum* quod nosti scripseram, ne fidem videar mutasse, a Tigurinis petam ut si vellet is mea uti opera ad aliquod certum tempus id mihi libere permitterent. Quod scio me impetraturum. Imo *Bulyngerus*, qui ea de re nonnihil ex *Vergerio* sensit, ad me scribit hoc mihi non esse denegandum, si rogavero eorum magistratum.[9]

De causa vero illa *Guidonis* Urbinatis plurimum doleo talia spargi. Hunc — — — — —[10]

4) *Vanus fuisse rumor videtur.*

5) *Hinc colligimus hanc epistolam circa medium mensem Maium scriptam fuisse. Cf. et Hotomanni epp. proxime praecedentes.*

6) *v. Schmidt p.* 186.

7) *Cf. N.* 2142. 2266. *Schmidt p.* 182.

8) *haec in margine.*

9) *Haec nempe Bullingerus Cal. Maiis. Cf. Schmidt p.* 184.

10) *Caetera desunt.*

2454.

CALVINUS BLAURERO.

Febri laborans pauca tantum de Defensione contra Westphalum scribit, deque Historia Martyrum recens edita et negotiationibus circa foedus Bernense.

(Autographon Cod. Sangall. MSS. Tom. 37, Epp. VIII. fol. 91. Contulimus cum exemplari Turicensi F. 43, olim VIII. p. 464 v. et Simleriano Vol. 87. Edidit Pressel p. 581. Anglice legitur III. 269.)

Eximio Christi ministro D. Ambrosio Blaurero ecclesiae Biellensis fido pastori fratri mihi vere observando.

S. Incommode accidit quod dum *Witembachius* attulit tuas literas obdormiebam lassus ex febri quae accessu tertio [1]) me aggressa erat. [2]) Ita factum est ut eum, sicut optabam, non salutaverim. Domum vero, ex qua non egredior, vocare civile non fuisset. Deinde res parum amoena est aegrotos invisere. Eventum morbi in Dei manum committo. Nam duros conflictus passus sum et vires parum mihi sunt robustae. Medici tamen bene sperant.

Quum Defensionem consensus nostri peteres, miratus sum de *Westphali* refutatione [3]) nullum te verbum facere. Nam hactenus iudicium tuum exspectaveram. Itaque suspicatus sum, exemplar quod miseram ad te non pervenisse. Nunc tuo sumptu mittere non dubitavi.

Nihil hic editum est novi quod tibi placiturum confidam: nisi forte historiam Martyrum nostri temporis videre cupias. [4]) Sed quia forte iam habes *Witembachium* sarcina et te sumptu onerare veritus sum. Quod si tamen eam voles, *Farellus* tibi curabit.

Bernae nihil actum est. [5]) Postquam fere transactum esse putavimus, ecce ex insperato novae conditiones. Nostris satis est nihil recusasse in quo aequi homines cedendum fuisse iudicent. Quisquis enim adversae partis postulata legerit, facile videbit potentiae suae fiducia leges voluisse imponere quae ius aequabile tollerent, nostris cordi fuisse foedus quod modo esset tolerabile. Culpam in me reiici novum non est: sed ego ad tam putidas naenias obdurui.

De aliis rebus, si convaluero, *Farello* scribam mandaboque tecum ut communicet. Vale, praestantissime vir et frater mihi in Domino venerande. Collegae mei te omnes salutant, praeterea syndicus noster et *Rosetus*. Pecunia cuius mentionem facis pridem reddita fuerat. Saluta meo nomine D. *Funkium* [6]) collegam et reliquos amicos. Dominus vos sustineat sua virtute, praesidio tueatur et benedictionibus augeat. Genevae 15. Maii, pridie quam nuncius discederet. 1556.

Ioanne[*s Calvin*]u[*s tuu*]s ex animo totus.

2454. 1) *forti apogr.*

2) *Beza in Vita p.* 26 *Nickel:* Anno altero Calvinum imprudentem tertiana in concione invasit ac tandem invitum ex suggesto coegit descendere.

3) *i. e. de secunda defensione m. Ianuario edita.*

4) *De prima editione v. N.* 1940 *et* 2010. *Altera prodiit sub titulo:* Recueil de plusieurs personnes qui ont constamment enduré la mort pour le nom de N. S. J. C. depuis Wicleff jusqu'à cette presente année. Gen. 1555. 8. (*Bibl. de Zurich*). *Tertia:* Recueil . . . . . avec une troisième partie contenante autres excellens personnages nagueres executez pour une mesme confession du nom de Dieu. 1556. 952 *pp.* 16. (*Haag* IV. 118.) *Caeterum Noster ad Blaurerum scribens potius de latino exemplari loquitur, Baduello translatore edito:* Acta Martyrum qui saeculo XVI. in Gallia Germania Anglia Flandria Italia constans dederunt nomen evangelio idque sanguine suo obsignarunt. Gen. 1556. 8.

5) Lecture est faite aux Deuxcens de la response finale de Berne. Laffaire ne sera pas poursuivie. Les conditions sont trop prejudiciables. (*Reg. du Conseil* 10. *Mai.*)

6) *Lege:* Funklium.

2456. 1) *ex Vallibus Pedemontii cf. N.* 2427. 2432.

2) *Etiam hic ut Stephanus ille minister apud Valdenses fuisse videtur.*

mus. *Dommartinus* variis de rebus mecum loquutus est. De ecclesia Parisiensi mandatum quod retulit te dedisse cur mihi non dixeris, quum hic nuper esses, miratus sum. Responsione fratrum gavisus sum, ut debui. Sed quia missionem ab ecclesia sua non petiit *Enardus*,[3]) hoc meum est consilium: Simul ac *Morellanus* ad nos appulerit urgendam esse profectionem.[4]) Nam ubi sibi prospectum esse Parisienses intelligent, melius detegetur eorum voluntas. Quod si de *Enardo* retinendo contendant, quia tamen liber non est, tempus sibi ad ecclesiam visendam postulabit. Sed utinam brevi incolumis adsit *Morellanus*, ut eius praesentia certius consilium nobis suppeditet.

De conventu non audeo sicut multi cuperent satagere. Satis est meo iudicio, quod ingenue profiteor, si accersar me paratum fore. Tigurini quidem sic abhorrent, ut subeunda sit eorum offensio si accedam. Nuper prolixe summaque vehementia a me contendit *Bullingerus* ut haec de quibus sermo habetur exordia abrumperem.[5]) Mihi quidem decretum est non obsequi: sed concedent, opinor, boni omnes tale mihi temperamentum, ne obiiciant illi me nimis cupide quidquam molitum esse. Ita iustior erit excusatio si posthac negem mihi fas esse, quod altera pars colloquium petet refugere.

Petrus Martyr Tigurum concedit,[6]) quod mihi credibile non erat: sed ipse putat patefactum sibi exitum quo erumpat in libertatem. Dominus bene vertat. Quid iam ecclesiae Argentinensi immineat coniice, quum eo praesente non dubitaverint adversarii in nos palam bacchari.[7]) Dominus ergo huic miserae dissipationi medeatur.

Febris hesterno accessu valedicere mihi visa est.[8]) Ita absque ulla sudoris gutta Dominus eluctari dedit, nisi quod ultimum congressum cras exspecto, a quo me liberabit idem ipse Dominus. Eius gratiae et praesidio te commendo. Vale, optime et integerrime frater. Amici omnes et frater meus te salutant. Genevae 18. Maii sub coenam 1556.

---

3) *N.* 2411.

4) *Qui tamen m. demum Iulio ex Alsatia advenit.*

5) *Bullingerum de his rebus et hominum animis rectius iudicasse, imo optime, eventus probavit* (*vide ad* 22. *Maii*). *Cf. N.* 2442.

6) *Scilicet ipse non abnuebat, verum demum d.* 23. *Iunii a senatu veniam retulit.* (*Schmidt p.* 186.)

7) *Vide Martyris epistolam proxime praecedentem.* (*Schmidt* 185 *et infra N.* 2479.)

8) *Cf. praecedentem ad Blaurerum not.* 2.

2456.

SULZERUS BULLINGERO.

Se frustra antitrinitarium illum, de quo Bullingerus ipsi pridem obscure scripserat, Basileae detegere conatum affirmans iam luculentiora indicia sibi dari cupit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 155, olim Scrin. B. Epp. Tom. 33, fol. 411. — Simler. Vol. 87.)

Viro praestantissimo D. Heinricho Bullingero. Tiguri.

S. De quodam sacrosanctae trinitatis impugnatore[1]) aut calumniatore potius blasphemo memini te ad me scribere, mi *Bullingere*, et eo nomine vigilantiam commendasse. Et res certe digna sit fideli attentione. Sed qua ratione ad autoris inquisitionem insistam non video, postquam neminem ego quidem novi, aut fando accepi qui [*vel*] mutiret tale aliquod scelus. Gratissimum ergo feceris, si vel aliquam nobis des circumstantiarum (si aliud non possis) significationem, ex quibus sit occasio ceu per vestigia deprehendendi et arcendi perniciosi et exitialis veneni. Multas iam vias, easque secreto tentavi, quum inter doctos, qui lucubrare solent, tum chalcographos, ut latens alicubi huiusce furoris vel scintilla constare posset. Sed frustra omnia, ut aut commentum esse sparsum per sinistram suspicionem existimem, aut metu premi conatum. Tu interim perge etiam nobiscum vigilare, quod facis, et vale. Basileae 19. Maii Anno 1556.

T. Sulcerus.

2457.

FARELLUS VIRETO.

Transmittit ei certas quasdam literas de negotio cum Calvino tractando.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 319. — Edidit Bretschneider. p. 194.)

Christi servo insigni P. Vireto Lausannensis ecclesiae pastori quam fidelissimo.

Lausannae.

2456. 1) *Si quid videmus Bullingerus Sulzero scripserat ut Basileenses sibi a Gribaldo caverent. Cf. N.* 2428.

S. Quid optet frater ex te et *Calvino* ex literis hisce potes intelligere. Tu videbis quid expediat et *Calvinum* admonebis. Mirum quod *Dommartinus* [1]) nihil huius attigit verbis. *Clemens* post abitionem *Dommartini* literas accepit, undo factum quod moleste tulerim quod per *Dommartinum* te et *Calvinum* non potuerim [2]) consulere: nam hic quidquam agere sine sano consilio non decrevi. *Morellanum* miror non venisse. [3]) Christus illi adsit et piis omnibus. Vale, quum pluribus nunc non liceat. Saluta tuos, collegam, *Bezam* [4]) et reliquos. Collega te salutat. Neocomi 20. Maii 1556.

Tuus Farellus.

2458.

BONAR CALVINO.

Magno sibi honori ducit a Calvino literas accepisse omniaque sua pollicetur studia in evangelio promovendo.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 67.)

Clarissimo et omni solida laude ornatissimo viro D. Ioanni Calvino verbi Dei in ecclesia Genevensi fidelissimo ministro et amico plurimum honorando.

Clarissime et omni solida laude ornatissime vir, aeternus unigeniti sui filii pater servet te ecclesiae suae sanctae diu incolumem.

Redditae sunt mihi literae tuae [1]) quae me maximopere delectarunt. Quinimo in quadam et ea non mediocri felicitatis suae * parte colloco hunc honorem mihi factum esse a te tanto viro, cuius summas laudes totus coetus fidelium verbi Dei auditorum in toto orbe merito equidem tuo praedicant. Quibus inquam literis, etiam tuis ad me scriptis, tantum stimulum mihi ad promulgandum et propagandum verbum Domini nostri Iesu Christi filii Dei unigeniti addideris, [2]) ut etsi ante nunc eo magis ac magis me omni cura studio conatuque facturum omnia quaecunque ad asserendam aeterni patris gloriam necessaria essent. Deum certe * precibus ut me spiritu invictae fortitudinis instruat dirigatque manu sua in recto cursu usque ad metam. Et velim ut sibi * certo persuadeas opinionem eam quam de me ex D. doctore *Lismanino* [3]) concepisti tantopere adauctam quo et me fecisse et te scriptis stimulasse nunquam pigeat. Sed breviores quam vellem literas scripsi, neque enim angustia temporis ita ut par erat permisit. Tu, quod facis, me totus quantus quantus sum et amato et quum apud te tum apud omnes tui similes de meliori nota commendatos *. Commendo me iterum atque iterum pietati tuae quam diligentissime. Racoviae xij Calend. Iunii anno incarnationis Christi M. D. LVI.

Tuae pietati addictissimus
Io. Bonar de Balicze
liber Baro Castellanus Bieczen. m. ppa. sspt.

2459.

LASCI DECLARATIO DE COENA.

Fuse exponit sententiam suam de sacramentis et coena, in eum finem ut in quibus inter omnes iam conveniat explicite statuatur, in reliquis vero amica discussione concordiae modus et forma inveniatur. [1])

(Exstat in Cod. Arch. Turic. olim Scrin. C. Epp. Vol. 1, fol. 572 nunc Plut. VI. Vol. 117a. Simlerus suo apographo Vol. 87 adscripsit haec: *Ioannis a Lasco Propositiones Brentio ante conventum oblatae* 15. *Maii* 1556. *Scriptum hoc est Ioannis a Lasco ut hoc autographum sua ipsius manu scriptum probat. Notas in margine addidit Bullingerus quibus nempe dissensum suum in nonnullis indicat.* In ipso autographo nulla est inscriptio.)

Ne qua vel dubitatio vel suspicio concordiam moretur et impediat, primo loco definiendum est de quibus rebus conveniat inter nos. Nam quae initio certaminum maxime exasperarunt utrinque animos nunc sunt extra controversiam. Odiosissimum erat ab una parte iactari, alligari spiritus gratiam externis elementis, ab altera vero nudas et inanes figuras et theatricis pompis similes relinqui. Haec contentio nunc sublata est quia utrinque fatemur:

2457. 1) *Bretschn. ubique:* Dom. Martinus. *Caeterum cf. N.* 2455.
2) potuimus *Br.*
3) *N.* 2455, *not.* 4.
4) collegas pios *Br. om. nomine Bezae.*

2458. 1) *N.* 2365.
2) *latinitas paululum intricata, maxime in iis quae proxime sequuntur.*

3) *Cuius fautorem et patronum se praestitit, post eius reditum, et apud regem pro eo intercedens et hospitium ei in suis aedibus offerens.* (*Lubien.* 69.)

2459. 1) *d.* 22. *Maii Stuttgardiae inter Lascum et Brentium de coena actum est. Hae sunt Lasci propositiones de quibus disputandum erat.* (*Cf. Schnurrer, Erl. d. Würt. Ref. Gesch.* 245. *Hartmann u. Jaeger, Brentz* II. 365. *Bartels, Lasco* 62.)

Primum sacramenta esse non solum externae professionis notas coram hominibus, sed testimonia ac tesseras gratiae Dei et promissionum sigilla quae fidem nostram melius [2]) confirment.

Itaque duplicem esse eorum usum, ut coram Deo sustineant conscientias, deinde coram mundo pietatem testentur.

Ad haec Deum, sicuti verax est ac fidelis, arcana spiritus sui virtute praestare quod exteris signis figurat: ideoque ex parte ipsius Dei non proponi vacua signa, sed veritatem et efficaciam simul coniunctam esse. Rursus non esse inclusam spiritus gratiam aut virtutem externis signis, quia nec aequaliter nec promiscue omnibus prosunt, nec effectus etiam eodem momento apparet: sed Deum libere, prout visum est, sacramentis uti ut electis adminicula sint in salutem, aliis nihil conferant adeoque cedant in exitium.

Denique sacramenta nihil prodesse nisi fide recipiantur, quae singulare est donum spiritus, nec a terrenis elementis pendet sed a coelesti eiusdem spiritus operatione. Tantum externa adminicula pro infirmitate captus nostri adiungi.

Quod ad sacram Christi coenam peculiariter spectat, convenit sub symbolis panis et vini proponi corporis et sanguinis Christi communicationem, neque simpliciter nobis in memoriam revocari, Christum semel pro nobis fuisse in cruce oblatum, sed sacram illam unitatem nobis sanciri, qua fit ut mors eius nobis sit vita: nempe dum insiti in eius corpus vere ab ipso alimur, non secus ac cibus et potus corpora nostra vegetant.

Convenit etiam Christum vere et efficaciter implere quidquid analogia signi et rei signatae postulat: ideoque vere nobis in coena offerri communicationem cum eius corpore et sanguine, vel (quod idem valet) nobis arrham sub pane et vino proponi quae nos faciat corporis et sanguinis Christi participes.

Restant capita de quibus vel quid sentiendum sit vel quomodo loquendum nondum plane liquet.

Quisquis autem sano rectoque iudicio praeditus simul compositum affectum et sedatum adferet fatebitur solum de modo edendi esse certamen: quia palam et ingenue asserimus Christum fieri nostrum ut quae possidet bona nobiscum deinde communicet: eius quoque corpus non modo semel fuisse datum in salutem nostram, dum ad expianda peccata immolatum in cruce fuit, sed quotidie nobis in alimentum porrigi, ut dum ipse habitat in nobis bonorum etiam eius omnium societate fruamur. Vivificum denique esse tradimus quia vitam suam nobis inspirat, non secus atque ex panis succo vigorem trahimus. Ergo prout diversa edendi ratio statuitur, ex hoc fonte oriuntur lites. Nostra autem definitio est, corpus Christi comedi quia spirituale est animae alimentum.

Rursus alimentum a nobis vocatur hoc sensu quia incomprehensibili spiritus virtute nobis vitam suam inspirat, ut sit nobis communis, non secus atque a radice arboris vitalis succus in ramos se diffundit, vel a capite in singula membra manat vigor. In hac definitione nihil captiosum, nihil obscurum, nihil ambiguum vel flexiloquum.

Quod autem quidam hac dilucida simplicitate non contenti volunt Christi corpus ore deglutiri, nec scripturae autoritate, nec veteris ecclesiae testimonio nituntur: ut mirum sit homines mediocri iudicio et eruditione praeditos tam pertinaciter de novo commento certare. Quod docet scriptura in controversiam a nobis minime vocatur, Christi carnem vere esse cibum et sanguinem vere esse potum, quia et vere a nobis percipiuntur et in solidam vitam sufficiunt. Hanc quoque communicationem in sacra coena exhiberi profitemur. Quisquis ultra urget, metas certe transsilit.

In verbo quoque *essentiali* insistere non est rationi consentaneum quando de sacramentis agitur, quibus peculiarem loquendi formam scriptura adsignat, unde sequitur sacramentali modo debere haec verba exponi: Hoc est corpus meum, item: Panis quem frangimus communicatio est corporis Christi. Porro quod suspicantur quidam subesse aliquid periculi, facile est huic timori obviam ire. Quia sacramentalis loquutio figurata esse dicitur, figura veritatem everti putant. Atqui tenendum est, figuram non pro inani spectro poni, sed grammatice sumi ad notandam metonymiam: ne quis putet ita simpliciter panem vocari corpus Christi, ut Christus ipse vocatur Dei filius. Nomen ergo corporis figurate ad panem transfertur, neque tamen figurative, ac si nudam et vanam corporis sui imaginem oculis nostris obiiceret Christus: quia veritas a figura non excluditur, sed tantum notatur discrimen inter signum et rem signatam, quod coniunctioni non repugnat. Si modo facessant cavillationes, ut in concordia quaerenda fieri decet, nihil est in hac docendi ratione odiosum, vel quod in sinistram partem trahi debeat, et tam sensu quam usu communi semper approbata fuit.

Inprimis obstaculum de corporis immensitate submovere necesse est. Nisi enim constet finitum esse coeloque comprehendi, nulla erit dissidii conciliandi ratio. Nam quod absurdum quibusdam esse videtur, non ubique esse ex quo divinitati unitum est, facile diluitur. Etsi enim naturae duae unam mediatoris personam efficiunt, utrique tamen manet sua proprietas distincta, quandoquidem aliud est unio quam unitas. Nec de ea re olim disceptatum

2) quodam modo *Bull.*

fuit, quia uno omnium consensu receptum erat, Christum filium Dei mediatorem et caput nostrum, sicuti in gloriam coelestem semel est receptus, ita locorum intervallo quoad carnem esse a nobis dissitum: divina autem essentia et virtute, gratia etiam spirituali, coelum et terram replere.

Hoc constituto licebit admittere loquendi formas, in quibus nonnulli ob ambiguitatem sunt perplexi, sub pane vel cum pane nobis dari Christi corpus: quia non substantialis unio corruptibilis cibi cum Christi carne sed sacramentalis notatur coniunctio. Hoc autem controversia caret apud omnes pios, inseparabile esse vinculum signi et rei signatae in promissione ipsa, qua Deus nihil fallaciter ostentat, sed figurat quod vere et re ipsa praestat.

Porro frustra litigatur de corpore duplici. Mutata quidem fuit conditio in Christi carne, ubi in coelestem gloriam recepta quidquid terrenum mortale vel caducum erat exuit. Interea tamen statuere oportet, non aliud corpus vivificum nobis esse, aut vere cibum posse censeri, nisi quod pro expiandis peccatis crucifixum est, sicuti et verba sonant. Idem ergo corpus, quod semel filius Dei patri in sacrificium obtulit, quotidie nobis in coena offert ut sit in spirituale alimentum. Tantum de modo tenendum est quod nuper attigi, non opus esse descendere carnis essentiam e coelo ut ea pascamur, sed ad penetranda impedimenta et superandam locorum distantiam sufficere spiritus virtutem. Interea non negamus quin modus hic humanae menti sit incomprehensibilis, quia neque naturaliter caro esset vita animae, neque e coelis vim suam ad nos exsereret, neque frustra communicatio quae nos facit carnem e carne Christi et ossa ex ossibus eius vocatur a Paulo magnum mysterium. Ergo in sacra coena miraculum agnoscimus, quod et naturae fines et sensus nostri modum exsuperat, dum Christi vita nobis fit communis et eius caro nobis in alimentum datur. Modo quaecunque definitioni nuper positae repugnant commenta procul facessant: qualia sunt de corporis ubiquitate, vel de occulta sub panis symbolo inclusione, vel de substantiali in terris praesentia.

Haec ubi transacta fuerint emergit adhuc dubitatio de voce substantiae, cuius sedandae haec videtur esse expedita ratio, ut crassa imaginatio tollatur de manducatione carnis, ac si corporalibus cibis esset similis qui ore sumpti in ventrem descendunt. Nam ubi haec absurditas remota fuerit non est cur negemus substantialiter nos pasci Christi carne, quia vere coalescimus cum ipso in unum corpus per fidem, et ita unum cum ipso efficimur. Unde sequitur substantiali societate nos cum ipso coniungi, non secus ac substantialis vigor a capite in membra defluit. Definitio igitur statuenda erit: substantialiter nos fieri carnis Christi participes, non quod fiat carnalis quaedam mixtura, vel quod caro Christi e coelis elicita in nos penetret, vel quod ore deglutiatur, sed quia non secus animos nostras vivificet Christi caro, quoad vim et efficaciam, ac panis vinique substantia corpora aluntur.

Aliud praeterea caput controversum est de voce *spiritualiter*, a qua multi abhorrent, quod putant imaginarium aliquid vel inane notari. Ergo hic etiam succurrat definitio necesse est. Spiritualis ergo manducatio carnali opponitur. Carnalis autem vocatur qua putant quidam substantiam ipsam Christi in nos transfundi, sicuti panis comeditur. Ex opposito autem dicitur spiritualiter corpus Christi nobis dari in coena, quia facit arcana spiritus sancti virtus ut quae locorum spatio distant inter se uniantur, ac proinde ut e coelo ad nos penetret vita ex carne Christi, quae vis et facultas vivificandi non incommode abstractum aliquid a substantia dici posset, modo sane hoc et dextre intelligatur: manere scilicet in coelo Christi corpus et tamen ad nos qui in terra peregrinamur vitam ex eius substantia manare ac pervenire.

Quod quidam a nobis duplicem manducationem inscite confundi iactant: negamus inscitia nos praetermittere quod sibi fabricarunt ipsi de sacramentali esu, quem volunt esse substantiae carnis absque effectu vel gratia. Nihil autem tale vel scripturis proditum vel ecclesiae veteris testimonio suffultum est. Nam certe veritas et res sacramenti non tantum est applicatio beneficiorum Christi, sed Christus ipse cum morte et resurrectione sua. Quare non dextri sunt interpretes qui ab una parte Christum statuunt vacuum omnibus spiritus sui donis omnique virtute, ab altera coniungunt eum cum spiritualibus donis et manducationis fructu: quia non potest sine contumelia separari a spiritu suo, non magis quam a se ipso divelli. Nec vero illis suffragantur Pauli verba: reos esse corporis Christi qui indigne comedunt panem coenae, quando reatus non adscribitur receptioni, nec usquam legitur, nec rationi consentaneum est, in damnationem cuiquam cedere quod Christum recipiat, sed damnantur qui eum respuunt. Conveniat igitur de hoc quoque capite, sacramentaliter Christi corpus comedi ab impiis, non vere nec re ipsa, sed signo tenus.

Haec definitio explicat quaestionem quid sit in coena per fidem recipere Christi corpus. Quibusdam suspiciosum est nomen fidei ac si veritatem et effectum everteret. Atqui longe secus accipere convenit, quia scilicet non aliter Christo coniungimur, quam si mentes nostrae mundum transscendant. Nostrae itaque cum Christo coniunctionis vinculum est fides, quae sursum nos attollit et anchoram suam iacit in coelo, ut in sua gloria potius quae-

ratur a nobis Christus quam ut rationis nostrae figmentis subiaceat.

Atque hac ratione sedatur optime illud quod attigi certamen, soline fideles Christum recipiant an omnes sine exceptione quibus porriguntur panis et vini symbola. Recta enim et clara est solutio quam posui, Christum omnibus generaliter corpus suum et sanguinem offerre: sed quia infideles ianuam claudunt eius liberalitati non recipere quod offertur. Neque tamen inde colligere licet, illos, dum respuunt quod datur, vel exinanire Christi gratiam, vel quidquam ex sacramenti efficacia detrahere: quia eorum ingratitudine naturam suam non mutat coena, nec panis, quatenus proponitur a Christo in arrham vel pignus, profanescit, ut a communi pane nihil differat, sed vere testatur communionem cum Christi carne et sanguine.

2460.

LASCUS BRENTIO.

Colloquium cum eo habitum optato successu caruisse testatur. Cur dici non possit quod ab Augustana confessione deviet, indicat. Cur non ad omnia sibi obiecta argumenta responderit, rationes reddit. Quaedam paradoxa a Brentio in illo colloquio asserta recenset. [1])

(Edita est in Meiners, add. ad Hist. ref. Emdanae I. 628. Gerdes, Misc. groen. II. 723, Kuyper, Lasco II. 720.)

Quoniam heri [2]) ita ab invicem digressi sumus ut sine fine ullo discessum utrinque videatur, vir clarissime, volui paucis tuae praestantiae indicare animi mei sententiam, ut illam cognoscere possis. Igitur, quod ad confessionem Augustanam attinet, haec mihi tuae ratiocinationis summa fuisse videtur. „Confessionem Augustanam ab iis agnosci non posse qui eam illius interpretationem non recipiunt quae per illius autores adfertur. A nobis vero non recipi eam interpretationem in causa hac sacramentaria, cuius nomine accusamur. Frustra igitur praetendi a nobis Augustanam confessionem: sed potius illi per nos fieri iniuriam, dum eam in patrocinium nostrae doctrinae trahere conamur, et tamen non recipimus, quae ab eius autoribus adfertur, illius interpretationem."

Ad haec igitur paucis respondeo, Augustanae confessioni nos assentiri affirmamus in praedicta controversia, cuius nomine accusamur, quatenus neque verba illius neque sententia item ex verbis illius collecta nostrae doctrinae diserte opponi posset. Aut igitur in nostra controversia aliquid est opponendum, sive verbis ipsis, sive sententia ex illis collecta in Aug. confessione, ut ea quidem edita habetur, aut si id non fiat, praeter meritum nostrum fieri dicimus, quod suspicione et invidia gravemur, quasi Aug. confessionem impugnemus.

Quod vero ad autorum confessionis ipsius interpretationem attinet, eam sane et in ipsa confessione Aug. locis praesertim illius collatis, et in eius item Apologia exstare non [3]) dubitamus. Illinc igitur nobis opponi diserte aliquid oportet si dissensionis alicuius ab ea ipsa confessione in nostra hac controversia convinci deberemus.

Praeterea qui Aug. confessionis autores fuerunt iidem quoque in Ratisponensi colloquio eandem ipsam Aug. confessionem et explicarunt et confirmarunt. Illinc etiam igitur verbis disertis nobis opponantur si quae nostram doctrinam impugnare queant, aut si ne id quidem fiat, oramus ne vestris praeiudiciis nostram doctrinam suspicione ac invidia dissensionis quum apud Ill. Principem tum etiam apud alios praeter meritum nostrum gravetis.

Ut autem sciatis quid in nostra hac controversia sentiamus, summam hic [4]) verbis illius exponemus: Credimus et confitemur quod Christus Dominus, verus alioqui Deus pariter atque homo, vere etiam atque essentialiter nobis in coena sua praesens adsit, ac sese nobis, ipsumque adeo corpus suum pro nobis in mortem traditum, et sanguinem suum item pro nobis fusum in alimoniam vitae aeternae vere ac efficaciter fide apprehendendum exhibeat, una cum pane ac poculo coenae, h. e. dum pani et poculo coenae participamus iuxta eius institutionem.

Huic igitur nostrae doctrinae opponi aliquid petimus, quo ab Aug. confessione, ut dictum est, dissentire convincamur, aut, ne ab illa dissentire dicamur siquidem doctrinae huic nostrae ex illa nihil opponi possit.

Ad reliqua tum praestantiae tuae tum aliorum argumenta respondendi provinciam sumere mihi in praesentia nolo, non quod ea aut refugiam aut contemnam, sed quod mihi iustas huius mei consilii rationes videar habere.

2460. 1) *Argumentum epistolae describimus ex Gerdesio.*
2) *d. 22. Maii. Aderant duo praefecti (Landhofmeister) Balth. v. Gültlingen et Dietr. v. Plieningen. Lascus suum cum Augustana consensum demonstrare volebat. Brentius vero eius calvinismum subolfaciens brevi manu ei communionem negavit. (Brentius Brubachio prid. Id. Iul. in Loescheri hist. mot.* II. 113. *Bertram, Lasco p.* 374. *Hartmann und Jaeger, Brentz* II. 365.)

3) *Gerdes. om. negationem.*
4) his *K.*

I. Nolo meam unius responsionem fraudi quoquo modo aliis esse qui eandem nobiscum doctrinam profitentur, ac proinde quod est multorum ego mihi solus sumere nolo. Sed hoc peto, ut utriusque partis doctores convocentur doctrinaeque dissidia omnia ex verbo Dei discutiantur sine praeiudiciis, in lenitate, modestia ac libertate fraterna.

II. Non alio consilio huc veni quam ut audirem qua parte nobis confessio Aug., ut exstat, opponi possit, praesertim quum Princeps hic Ill. nostram doctrinam ab illa dissentire existimasset, et me huc secum ob eam potissimum causam venire iussisset. Quare hoc ipsum duntaxat nunc peto, quemadmodum supra dictum est.

III. Esto autem ut consilium hoc meum obstare non debere videatur quominus de controversa [5]) illa, nempe reali substantiali ac corporali in coenae elementis corporis et sanguinis Christi naturali delitescentia inter nos colloquamur, tamen quum hesterna nostra disputatio adiuncta habeat alia quaedam dogmata, mihi alioqui antea, ut verum fatear, ita neque audita neque lecta unquam, et quae meo quidem iudicio adhuc magis multo quam controversa illa delitescentia paradoxa esse videntur, iudicium de illis meum suspendere adhuc malim quam ad ea in utramvis partem protinus respondere: praesertim quum perspicuos illorum fontes neque in scripturis ipsis neque in catholicae item ecclesiae doctoribus mihi omnino adhuc compertos habeam: imo vero, quantum equidem memini, arbitror, a priscis omnibus ecclesiae doctoribus aliena plane esse.

IV. Citata sunt etiam per vos loca quaedam, et ex scripturis et ex patribus ipsis, quae diligentius inspici et expendi oportet: id quod ego alioqui nunc et per temporis et per librorum inopiam facere non possum. Sic proinde mirum vobis videri non debere puto si non inspectis ac discussis quae sunt citata locis respondendi mihi provinciam sumere non velim. Libenter hoc tamen postea sum facturus, ut per otium amanter et reverenter de omnibus ad te scribam, vir clarissime, ubi ad libros meos rediero. Non equidem ut vel revocari, vel ipsemet venire tecum ullo modo velim in ullam omnino contentionem, a qua sane totus abhorreo, sed ut tibi velut fratri, aut verius patri, fidei meae rationem in omni benevolentia ac caritate christiana reddam, quemadmodum tu pro virtute humanitateque fidem mihi tuam conatus es approbare.

Ne quid autem non recte abs te intellexisse aut non probe omnia meminisse tibi videar, commemorabo hic paucis quae me heri ex te audivisse puto, ut sicubi memoria tibi lapsus quoquo modo videar, abs te amanter admoneri possem, ne quid secus quam dixisti a me intelligatur. Haec igitur mihi videor audivisse: 1°. Christum Dominum in sua mox incarnatione fuisse omnino in coelestis patris gloria, etiam ipso humanitatis nostrae corpore, quanquam iuxta dispensationem quandam in terris conspicuus versaretur. 2°. Christum Dominum in verbis illis Ioh. 12: Pater glorifica me etc. visibilem tantum eius suae gloriae revelationem petiisse, quam alioqui antea etiam in suo corpore habebat, sed dispensatione quadam celabat. 3°. Christum Dominum in nostrae etiam humanitatis corpore, iuxta ipsam alioqui nostri corporis naturam, fuisse semper immortalem impassibilem et gloriosum, testimonio suae transfigurationis, sed interim dispensatione quadam passum mortuumque esse propter nostri redemptionem. 4°. Christum Dominum iuxta humanitatis nostrae naturam, nempe corpore et sanguine suo, esse iam creatorem, propter personalem utriusque in ipso naturae unionem. 5°. In Christo Domino naturam ipsam nostrae humanitatis, corpus inquam suum et sanguinem, divinae ipsius naturae ita esse unitam personali unione, ut neque locorum neque item potentiae discrimine ullo discerni ab invicem amplius separarive possit, propter personalem illam unionem. 6°. Post mortuorum resurrectionem nullum omnino loci ullius discrimen fore inter eos qui sunt vel servandi vel damnandi.

Haec mihi ita audivisse, ni fallor, ex te videor, vir praestantissime: in quibus si mea me memoria fallat plus satis alioqui labilis, te oro ne graveris illam tuo ipsius testimonio sublevare, et paucis indicare, sicubi quid excidisse putes. Fieri enim potest ut vel te non intellexerim recte, vel non satis omnium meminerim: praesertim quum ea mihi dogmata insueta sint prorsus, ut dixi, et nunquam hactenus observata. Neque vero id abs te peto ullo sane captandi quidquam sugillandive studio (id equidem tibi vere affirmo) sed vellem ea mecum omnia per otium accuratius paulo reputare, et deinde per literas tecum fraterne de omnibus agere, si quo modo det Deus ut omnes idem semel aliquando per eius gratiam et sentiamus et loquamur.

Nunc id tantum oro, id quod antea etiam dixi, ut aut nostrae doctrinae aliquid diserte opponatur, sive ex Aug. confessione, sive ex eius Apologia, sive item ex actis Ratisponensibus, aut ne praeter nostrum meritum doctrina nostra ea suspicione ac invidia gravetur, quasi Aug. confessioni omnino repugnet. [6]) Nam hactenus nihil huiusmodi nobis oppositum esse videmus. Stuttgardiae 23. Maii 1556.

5) controversia *G.*

6) *Ad h. l. Gerdesius:* Uti nemo non hoc Lasci petitum aequum esse atque honestum agnoscere debet, ita mirari satis nequimus qua mente Brentius tamen illud in ep. ad Brubachium (*supra laudata*) appellare potuerit studium imposturae.

2461.

BRENTIUS LASCO.

Hesterna disputatione rei satisfactum fuisse contendit et sibi integrum non esse ut in novum certamen descendat.

(Describimus ex Gerdesii misc. II. 732, qui ipse sumpsit ex Meinersio p. 633.)

Salutem in Christo, clarissime ac reverende Domine.

Puto me heri coram satis perspicue et copiose exposuisse meam sententiam de praesentia corporis et sanguinis Christi in pane et vino coenae dominicae, et etiam de sententia Augustanae in hoc articulo confessionis. Intellexit autem tua humanitas haud obscure, ut opinor, mihi non esse propter multas causas integrum, ut hoc tempore de isto negotio in novum certamen descendam. Ego quam sententiam de eucharistia hactenus et voce et scriptis, quia iudicavi eam apostolicis scriptis consentaneam, professus sum, adhuc divina adiutus clementia, conservare et tueri pergam. Caeterum, quas mihi propositiones tua humanitas recitat, partim agnosco, partim reiicio, et ut explicarem ac munirem, ne aliquis locus pateret calumniis, necesse haberem commentarium scribere. Quod mihi alioqui sic satis occupato nunc non licet, praesertim quum in his meis scriptis, ubi tracto eucharistiam, videar mihi haec omnia clare exposuisse, in quibus quoque docui, me plane nihil velle assertum, quod cum consensu ecclesiae, hoc est, cum sacra scriptura, quae est oraculum sp. sancti, pugnet. Bene ac feliciter vale. Stuttgardiae 24. Maii 1556.

2462.

LASCUS BRENTIO.

Denuo cupit instrui quibus in rebus ab Augustana confessione vel eius Apologia vel a colloquii Ratisponensis actis dissentiat. Innocentiam suorum testatur et petit ne afflictiones ecclesiarum peregrinarum multiplicare per suos velit.

(Meiners l. l. p. 634, Gerdes. l. l. p. 734, Kuyper l. l. p. 723.)

S. in Domino. Sententiam quidem doctrinae tuae, vir praestantissime, in nostra controversia audivi, et quidem non sine admiratione, ut verum fatear. Audivi item, quae de confessionis Augustanae sententia adferebas. Sed eorum, quae dicebas, fontes in Augustana ego confessione, a qua nos dissentire putas, nusquam reperio, et proinde illos mihi, locis ipsis alioqui indicatis, cupio commonstrari.

De doctrinae enim tuae sententia nobis in praesentia res non est, ac quemadmodum certamen pro illa detrectas, ita et ego illud non expeto, imo et causas recenseo, cur in hoc certamen descendere nunc mihi haudquaquam integrum esse putem.

Caeterum, quia nos a confessione Augustana dissentire affirmas, et hoc tuo praeiudicio causam nostrarum ecclesiarum non leviter gravas, et quidem praeter omne nostrum meritum ut speramus, puto equidem, et me acquum abs te postulare, et te etiam id recusare, meo quidem iudicio, non debere, ut nobis praeiudicii istius fontes in ipsa Augustana confessione monstres: indicatis praesertim locis in ipsa confessione. Ne autem verba confessionis ipsius detorqueri a nobis ad causam nostram videantur, adiecimus et Apologiae ipsius confessionis et Ratisponensis colloquii acta, in quibus iisdem Augustanae confessionis autoribus, doctrina confessionis ipsius explicatur et comprobatur, ut illinc nobis fontes praeiudicii tui commonstrentur. Hoc vero non est in certamen aut vocare aut descendere velle, sed nostram innocentiam, qua parte accusamur, approbare, alioqui si integrum videtur praeiudicare, integrum quoque videri deberet, ut ego quidem puto, fontes praeiudicii commonstrari, praesertim quum id amanter petamus.

Quod porro ad dogmata illa per me, ut eorum quidem memini, collecta attinet, ego, vir clarissime, nullam eorum vel explicationem vel approbationem postulabam: sed scire duntaxat cupiebam num illorum recte meminerim, ne quid non recte forte intellexerim: visa enim sunt, ut dixi, nova mihi: ac illorum memoriam optassem me habere in capita duntaxat redactam. Quod equidem facile fieri posse existimarem sine multis vel explicationibus vel approbationibus, si modo, sicubi me memoria lapsum esse intelligis, verbo uno atque altero indicares.

Sed quoniam tibi nunc forte non licet, ego quoque missum facio. Alias enim de hoc commodius inter nos amice agere poterimus. Hoc te tantum oro: ne tantisper, dum nobis fontes dissensionis nostrae in ipsa confessione Augustana non commonstrentur, praeiudiciis tuis gravemur. Non enim te eum esse confido, qui afflictis et exsulibus propter Christum ecclesiis crucem ipsam conduplicare velis. Boni consule, quaeso, hanc nostram libertatem, et vale in Christo. Stuttgardiae 25. Maii 1556.

2463.

ACTA STUTTGARDIENSIA
ex Brentii relatione.

Inter Lascum et Brentium de coena, quibus nihil effectum est quam ut denuo patefieret concordiam in hoc articulo frustra quaeri quum utraque pars alteri hanc imponeret conditionem ut manibus et pedibus in suam ipsius sententiam abiret.

(Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 177, olim Epp. Tom. 47, fol. 246. — Simler. Vol. 87.)

Acta et transacta Stutgardiae cum D. Ioanne a Lasco 25. Maii 1556 Wirtebergensi Principi Electori missa.

1. Transsubstantiationem papisticam utraque pars negat.

2. Veram praesentiam Christi in coena affirmant utrique.

3. Veram praesentiam corporis et sanguinis Christi in coena concedunt utrique.

Sed in hoc dissentiunt quod theologi Augustanae confessionis sentiunt, corpus Christi et sanguinem eius esse in pane et vino coenae dominicae praesentia, vere, realiter, essentialiter.

D. *a Lasco* et sui sentiunt, Christum esse realiter et essentialiter cum corpore et sanguine suo in externo illo et visibili coelo: ideoque corpus et sanguinem eius non posse realiter et essentialiter esse in pane et vino coenae dominicae.

Argumenta obiecta.

Primum argumentum: Christum esse in coena. Ioannes dixit: Verbum caro factum est, hoc est, Deus et homo sunt in Christo ita coniuncta ut constituant unam personam, nec possunt a se invicem, ne morte quidem, separari. Ubicunque igitur est divinitas Christi ibi humanitas Christi sit necesse est. Divinitas autem Christi est in pane coenae dominicae, quia replet coelum ineffabili modo. Ergo necessarium est ut et humanitas Christi, id est, corpus et sanguis Christi sint in pane coenae dominicae praesentia, idque non iuxta imaginationem humanae rationis, sed modo homini in hac vita incomprehensibili.

Ad hoc argumentum respondet D. *a Lasco*: Quod Deus et homo sint in Christo una quidem persona, sed etiam sint duae naturae, quarum altera est divinitas altera humanitas, et utraque natura servet suam proprietatem. Quum igitur proprietas corporis sit in uno tantum loco esse, sequitur quod Christi corpus realiter et essentialiter non sit nisi in uno loco.

Haec responsio ita depulsa est, quod utraque natura, divinitas et humanitas, servet quaeque suam proprietatem substantiae, non autem accidentium. Substantia enim divinitatis non mutatur in substantiam humanitatis, et o contra. Accidentia autem humanitatis mutantur, et humanitas Christi ornatur proprietatibus seu conditionibus divinitatis. Esse autem in loco, sicut esse in tempore, est accidens corporis. Quare corpus manente corporea substantia potest esse divina virtute non in uno loco tantum sed in pluribus simul.

Aliud argumentum.

Ubicunque est dextera Dei ibi etiam est Christus sua humanitate, hoc est, cum corpore et sanguine suo. Sic enim habet articulus fidei: Ascendit in coelum, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. In pane autem coenae dominicae est dextera Dei omnipotentis. Ergo etiam ibi est Christus una cum corpore et sanguine suo. Per dexteram autem Dei intelligenda est maiestas et omnipotentia Dei.

Ad hoc argumentum D. *a Lasco* nihil potuit firmi et solidi respondere, nisi quod subinde repetebat, dexteram Dei tantum significare omnipotentiam Dei, ac negabat etiam hominem in Christo esse omnipotentem. Etsi autem dextera Dei non tantum significat omnipotentiam, verum etiam felicitatem coelestium, tamen hoc est manifeste falsum quod homo in Christo in unitate personae non sit omnipotens, quum articulus fidei sit manifestus: sedet ad dexteram patris, hoc est, homo in Christo factus est eiusdem maiestatis et omnipotentiae cum Deo patre. Ephes. 1, Phil. 2, Hebr. 1.

Aliud argumentum.

Coelum externum visibile est pars huius mundi et est corruptibile. 2 Petr. 3. Si ergo Christus corpore suo esset tantum in hoc corruptibili coelo, adhuc esset in mundo, nec dereliquisset hunc mundum, quum tamen dicat Ioannis 16: Exivi a patre et veni in hunc mundum et iterum relinquo mundum et vado ad patrem. Et quia coelum illud externum in procellae morem transibit, sicut Petrus loquitur, sequeretur quod et Christus in tali coelo exsistens transiturus et periturus esset una cum sede sua in procellae morem.

Ad hoc respondit D. *a Lasco*, se non disputare quomodo Christi corpus sit in coelo.

Quum autem postea admoneretur ut deinceps, postquam aperte contradiceret sententiae earum ecclesiarum quae sunt coniunctae Augustanae confessioni in coena dominica, non iactaret se cum suis

agnoscere in hac parte Augustanam confessionem, respondit se non pugnare cum verbis Augustanae confessionis, et plane idem sentire quod verba eius confessionis de coena dominica sonant. Sed responsum est ei quod agnoscat quidem verba et interpretetur secundum suam opinionem, non autem secundum veram sententiam quam exponit Apologia et quam adhuc retinent ecclesiae quae sunt huic confessioni coniunctae. Quare non possit vere iactari quod sentiat in hoc articulo cum Augustana confessione.

Responsum nomine Illustrissimi Principis D. *a Lasco* datum 25. Maii 1556.

Ad Illustrissimam suam Celsitudinem relata esse omnia ea quae in proximo colloquio inter ipsum *a Lasco* et D. *Brentium* collata sunt. Et quia Ill. Princeps ex relatione intellexit ipsum *a Lasco* in articulo de coena Domini a doctrina Augustanae confessionis omnino dissentire, atque in hac sua perversa opinione perseverare, nullam posse Celsitudinem suam Ill. proponere rationem qua in tam diversorum dogmatum varietate possit inveniri concordia: nihil vero magis optare Celsitudinem suam quam quod D. *a Lasco* cum suis peregrinis ad communionem tam dogmatum quam rituum in ecclesiis Augustanae confessionis hactenus observatorum accedant. Hancque unicam et quasi compendiariam viam esse et ad ecclesiarum conciliationem et ad comparandum sibi suisque peregrinis hospitia.

τέλος.

2464.

ACTA STUTTGARDIENSIA
ex Lasci relatione.

Colloquium diu expetitum tandem locum habuit, saepissime ultro citroque disputata recoxit et, ut perspicaciores praedixerant, rem in eo statu reliquit quo antea fuerat, neutra parte alteri quidquam concedente quamvis fere de meris formulis ageretur.

(Meiners add. ad Tom. I. hist. eccl. Emdanae p. 618 seqq. Kuyper, Lasco II. 724. Variantes ab hoc notatas negligimus.)

Ubi Stuttgardiam venissem quarto demum die, nempe 22. Maii, ad coetum theologorum Principis vocatus in duorum ipsius consiliariorum praesentia cum D. *Brentio* colloquium habui. Ac primum ille dicebat se cum suis collegis iussu Principis vocatos convenisse ut mecum colloquerentur: colloquii vero argumentum esse debere de coena Domini et Christi in illa praesentia. Quanquam autem neque ipse neque sui collegae quidquam omnino dubitarent de tradita per ipsos doctrina quae alioqui inconfessione etiam Augustana contineretur, tamen, ut Principis mandato satisfacerent, se paratos esse mecum colloqui et eam ipsam suam doctrinam mih approbare. Non putare autem se quidquam in hoc argumento controversiae inter nos esse, nisi de corporis Christi in ipso pane aut sub ipso pane coenae reali ac substantiali praesentia. Hanc itaque sibi probandam esse.

Ad eius igitur probationem duo loca D. *Brentius* proferebat. Primum Ioh. 1: Verbum caro factum est. Deinde articulum ex Symbolo: Ascendit in coelum, sedet ad dextram patris. Ratiocinatio autem ipsius ex priore hoc Ioan. loco collecta eiusmodi erat: Personalis unio divinae et humanae naturae in Christo eiusmodi est iuxta hoc Iohannis testimonium, ut neutra earum naturarum ullo amplius aut locorum aut temporum intervallo divelli ab invicem quoquo prorsus modo possit: ergo quemadmodum divinitas ab humanitate in Christo separari neque locis neque temporibus ullis potest propter personalem unionem, ita neque humanitas ac proinde neque corpus quoque ipsius a divinitate etiam divelli ullo amplius modo potest. Perinde enim violaretur personalis illa utriusque in Christo naturae unio, sive divinitatem ab humanitate sive humanitatem a divinitate quoquo modo separemus aut divellamus. Igitur ubicunque est divinitas Christi, ibi etiam humanitatem ipsius et proinde quoque corpus eius statui oportebit. Divinitatem porro filii Dei esse, ergo et corpus Christi esse ubique, ac proinde etiam in pane seu sub pane coenae. Dicebatque D. *Brentius*, hoc ipsius argumentum neque potuisse hactenus, neque posse etiam a quoquam refutari sine violatione personalis duarum in Christo naturarum unionis. Articulum autem de ascensione et dextra Dei ita urgebat quemadmodum olim D. *Lutherus* quoque faciebat. Dextra Dei est ubique, Christus corpore suo ascendit in coelum et consedit ad dextram Dei, ergo corpus Christi est ubique. Hicque demum volebat *Brentius* ut illi ad praedicta ipsius argumenta responderem.

Ego vero egi primum gratias Principi apud ipsos qui aderant consiliarios, quod mea causa eum coetum instituisset. Egi vero et illis omnibus qui aderant gratias quod ad instituendum mecum colloquium venissent, mihique gratissimum fuisse haec ita ex D. *Brentio* audivisse, sed causam mei eo cum Principe adventus aliam fuisse, quam ut putarem me ingredi debere ullam disputationem de controversia hac praesentiae seu delitescentiae corporis

Christi in pane seu sub pane coenae, nempe ut, quoniam Princeps ipse existimaret nos in doctrina de coena Domini a confessione Augustana dissentire, loca mihi aliqua ex ipsa confessione commonstrarentur quae cum doctrina nostra pugnarent. Hoc igitur me inprimis petere, tametsi libenter auditurus essem omnia quae ab ipsis adferrentur.

Ad haec porro *Brentius* doctrinam suam et suorum esse eandem cum confessione Augustana ac proinde frustra nos praetendere consensionem cum Aug. confessione, si ab illius et suorum doctrina dissentimus. Ego autem respondi, me quidem ea de re nolle contendere, sed me interim putare quod praecipuis confessionis Aug. autoribus non prorsus invicem conveniat de ubiquitate corporis Christi, et si ipsius doctrina eadem esset cum confessione Aug. ut nobis commonstratis alioqui locis doctrinae suae fontes aut testimonia in ipsa commonstret. Hic ille rursum: se quoque inter alios confessionis Aug. autorem esse, atque hac mente illam fuisse editam ut haec doctrina adversus *Zwinglii* doctrinam defenderetur. Iniuriam igitur fieri a nobis confessioni Aug. dum illam a nobis stare dicimus, et tamen ipsius et suorum doctrinae reclamamus. Ego vero de *Zwinglii* doctrina me nihil velle agere respondi: non enim id esse mei instituti in praesentia, sed nos praeter nostrum meritum gravari, quod nos confessioni Aug. repugnare, adeoque et iniuriam illi fieri a nobis dicat, quum nullum inde proferret locum qui doctrinae nostrae adversaretur. Ibi ille verba sua de illata per nos confessioni Aug. iniuria moderari et excusare coepit. Ego demum subieci, me non tam verbis quam re ipsa moveri, nempe quod a confessione Aug. dissentire dicamur, quum nihil inde contra nos proferri possit. Aut igitur commonstraret in ipsa confessione Aug. quod cum nostra confessione pugnet, aut ne nos suo praeiudicio praeter nostrum meritum gravet.

Ibi demum ad confessionis Apologiam provocatum est, et quae in ipsa confessione paucis propter operis brevitatem attacta essent, ac proinde varie exponi possent, ea in Apologia clarius explicata esse. Adiungendam igitur esse Apologiam confessioni. Hic ego: etsi, inquam, Apologia a Caesarea Maiestate aliisque imperii ordinibus recepta non esset, quemadmodum est recepta ipsa confessio, cuius solius alioqui nomine foedus inter Caes. Maiestatem et omnes imperii ordines sancitum est, tamen nos cupere etiam in ipsa Apologia nobis commonstrari loca quae nostrae doctrinae repugnant. Prolata igitur Apologia quaesita sunt loca, sed nusquam reperta, quae contra nos faciant. Urgebatur locus quidam ex capite de ecclesia, in quo haec verba habentur: Sed ut clarius perciperent quicunque ista legent, nos defendere receptam sententiam quod in coena Domini vere et substantialiter adsint corpus et sanguis Christi, et vere exhibeantur cum his rebus quae videntur, et loqui de praesentia vivi Christi . . . . . Producto hoc loco ego illum contra nos nihil facere respondi, si verba confessionis Aug. Cap. 13 huic sententiae adiungantur, nempe fide nos percipere quae per sacramentum significantur, et retineatur ecclesiae catholicae doctrina. Non esse ita alligandum terrae usum coenae, quin corda ad Dominum sursum in ipso coenae usum attollamus. Quatenus enim fide percipitur gratia quam sacramenta significant, et fides nihil in terris, nedum in coenae ipsius elementis, sed in suae conversationis loco, nempe in coelo, animis nostris illuc per spiritum sanctum erectis, quaerit intuetur et apprehendit Christum Dominum in ipso coenae usu, hactenus equidem neque in pane ipso neque sub pane coenae, sed una cum pane, hoc est, eo ipso tempore quo pani coenae participamus, adesse nobis iuxta fidei praesentiam Christum Dominum vere et substantialiter, nosque vere ac efficaciter pascere corpore et sanguine suo per fidem ad vitam aeternam. Fateri igitur nos una cum Apologia, in coena Domini adesse vere et substantialiter corpus et sanguinem Christi, etiamsi illa in pane et vino re ipsa διὰ εἴδους delitescere negemus. Aliud enim esse coenam ipsam (dominicam inquam institutionem), aliud vero ipsum panem aut vinum in coena. Fateri nos item, vere exhiberi nobis una cum pane et vino in coenae usu, h. e. dum pani et vino coenae participamus, corpus et sanguinem Christi, fide percipienda in vitae aeternae alimoniam, ne otiosa vacuaque ac inania signa in sacramentis statuere putemur, quod equidem falso nobis a nonnullis hactenus adscriptum esset. Nihil igitur et eum Apologiae locum contra nos facere ullo modo.

Ibi rursum ventum est ad priora verba illa, frustra a nobis praetendi confessionem nostram cum Apologia aut Augustana convenire, nisi ipsorum interpretationem amplectamur. Egoque rursum repetebam, frustra nobis opponi Aug. confessionem et eius Apologiam postquam nullus utrobique locus qui nobiscum pugnet commonstrari nobis possit. Tandem vero agi coeptum de argumentis *Brentii*, et quanquam ego dicerem me nullam suscipere velle respondendi provinciam, tamen mihi videri id probandum esse quod in personali divinae et humanae naturae in Christo unione neutra naturarum ab altera ullo prorsus locorum temporumve intervallo divelli separarique quovis modo posset. Deinde quaestionem de naturae divinae exsistentia difficiliorem esse, quam ut ita obiter de illa tractari deberet, atque ita non libenter me velle multis de ea re agere, nedum ut velim statuere, eandem prorsus exsistentiae rationem utriusque naturae in Christo esse propter personalem illam unionem. Alioqui

me non videre, quo pacto vitari possint absurda prorsus dogmata a mente scripturae modis omnibus aliena. Atque eo usque progressi sumus ut ea agnoverit, quantum ego quidem meminisse possem, quae in mea ad ipsum epistola inter paradoxa recenseo.

Tandem ventum est ad articulum de ascensione et dextra patris Dei. Ibi ego quaerebam quodnam illud coelum esset in quod Christus ascendit, dum ab apostolis in altum absumptus esset. Respondebat, visibiliter quidem Christum in sua ascensione visibile etiam coelum petiisse, sed invisibiliter in coelo etiam invisibili illum corpore suo ab ipso mox incarnationis suae tempore semper fuisse, iuxta illud Ioh. 3: Filius hominis qui est in coelo. Ego porro respondi, locum Ioh. 3 nihil ad hoc institutum facere, sed me nolle ingredi ea de re disputationem: alioqui omnes veteres consentienter docere, haec de divina duntaxat in Christo natura accipienda esse, et filio hominis tribui quod est filii Dei, propter personalem naturarum unionem. Quaerebam postea num, quod visibiliter Christus Dominus egit in sua ascensione, vere etiam egerit, h. e. an non vere etiam cum corpore suo in visibile coelum illud profectus sit, quemadmodum illum apostoli a se in altum sublatum a nube atque ex aspectu ipsorum in sublime subductum et in coelum visibile proficiscentem viderint? Respondit, vere haec omnia accidisse. Vere, inquam, igitur, corpus Christi tum de loco in locum ab imis in sublime movebatur ac ferebatur. Item vere etiam corpore suo, donec ad eundem modum redeat, exspectatur. Quatenus ergo, inquam, vere corpore exspectatur, hactenus sane corpore suo hic in terris vere non adest. Haec enim simul non consisterent, vere corpore ut eum dicamus suo nobis hic adesse et vere corpore aliunde exspectari. Hic vero non aliud respondebatur, quam invisibiliter adesse et visibiliter exspectari. Sed interim vere etiam, inquam. Vere responderunt, quatenus visibiliter. Atque ibi alii etiam sua argumenta proferre sua persona coeperunt. Alius producebat illud Eph. 4: Ascendit super omnes coelos ut impleat omnia. Alius ex Act. 3: Oportuit Christum coelum capere, ut videlicet Christus coelum capiat, non coelo capiatur. Item ex Hebr. 4: Habemus pontificem qui penetravit coelos. Postremo proferebat unus ex illis ex Luc. 4: Coelum et terra transibunt, sicque argumentabatur: Si Christus Dominus corpore suo est in certo aliquo coeli loco, ergo liquescente coelo olim corpus quoque Christi colliquescet, et visum est hoc argumentum aliis ita plausibile ut ei responderi non posse putarent.

Haec vero quum viderem, dixi me tot iam audivisse ut non amplius mihi ego sumere velim respondendi provinciam, sed me interim de mea doctrina certum esse ex verbo Dei, neque me adhuc videre quidquam quod illam in dubium vocare ullo modo possit. Proinde aliud non superesse quam ut Deum oremus, ut ipse doctrinae dissidia componat. Iterum me orare quod initio dicebam, ut postea, qui in hac controversia ab Aug. confessione dicimur dissentire, loci nobis in illa eiusve Apologia aut actis Ratisponensibus commonstrarentur qui cum nostra doctrina pugnarent: alioqui praeter omne nostrum meritum, denique et praeter omnem aequitatem, nos eo praeiudicio gravari quod ab Aug. confessione dissentire dicamur, ex qua nihil nobis opponi possit. Sicque est solutum colloquium, et consiliarii principis qui aderant dicebant se Principi suo omnia relaturos esse.

Postridie autem ego ad *Brentium* scripsi literas,[1] ipseque mihi per literas respondit[2] et ego rursum literis ipsius respondi,[3] ipseque acceptis alteris literis meis nescio quo est profectus, sic ut neque mihi responderit neque postea sit visus. Die vero Lunae Pentecostes[4] vocatus ad Principis consiliarios responsum hoc ab illis Principis nomine accepi,[5] quod posteaquam inter me et suos theologos non potuit convenire, et Princeps doctrinam suorum eodem loco habeat cum confessione Augustana, non possit Princeps causam nostram suo patrocinio tueri, neque etiam nostras ecclesias commendationibus suis promovere quod alioqui libenter facturus esset, meque et meos omnes omnibus clementiae officiis prosequuturum, si non hoc doctrinae dissidium obstaret. Optare interim Principem ut dissidium hoc doctrinae componi possit. Et hoc responso accepto respondi, non esse nostrum pronunciare num doctrina, quam ex Principis theologis audissem, eadem esset cum confessione Augustana, nisi quod nos illam in conf. Aug. nusquam videamus, sed quum nihil nobis hactenus commonstratum esset in conf. Aug. pugnans cum nostra doctrina, nos sane merito affirmare quod in quibus accusamur ab Aug. conf. nullo modo dissentiamus, et praeter meritum nostrum fieri quod ab illa dissentire dicamur. Quod vero ad Principis patrocinium attinet, nos quidem meliora sperasse de Principis clementia, sed tamen Dei nobis patrocinium non esse defuturum, quemadmodum hactenus non defuit, etiamsi humanis praesidiis destituamur. Illum esse testem nostrae innocentiae et olim etiam iudicem fore omnium nostrum. Nos itaque illius patrocinio causam omnem nostram permittere neque diffidere hac in parte illius bonitati. Me tamen adhuc cupere cum Principe ipso loqui, si liceat, priusquam mihi abeundum esset.

2464. 1) *N.* 2460.
2) *N.* 2461.
3) *N.* 2462.
4) *d.* 25. *Maii.*
5) *Vide in fine praecedentis.*

Postea iussus sum a coena eodem ipso die venire ad hortum Principis, ut cum ipso colloquerer. Quod et factum est. Ac primum dixi Principi quod, posteaquam responsum Celsitudinis suae ab ipsius consiliariis accepissem, non mihi putassem abeundum esse nisi dicto vale suae Celsitudini, et actis gratiis quod me eo secum ita vocasset, benigne illic accepisset etc. Me dolere quidem quod aliud nihil praestitum fuisset in nostro colloquio cum ipsius theologis. Me sane unanimi et scripturarum et ecclesiae catholicae consensu in mea conscientia convictum a mea doctrina non posse discedere in ullorum hominum gratiam, quod ipsum alioqui ne Principem quidem ipsum a me petiturum esse confiderem: neque causam hanc me solius esse, ut eam solus ipse sustinerem, sed alios quoque advocari oportere si res serio tractari deberet. Optarem, inquit Princeps, id posse fieri, sed modum non video: ego enim id solus facere non possum etiamsi velim. Alios vero principes vix puto huc induci posse. Sed vellem, inquit, vos assentiri Augustanae confessioni omissis omnibus exceptionibus et conditionibus in hac controversia sacramentaria. Ad haec ego: nos in hac controversia planius et simplicius testari non posse confessionem nostram cum Augustana convenire quam dum non equidem nostris, sed ipsiusmet verbis loquimur, et ab iis qui nos dissensionis nescio cuius insimulant nihil usquam commonstari omnino possit, neque in ipsa Aug. confessione neque in eius Apologia neque in actis item Ratisponensibus, quod nobis opponi possit. Non esse id quidem in manu nostra ut hominum de nobis praeiudicia tollamus aut sistamus, sed Deum fore olim iudicem horum omnium. Me interim ab eius Celsitudine hoc petere ne nos praefracta ulla animi nostri obstinatione aut pervicacia in doctrina nostra perstare putet, sed quod unanimi et scripturarum et catholicae ecclesiae consensu de eius veritate convicti recedere ab illa tuta nostra conscientia in hominum gratiam non possimus. Interim Deum esse orandum ut nos aliquando simul omnes idem faciat et sentire et loqui ad gloriam sui nominis et ecclesiae suae pacificationem. Hic Princeps respondit: Utinam id fiat! utinam! Ego vero: Posteaquam tua, inquam, Celsitudo id ita optat, certe id procurare etiam tua Celsitudo, eorumque conatus qui id procurant adiuvare deberet, alioqui quo pacto id vere optemus quod non etiam nostra virili promoveamus? Respondit ille: Faciam libenter, si ullo modo possim, sed solus, inquit, nihil hic possum. Atque hic nostri colloquii finis fuit, egoque demum veniam abeundi ab illo petii eique valedixi.

2465.

CALVINUS LASCO.

Consilium colloquii cum Lutheranis instituendi non omnino improbat, imo inde pacem conciliari posse sperat quidquid dicant Turicenses. Verum adversariis istis cervicosis nihil concedendum. Sane concordiae certissima auspicia.

(Exemplar princeps Ionvillaei Cod. Genev. 107a, fol. 302, descripsit Turretinus Cod. 108, fol. 170, hunc librarius Bernensis Epp. VII. p. 48 ex quo suum fecit Simlerus Vol. 87.)

D. Ioanni a Lasco [1])

S. Spiram te venisse,[2]) venerande frater, ut de impetrando colloquio aliquid tentares, pridem cognovi, tum ex eorum relatu qui illac transierant, tum etiam ex quorundam literis. Quia vero de successu neque tu verbum scripsisti nec alius quisquam, ex silentio coniicio nihil actum esse. Et sane id semper ego timui: nam et in curandis pietatis negotiis nota est principum mollities ac tarditas (et quum ab alienis consiliis fere pendeant, magna ex parte nobis parum esse propitios constat a quibus reguntur).[3]) Iam facit adversae partis furialis pertinacia ut amicam tractationem quasi odiosam omnes refugiant.

Nihil tamen mihi magis displicuit quam te consilia cum *Vergerio* miscere,[4]) cuius hominis vanitatem tibi non citius cognitam[5]) fuisse miror (mihi certe quidquid ille aggreditur suspectum est). Quod si felicius res cedat quam nunc existimo et animus semper mihi praesagivit, non dubito tamen quin

---

2465. 1) *Calvinus m. ppr.*

2) *Otto Henricus prid. Non. Apr. promulgata lege ecclesiastica reformationem inchoaverat, et quidem cooperantibus suis theologis M. Dillero et H. Stolone (Stoll) philippistis, advocato tamen etiam Marbachio. Lascus ergo facile Palatinum adire poterat sperans fore ut ille concordiae de qua satagebat manum praeberet. Alting hist. eccl. pal. p.* 171: Otto Henricus reformationem confecit opera M. Dilleri qui noster (*i. e. Calvinista*) fuit, et Marbachii, usus tamen consiliis Melanchthonis itemque Io. a Lasco qui Heidelbergae cum ipso fuit a. 1548 et 1556. *Bertram p.* 373: Unter diesen Haendeln thate Lascus eine Reise an den pfälzischen und würtemb. Hof um an denselbigen einen Versuch zu demj. Friedens und Unions-Werk zu thun damit er von so vielen Iahren her schwanger gegangen.

3) *verba in parenthesi posita Calvinus m. ppr. margini inscripsit.*

4) *Cf. N.* 2436. *Vergerius Calvino suspectus erat nec absque causa, sive de eius sinceritate dubitarit, sive iam rescierit eum de libro contra Westphalum scripto iniquius iudicasse.*

5) citius cognitam *ipse C. superscripsit. Antea habebat:* fuisse suspectam. *Quo deleto in margine addidit quae parenthesi praebet.*

iam expertus sis quam parum tibi profuerit ventosa hominis ostentatio. Utinam tamen sim vanus augur et brevi intelligam, quidquid optandum fuit te adeptum esse. Quanquam si nihil aliud audiero quam te cum aliqua spe dimissum esse, hoc apud me frigebit. Nam a principibus, quos liberaliter promittere non pudet, quaesitum fuisse putabo honestae recusationis praetextum. Si tamen, quod vix mihi credibile est, serio de pacificandis ecclesiis agere instituerint, danda nobis est opera ut sentiant ad omnem moderationem nos esse propensos. Ego certe, si vocatus fuero, accurrere statui. Fratribus nostris Tigurinis idem persuadere difficile erit, quia se penitus ab omni colloquio abhorrere non dissimulant. Pridem sciebam ita esse affectos, sed putabam nostro omnium in diversam partem consensu et tot rationibus quae illis non semel obiectae sunt adductos mutasse sententiam. Nuper vero prolixis literis apud me disseruit *Bullingerus,* [6]) rem fore modis omnibus damnosam. Sumit enim hoc theorema: si vel tantillum a pura et simplici doctrinae nostrae professione in alterius partis gratiam deflexerimus, nihil fore nobis turpius et plus inde turbarum propediem exoriturum esse. Si vero libere constanterque defenderimus quam profitemur doctrinam, paratam nobis esse pessimam mercedem, ut pervicaces et indomiti vocemur. Atque alterutrum ex duobus necessarium esse statuit. Ego vero, ut libenter concedo obscura et ambigua vel flexiloqua conciliatione nihil esse deterius, ita non despero sinceram et ingenuam moderationem posse inveniri, quae probis omnibus futura sit cordi et cervicosos istos homines frangat qui tumultuosis clamoribus orbem conturbant. Quamvis ergo alieni sint Tigurini a colloquio, si oblatum fuerit, pertrahere eos conabor, et certe non tam inhumanos fore suspicor, ut recusent. Tuum interea erit prudenter cavere, ornatissime vir, ne te existiment nimia facilitate lapsum quidquam moliri quod sinistro praeiudicio causam nostram gravet. Quanquam nisi maturent Principes, nescio an tibi licebit diutius exspectare. Nam, si verum scribit *Lismaninus,* [7]) nobilitas Poloniae quae evangelium amplexa est ante tres menses te accersere decrevit. Scio antehac non tibi fuisse in animo illuc accedere, nisi mandato Regis. Memoria etiam teneo quis metus profectioni tuae obstaret. Sed dum video Regem libenter iacere medium inter duas sellas, et eo tamen non invito pios strenue progredi, tibi minime cunctandum esse censeo donec ipse vocet. Sed quid nuncius tuus attulerit mox sciemus.

De gallicanae ecclesiae [8]) dissidiis quid dicam nescio. Si verus est rumor, implacabile *Valerandi* odium in multorum cordibus regnat, cuius occultae mihi sunt causae. *Olbracus,* qui *Richardo* succedet, [9]) bona fide malis omnibus mederi studebit. Quod si tandem nihil proficiet, alia forte ineunda erit ratio de qua aliquid apud *Valerandum* attigi. [10])

6) *N.* 2442.
7) *In ep. Lismanini N.* 2431 *de hoc nihil*
8) *Francofurdensis.*

9) *sed demum m. Iunio exeunte profectus.*
10) *Epistolam m. Maio, et quidem vergente scriptam fuisse, sed antequam Calvinus de actis Stuttgardianis certior fieri potuerit, colliges ex eo quod de nupera Bullingeri epistola dicit et de nuncio ex Polonia allato* (*N.* 2445. 2446). *Finis epistolae desideratur.*

2466.

CALVINUS HOTOMANO.

Animum eius ex disceptatione cum Balduino ultra modum concitatum sedare studet.

(Exemplar authenticum amanuensis manu scriptum exstat in Cod. Genev. 107a, fol. 305. Recentiora invenies in Cod. 108, fol. 179, Bernae in Epp. VII. p. 32, et Turici Simler. V. 87.)

Hotomanno [1])

S. Immodicum iracundiae tuae fervorem te risisse vellem, ne aliis risum aliis gemitum moveres. Sed ex literis tuis nihilo te hodie sedatiorem esse coniicio quam inter primos impetus fuisti. Utinam vero istos qui te sine modo excruciant dolores vel ridere vel spernere discas, ne intemperies quam nesciens prodis tuam existimationem apud multos gravet et probos homines minuat. De pigro illo [2]) non loquor, cuius tamen aequo animo teporem ac torporem ferebas, donec in privato tuo negotio, ubi volebas effervescere, frigidius se gessit. Sed alii, crede mihi, nisi tibi mature temperas, tacitum de tuo ingenio iudicium facient quod tibi merito plus doloris afferet quam multae nugae de quibus nimis anxie laboras. Neque enim, si pro sua humanitate et benevolentia tibi ignoscunt, ideo vitia probant de quibus te libere admoneo. Esto, ruinam sibi malis artibus accersat *Balduinus,* modo ne tam cupide appetas quod potius deplorandum est. [3]) Quid enim sibi vult illa de stipendiis [4]) adeo sollicita inquisitio? Cur animum tuum sic mentio successoris exasperat? Quid enim, si locum abs

2466. 1) *Calvinus m. pr. in margine.*
2) *quonam?*
3) *Pro tempore Noster nondum contra Balduinum ea fervet inimicitia qua iam Hotomanus et ipse postea.*
4) *Vide N.* 2447, *not.* 3. *Inde irae!*

te occupari cupiat antequam missionem petere cogatur, quo minore infamia et odio migrare liceat? Certe donec subsidat bilis tuae fermentum de nihilo subinde tumorem suum efflabit. Haec tibi ab eo praecipi memineris qui, etsi acrioris quam optaret vehementiae sibi conscius est,[5]) pacato tamen animo quotidie multos impetus sustinet, prae quibus lusorium est tuum cum *Balduino* certamen.

Polierus octo vel decem postquam appulerat diebus me invisit admonitus a *Praevotio* vestro. Ego de illis mysteriis quae mandaveras sedulo sciscitatus verbum fere nullum expressi. De nepote *Pomerai* ut certi aliquid rescriberes quum saepius rogaverim, miror te hactenus tacuisse. Nam quod quibusdam literis tuam et D. *Sturmii* sollicitudinem testatam fuisse putas, quid sibi velit nescio.

Ex tertiana febri[6]) convalui, sic tamen ut crura adhuc vacillent. Hodie tamen sedens concionatus sum. Paulatim tamen vires recolligam. Vale, eximie vir et mihi colende frater. 24. Maii, pridie quam discederet nuncius. Saluta plurimum uxorem, filiolum et amicos. Dominus vos omnes tueatur, gubernet ac benedicat.[7])

Io. Calvinus tuus.

2467.

VIRETUS CALVINO.

Gratulatur ei valetudinem restitutam et ut sibi parcat in ecclesiae commodum enixe orat.

(Ex autographo Cod. Genev. 111$_a$, fol. 113. — Habent etiam Cod. 116, fol. 122 v., Epp. Bern. VI. 571 et Simlerus Vol. 87.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino, Genevensis ecclesiae pastori, fratri et symmystae plurimum observando.

Genevae.

S. Gratias ago Deo immortali, quod te nobis et ecclesiae suae restituit,[1]) salvumque reddidit et incolumem, tibique et nobis omnibus vehementer gratulor pro tanto Dei beneficio, quo palam testatus est, se non tui tantum, sed nostrum omnium et totius suae ecclesiae misertum esse. Sciebam equidem, morbum per se non esse lethalem, sed mirandum in modum angebat et perterrebat infirmi istius corpusculi mihi bene nota imbecillitas. Sed hoc me rursum consolabatur, et spem adiiciebat, quod cogitarem, te multos iam annos non humanis viribus fultum vivere, sed insigni Dei beneficio et paterna eius cura, quae suae ecclesiae prospicit. Dedit nobis tuus morbus amplam precandi materiam: iam argumentum gratias agendi suppeditat amplissimum restituta pristina valetudo, cuius ut posthac maiorem habeas curam et rationem te per Christum Dominum et mutuam nostram amicitiam et commune ministerium obsecro et obtestor. Etsi scio plura abs te requiri quam ferre possint corporis vires, illa tamen ingenii tui perspicacia et alacritas facit ut te nimis facilem omnibus praebeas et nimium sis laborum prodigus. Quaeso te, serva te nobis et ecclesiae, si tui non habes rationem. Saepe miratus qui unus tot rebus obeundis par esse posses, quanquam animi alacritas labores tibi reddat minus difficiles et molestos. Non ignoras tamen tritum illud: quod caret alterna requie durabile non est.

De rebus nostris nihil est scriptione dignum. Audivisti opinor quo vultu exceptus sit, et quibus verbis *Chritophorus*[2]) noster a consule N. N,[3]) et quam pronunciarit sententiam de mea et *Farelli* ad vos peregrinatione.[4]) Sciebam sermones daturam, sed pridem ad haec occalui. Bene habet, quod nihil aliud in nobis carpi potest, quam quod laudem potius meretur. Parum certe abfuit quin nuper redierim, adeo me tenebat morbus tuus sollicitum et anxium. Salutant uxor, collega et fratres omnes, qui unanimi consensione omnes Domino pro restituta valetudine gratias agunt. Salutem multam dico amicis omnibus. Vale. Lausannae xxvi Maii.

Tuus Petrus Viretus.

Statueram has ad te per alium mittere tabellarium, sed quum hic me invisisset cognovissemque quam esset tui studiosus et salutandi cupidus, illas ei ad te dedi. Videtur vir bonus. Cohortare hominem, ut sui officii meminerit.

---

5) *Utinam qui tam bene se ipsum noverat etiam indoli minus indulsisset!*

6) *N.* 2454. 2455.

7) *Versio anglica* IV. 40 *refert ad* 27. *Maii* 1559.

2467. 1) *De morbo ipso saepius in praecedentibus. Colladon p.* 69*:* Au mois de May C. eut une fievre tierce de laquelle il n'apperceut pas bien asseurement le premier accez mais seulement s'en doutoit et pourtant combien qu'on voulust pour le soulager pourvoir d'un autre à faire son sermon, il estima qu'il n'estoit pas besoin. Le second accez venoit au Dimanche 10. May et lors en son sermon devoyent estre presentez au peuple deux nouveaux pasteurs (*Baduel et Macar, Reg. du Conseil* 4. *Mai*) *etc.*

2) *Libertetus Bernae fuit cf. N.* 2451.

3) *Naegelino.*

4) *N.* 2434.

2468.

FARELLUS BULLINGERO.

In hac prolixa sua epistola, quam iis legendam proponit qui satis otii habeant, primum luget Pellicani transitum, deinde laudat Bullingeri scriptum contra Westphalum, minus tamen probat quae de Ochino dixit; in negotio colloquii de coena instituendi se non eiusdem esse opinionis profitetur, et nonnulla alia tractat ita ut concionandi finem non inveniat.

(Ex autographo Bibl. civic. Turic. MSS. F. 62, olim Epp. Tom. 27, fol. 243. — Simler. Vol. 87.)

Praestantissimo vereque eximio Christi servo Heinricho Bullingero quam fidelissimo pastori ecclesiae Tigurinae pacis et aedificationis ecclesiarum quam studiosissimo fratri et symmystae observando.

Tiguri.

S. Tuae caritatis plenae et quam gratissimae literae serius licet redditae, et aureum tuum munus, liber ille [1]) te dignus et valde necessarius, et si quid est frontis in adversariis retundens eorum impudentiam et ad meliorem revocans mentem, me ita recrearunt et sancto gaudio perfuderunt, ut altius haerens dolor de opere *Ochini,* [2]) quem ego propter Christum et evangelium diligo, remissus fuerit. Sed alius superveniens multum me anxit, nimirum transitus sancti senis, [3]) qui migrans ad Dominum tam insignem cursum absolvit, ita pacis et aedificationis studiosus, ut ad hoc unum natus et factus esset. Utinam omnes, qui vel magnis praediti sunt donis, ea essent mente et animo qua pius hic fuit et perrexit semper. Amicum semper habui a primo colloquio [4]) et, non dubito, ad extremum spiritum. Mors huius refricuit transitum *Oecolampadii, Buceri, Capitonis,* ut non taceam *Zynglium*: sed quid *Grynaeum* commemorem et alios quos habui amicos, qui ad metam pervenerunt nobis in cursu difficili relictis. Ut mire placet pietas, ita unice delector ingeniis promptis ad pacem et quibus contingit studio ferri ad concordiam. Alia fero ut possum, sed refugit animus veluti aliquid hostile et inimicum respuens, quum videam dissidium, quod paene sopitum erat, in Dania imprudenter excitatum. [5]) Nam videndum cum quibus nobis est negotium, quaque ratione sit agendum ut omnes aedificemus. Irritabiles provocare, ridere eos qui vix sana loquentes et amantes ferunt, et ultro currentes instigare, quid aliud est quam turbas movere? Motus hic nobis peperit oppugnationem piae consensionis, quae amice edita, neminem ut provocarat ad bellum, ita pacata pergebat. Verum furor corripiens * *Westphalum,* quem compescat Dominus et corrigat, et ut ecclesias turbat ita corpore hic turbet ut ad se redeat. Responsum est turbatori, nequo aliquis ex responso prodiit in arenam, praeter eum qui turbare coeperat, siquidem probe erat armata responsio ne temere a quovis impeteretur, nisi prorsus amente, qualem aiunt *Westphalum,* si is satis suis id non testetur scriptis. Sed est quod merito eum pudeat descendisse in arenam, siquidem exceptus fuit ut par erat, et nemo non videt ita confossum esse ut nihil supersit, quamvis sese movere videatur. Hic *Ochinus,* [6]) quem ut diligo ita sane odi rationem qua pergit in suo libro, totus patet hosti: arma quibus sese tueri deberet cadere sinit et tradidit hosti, et viam victo et decumbenti aperit surgendi et triumphandi de tali antagonista, ludit in re seria et causam prodit adversario. Utinam tu de libro eo tacuisses, et nunquam eius editio apparuisset, potissimum istic. Rapuit me liber tuus qui causam pure tuetur: hostem non vincere ut perdat, sed quam amicissime salvum et sanum cupit, et studet habere amicum, et quum importunior hostis mentiatur recte sentientes haereticos, idque temere, neque quidquam probet, quam tu apposite, citra invidiam, summa cum modestia et lenitate indicas in quot haereses pertrahat crassa profana et a vero alienissima adversarii opinio, quam contraria sit fidei, agis solidis scripturis, et indicas ecclesiam ab initio aliter sensisse, et orthodoxos scriptores, et quanto intemperantius fertur adversarius, tanto tu sobrior es in veris notis quas inurere illi potes pro confictis ab eo. Et ut ingenue dicam quod sentio, hanc viam unam puto qua agendum est cum illis qui domestici sunt adversarii, cum quibus longe aliter sunt conserendae manus quam cum his qui foris sunt, quibuscum nollem pium aliquem agere, ut habet *Ochini* liber. Sed nolo meum tam exile iudicium tanti fieri, ut omnibus anteponatur, sed meo more, ut apud *Bucerum* solebam, ita apud te facio, sperans quidquid ad te scribo mihi fraudi non futurum, ut turbae aliquid excitetur. Plus enim

---

2468. 1) *Apologetica expositio contra Westphalum*
2) *N.* 2450.
3) *Pelicani.*
4) *Primum Basileae Pellicanus Farello innotuit quum adhuc Franciscanorum guardianus esset, iam tamen Oecolampadii exemplo et reformationi adhaerens* (*Kirchh. Farel.* I. 24), *ita ut Schmidlin* (*Farel et V. p.* 4) *adstipulari nequeamus qui Pellicanum a Farello evangelio conciliatum dicit.*

5) *Alludit ad fata exsulum Anglorum.*
6) *Farellus inde ab initio autor fuerat ut modus aliquis servaretur in disputando contra Westphalum et Lutheranos, nec desinebat sperare de concordia stabilienda* (*Kirchh.* II. 130.)

satis habemus. Non enim ex iis sum qui datis clancularis literis improbos armant et firmant in insanis suis sententiis contra pios.

Lubens legi quae affers de non expetendo colloquio,[7]) nec est quod nostrum pars refugiat, quum satis pateat, ubi omnes qui evangelizant id expeterent, vix eos qui praesunt id permissuros, siquidem, quantum coniicio, in iis quae sunt Christi et ecclesiae, plus timent aliquid cum aliis conferre quam potestatem quam habent summam in alios transferre, et potius in iis quae sunt potestatis cum aliis conferrent quam in iis quae ad Christi regnum faciunt. Tam tenent, norunt et amant sanctorum communionem, et ita se sub uno capite Christo cum aliis agnoscunt ut membra eiusdem corporis, ut non tantum commune habeant cum illis quantum habent cum infidelibus super iis quae terrae sunt. Verum ubi omnes assentirentur, nescio an altera pars sit descensura quae sola autoritate humana nos vult oppressos, sequique tenebras opinionis humanae et non lucem claram veritatis divinae, quam qui male agit refugit. Tamen quidquid afferas, licet te in Domino magni faciam tuaque sancta consilia non damnem, tamen persto longe satius esse coram verbis agere quam procul scriptis, et ut praedicationem praefero lectioni, plusque auditorem proficere quam lectorem, ita tractationem amicam a piis factam coram pluris facio quam quod scriptis fit. Nam aliter alia vi peragitur quum agis cum eo quem avocare studes coram verbis, quae tantum praesentes cum quibus agis audiunt, quam scriptis, quae non ille tantum sed quivis est lecturus, ubi aliorum non minus rationem habes quam eius ad quem scribis. Quod si literis tantum ageretur privatis, illic videretur plus rationis esse: sed quis non videt potius rem fieri per ipsum autorem et principem quam per vicarium? Literae quid aliud sunt quam vicariae ad absentes vocis quae praesentibus loquitur et ut experientia docet ita res ipsa loquitur: licet sit invenire qui infantes et paene muti sunt lingua, qui scriptis optime et quidquid volunt exprimunt. Sed id raro rarius est. Ubi cum vafris et qui nihil captant quam verbis irretire homines, et res est periculi plena, ibi scriptis agere meditatis * omnibus est tutius, sed in tam clara luce, ubi de iis quae sunt pietatis agitur, quis dubitet Deum nos edocturum, qui os et sapientiam recepit se daturum, cui omnes adversarii non possint contradicere? Sane aderit et vincet si hoc dederit. Utinam tam essemus vicini colloquio, et omnia tam essent expedita, quam sumus procul et impedita sunt omnia ne habeatur. Sed sunt omnia in manu Domini, quem precor ut id det, non ut tibi adverser, sed ut id quod tecum ardentius desidero assequamur, pacem et veram ecclesiarum concordiam.

In qua utinam ita laborassent omnes, ut tu in tuo sancto libro de quo tibi ingentes ago gratias, habiturus semper maximam quum referre non possim: et ecclesiae nomine tibi gratulor, teque quaeso ita pergas, cupioque ne ita indulgeas amori et commendationi eorum qui tecum sunt, ut inde quae per te Dominus agit eleventur. Nam nisi totus fallor, sicut ex animo cuperem, tua ista libri commendatio *Ochini* detrahet gratiae libri tui et fructui incommodabit quem magnum speramus. Faxit Christus ut sit quam maximus. Ignosce si te liberius convenio: nam quum te colam in Domino, quam maxime opto ut sine ulla offensione plurimum servias ecclesiarum aedificationi.

Quereris merito de Germania. Principes sibi a Caesare metuunt et plus fumo evanido tribuunt quam omnipotenti et aeterno numini. Sed quid de pastoribus tam elumbibus et quibus nihil est pectoris, animi et virtutis, qui ventos tantum observant, ut sunt non pauci? Quid populus non tantum ebrius vino, ut quam maxima pars perpetuo est, sed aliis et multis vitiis? Videmus et quod stat adhuc et quod superest in verbo, gratia tantum et solo favore Domini stare et superesse: quod si conservetur eodem fiet favore, nec dubito quin servet multos Dominus. Antichristus et sui ingentes concipiunt spes laetiores de ruina anglica, sibique pollicentur etiam maiora de aliis. Sed frustra. Non enim feret Dominus tantam ipsorum arrogantiam contumelias et id genus eo pervenire et crescere quo ter miseri contendunt. Percutiat Deus, zelotes suae gloriae, saevam illam Athaliam: quae tam improba evertit et demolita est instauret Christus. Gallia supra spem ardet et crescit in verbo. Nisi Dominus cor regis immutet, aliaque ratione pergant qui praesunt quam hactenus, erit talis persequutio qualis nunquam audita fuit. Ordine pergunt pii et purius in verbo quam nunquam, plusque cavent et fugiunt omnes abominationes, ita demum ut quidquid Satanam commovere potest et eos qui Antichristo adhaerent fiat. Tantum id deest quod non tam aperte quam optamus et fieri debet. Precemur ardentissimis precibus Dominum ut clementer et potenter suos tueatur, sed eos potissimum qui apertissime Christum profitentur, tum praedicando, tum audiendo, ut nonnulli sunt de quibus arbitror te audivisse: inter quos sunt duo ex illis quos miser profligavit indignus qui vel eos intueatur. Aperiat illi Dominus oculos. Illi inquam duo servi Christi, qui ecclesias habent tam frequentes ut praeter *Calvinum* superet nemo, imo accedat. Quam debemus eos Domino commendare, et alios qui cum illis laborant et plebem. Siquidem totum

7) *Nescit adhuc tale colloquium iam institutum fuisse et exitum habuisse qualem Bullingerus praeviderat.*

quod illic geritur plenum est admirandi miraculi. Agamus gratias Domino super tam insigni et inaudita gratia, quam confirmet, adaugeat et perficiat Christus.

Sed quo progredior, mi *Bullingere* optime? mei immemor nimis abutor tua humanitate. Boni quaeso consule. Tardissimus fui, quia nemo occurrit ad respondendum tuis literis, et nunc te obtundo supra modum. Sed haec trade alicui ex tuis, qui otii tantum habeat ut legere possit. Et quum te amicum habuerim et *Pellicanum*, tu quantum me diligebas ama et adde defuncti in me affectum, et ego respondere tuae in me caritati adnitar. Vale quam optime. Te servet Dominus, ministeriumque tuum benedictione coelesti ditet, et tecum adsit tuis synergis, quos opto non minus tibi sancte coniunctos quam fuit pius ille senex. Collega te salutat. Praefectus noster ex animo excepit salutationem tuo nomine, omniaque fausta tibi optat. Accepi de vere pio consule *Habio* quam laboret, non tantum ut istic vere regnet Christus, verum etiam ubique. Dominus multos eiusmodi det, quem opto salvum. Neocomi 27. Maii 1556.

Tuus ex animo Farellus.

2469.

FARELLUS CALVINO.

Raptim dicit de negotio quodam Matisconensium, et de Holbrachio.

(Authenticum non exstat. Supersunt exemplaria apographa Cod. Genev. 116, fol. 49, Bern. Epp. VI. 576 et Simleri Vol. 87.)

Eximio Christi servo, Ioanni Calvino, pastori ecclesiae Genevensis quam fidelissimo, fratri et symmystae quam carissimo.

S. De Matisconensibus [1]) sum loquutus *Thomassino*, [2]) qui gaudio multo gratias egit Domino et una coepit agere de nonnullis, quae sunt pro suis liberis, si qua via per te vel *Textorem* isti possent adduci, at agerent pro pio et paupere fratre, ut haberet aliquid de facultatibus paternis. Scripsit ille [3]) fusius ad te quod sane displicebat. Nam est quod agas, quam eiusmodi legendis vel audiendis tam carum impendas tempus. Sed ea ratione fecisse dixit, ut tu uno verbo commendans illis negotium ex literis ad te datis, illisque traditis, quid petat intelligant et in tui gratiam, vel potius Christi, curent. Adegit me pius frater, ut sua causa te rogarem, quum liberis sit onustus et nolit patris officium in eos negligere. Sunt et alii quorum conditio nihilo melior est, sed potissimum angimur pro *Hubrachio*, cum quo agitur iniquissime, ut aliquorum improbitati fiat satis, quum in ferendis sceleratis nihil vereantur parum numini deferentes Deum ut verbum contemptum habere. Vale bene tuamque cura valetudinem. Neocomi 30. Maii 1556. Cupio omnes salvos. Collega te salutat.

Tuus Farellus ex animo.

2469. 1) *Negotium hoc, quum hic obscure expositum sit ut magis non possit, aliunde lucis aliquid non accipit nisi ex responso Calvini quod mox sequetur.*

2) *Huius nominis virum, ministrum in Corneaux Neocomensium habuisti N.* 358. 616.

3) *Antonius. Vide ep. Calvini N.* 2471.

2470.

CALVINUS LISMANINO.

Fragmentum tantum videtur epistolae post eius reditum in Poloniam scriptae.

(Ex authentico Ionvillaei exemplari ab ipso Calvino locupletato Cod. Genev. 107a, fol. 303. Turretinus habet Cod. 108, fol. 164, Bernenses Epp. VII. p. 34, Simlerus Vol. 87.)

Lismanino. [1])

S. Prosperum tibi fuisse iter ac iam te in Polonia incolumem esse, venerande frater, ex literis tuis [2]) intelligere iucundum fuit. Utinam brevi sequantur aliae [3]) quae de uberiore adventus tui fructu gratulandi materiam praebeant. Veteres tuos sodales [4]) non libenter e suis nidis exire novum non est, tibique in ea re multum esse negotii mirum

2470. 1) *Calvini manus.*

2) *N.* 2431.

3) *Lismanini ad Calvinum una tantum post illam modo laudatam superest d. d.* 14. *Dec.* 1561.

4) *Fuerat scilicet ephorus monasteriorum de Francisci et Clarae familia in Polonia et reginae Bonae confessor. Lubien. p.* 23: Lismanini indulgentia et opera nonnulli ex familia Francisci ad veritatis cognitionem caeteris aptiores (qualis ille Alexius qui postea Racoviae egit et Hieronymus qui Italis Cracoviae concionabatur et puriorem doctrinam ac pietatem instillabat) ex claustris monasticis evaserunt et magistro viam paraverunt. — *Videtur nunc quoque ex suo recessu sibi aditum ad eos lucrifaciendos parare voluisse.*

non est. Quid vero ad eos extrahendos profecturae sint meae exhortationes non video, nisi forte eorum ventribus aures dederis. Quid enim eos retinet praeter inediae metum et saginam cui sunt assuefacti. Rebus ergo dubiis suaviter in suo otio se pascentes se quoque dubios esse fingent. Ubi semen quod nunc iacitur maturuerit forte ad messem exibunt. Quod tamen eorum segnitiem castigas, studium tuum probo, et libenter tibi socius in hoc officio adiutorque forem, si mihi suppeteret certa agendi ratio. Ergo supersedere melius est.

Nam [5]) et hoc non frustra metuo ne hominis incogniti et procul dissiti admonitiones despiciant. *Petrus* [6]) tandem adductus est ut ad te concederet, cuius operam [7]) tibi magno adiumento et levationi fore spero. Certe apud nos honeste atque ut homine pio dignum erat se gessit, ut testimonio, quod gratiam ei apud bonos omnes conciliet, ornare non dubitem. Adde quod nunc ad iter suscipiendum valde fuit voluntarius, quod ego in parte laudis pono. Mihi enim persuadeo ipsum eo animo proficisci ut polonicae ecclesiae et tibi privatim suam operam fideliter impendat. Vestri progressus ut nos exhilarent tibi curae erit quoties scribendi dabitur occasio. [8])

2471.

CALVINUS FARELLO.

Respondet ad illam quae de Matisconensibus et Holbracho egerat. Hunc Francofordiam mittendum censet.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 136, coll. c. Cod. 108, fol. 67. Epp. Bern. VI. p. 575, Simler. Vol. 87.)

Eximio Christi servo, Guillelmo Farello, ecclesiae Neocomensis fido pastori, fratri et symmystae carissimo.

S. Quia non fuit heri scribendi otium, nuncio qui ad petendas literas venerat mandavi, ut tibi diceret, quam nuper fratri Pedemontano [1]) dederas in itinere periisse. Dolui, ut par erat, non solum quia mihi gratum est aliquid abs te accipere, sed quia verebar, si in manus improbi cuiusdam inciderint, ne quid inde turbarum oriatur. Itaque statim exclamavi: Utinam sint perditae! Respondit ille, fieri aliter non posse in tanto venti impetu. Est enim quaedam in gente illa securitas, quae ad barbariem accedit. Caeterum nisi tibi nimis laboriosum erit, in eandem formam repeti eadem mihi cupio, quoad memoria consequi poteris. Sin minus, ut summam breviter perstringas rogo.

Matisconenses qui polliciti fuerant propediem se hic fore, ab eo tempore domi quiescunt. Pudenda sane ignavia, quod senatum nostrum tamdiu suspensum tenent. [2]) Si redierint, mihi fratris nostri *Anthonii* negotium curae erit. *Textor* cum illis profectus est, quem illic longiorem moram tracturum suspicor, nisi ab illis comitibus fuerit retractus. Simul ac fuerit aliquid allatum, tentabo quod operae pretium videbitur. Dabit veniam *Anthonius* ipse, quod suis literis non respondeam, eumque meo nomine et reliquos fratres saluta diligenter. Plane iam a morbo convalui, nisi quod valetudo mea pro more perpetui morbi instar est.

De *Holbracho* vestrum consilium miror. Quum implacabilis sit adversae partis insania, in patronis ignavia mera et timiditas, quorsum iuvat ultra tendere? An non praestaret pium fratrem alibi cum fructu suam operam impendere ecclesiae Christi quam perpetuo dubium pendere? Et absentia forte odium mitigabit. Certe post longam causae protractionem honesto praetextu discedet absque fugae nota. Iam quod tamdiu Francofordiensem ecclesiam deserimus, non procul ab inhumana frustratione abest. Nihil ergo melius quam ut se illuc prima occasione conferat. Instant nundinae Argentinenses. [3]) Nuncius ille, qui absque literis ad te iam venit, aut brevi venturus est, fac ut mihi referat quid statueritis. Vicissim dabo operam, ut mea commendatio in tempore veniat.

Vale, optime et integerrime frater. Saluta amicos et symmystas. Dominus vos omnes tueri et regere pergat omnique benedictione prosequi. Salutant te plurimum symmystae mei, deinde *Budaei, Normandius, Triecius:* D. *Marchionem,* qui primus erat nominandus omiseram, nam fratri meo suus adhuc locus restabat. Vale iterum. Genevae 4. Iunii 1556.

Ioannes Calvinus tuus.

5) *Abhinc Calvinus manu propria.*
6) *Statorius Tonvillanus.*
7) *Dictaverat primum:* cuius operam non minori voluptati quam usui fore spero. Adde quod satis voluntarium se praebuit. De altero quem Tiguri reliquisti utinam eadem spes esset. Sed (*hic substitit*).
8) *Patet hanc epistolam responsum esse Calvini ad N.* 2431. *Qua de causa eam hoc loco inserendam esse putavimus.*

2471. 1) *Waldensium puta legato* (*N.* 2427).
2) *In commentariis senatus ad hanc rem nihil.*
3) *post festum S. Ioannis Baptistae celebrandae.*

2472.

VERGERIUS BULLINGERO.

Nunciat colloquium habitum inter Lascum et Brentium.

(Excerptum ex autographo Bibl. Turic. civic. F. 62, olim 27, fol. 510. — Simler. Vol. 87.)

Bullingero.

— — — — — — — — — — — — — — —

— — De altero tuo libello, nempe Eucharistico, aiunt [1]) moderatum esse valde, *Calvini* acrem nimis, *Occhini* urbanum. Sed audi in hoc genere reliqua. Venit *a Lasco* in aulam, [2]) recta ad principem, petivit se admitti ad conferendum cum *Brentio* et reliquis theologis. Admissus est, ferme quatuor horas disputatum summa modestia utrinque. Princeps excepit hominem omni clementia, mox donavit etiam non leviter. Sed ex disputatione fructus nullus, qui quidem hactenus apparuerit. Ego disputationi non interfui, quia sero veneram e Tubinga, sed postea quibus potui officiis persequutus illum venerandissimum virum. Videbo nunc rursum quum per Francofurdiam iter facio. [3]) — — — — — — — — — — — — — Valete. Tubingae v. Iunii 1556.

Vergerius.

2473.

CALVINUS FARELLO.

Fortiter instat ut tandem aliquando Holbrachum Neocomenses Francofurdensibus concedant, apud quos novis exortis dissidiis periculum in mora sit.

(Ex autographo Cod. Genev. 107ª, fol. 137. — Cod. 108, fol. 67 v., Epp. Bern. VI. p. 576, Simler. Vol. 87.)

Praestantissimo Christi servo, Guillelmo Farello, ecclesiae Neocomensis fido pastori, fratri et symmystae optimo.

S. Scripseram tibi nuper [1]) de ecclesia Francofurdiensi actum esse, nisi celerrime obviam eatur. Si venisset ad nos *Morellanus,* [2]) in manu erat optimum remedium, sed quum *Holbrachum* omnes expetant, nescio quorsum spectet ista pertinacia, vel exigua vel nulla spe apud vos hominem retinere. Nisi urgeret ista necessitas, valeret forte vestra excusatio. Nunc si vos movent sola vestra incommoda, videte ne sitis ultra modum vobis addicti. Biduo postquam scripseram, allatae mihi sunt a *Valerando* et senioribus literae, [3]) quae omnia pacata iactabant. Sed quum simul narrarent importune moveri lites, ex quibus brevi emergeret novum incendium, exclamavi coram fratribus, istam laetitiam et gratulationem non modo esse mihi suspectam, sed funesti nuncii loco esse. Nondum plenus dies elapsus erat, quum alter data opera missus ab adversa parte, quod suspicatus eram confirmat. Et adhuc *Holbrachum* retinebitis, ut eum paulo post cum nota dedecoris Christi hostes violenter eiiciant? Hac autem de causa profectionem ad vos D. *Crispinus* noster suscepit, [4]) ut nunc saltem impetret quod ultro pridem a vobis occupandum fuerat. *Valerandus Garnerium* [5]) accersi cuperet. Nescio an expediat. Certe ad sanandos ecclesiae illius morbos aptior erit *Holbrachus.* Quod si meum consilium valebit, mox alter quoque mittendus erit *Valerando* successor. [6]) Sed crede mihi, in domandis utrinque praefractis capitibus, plurimum est negotii. Interea quod flagitant propere concedere necesse est, nisi volumus miseram ecclesiam pessumdare. Vale, optime et integerrime frater, cum symmystis omnibus et amicis, quos meo nomine saluta. Dominus vobis semper adsit, vos spiritu suo regere et virtute tueri pergat. Genevae 9. Iunii 1556.

Ioannes Calvinus tuus.

Quum proxima hebdomade missus ad fratres inalpinos [7]) esset, ecce novae literae, quibus alterum flagitant.

2472. 1) *Nondum ergo vidit. Cf. N.* 2440.

2) *Haec ad constituendam seriem rerum gestarum facere possunt, simul ostendunt quam caute ipse Vergerius se subduxerit ne quas partes hac occasione publice ageret.*

3) *Scil. in Poloniam. Nam usque suos Romae habebat amicos, per quos certa quaedam et non parvi momenti documenta in manus eius pervenerant, Lipomani legati atque adeo Pauli IV. consilia detegentia, quae quum publici iuris fecisset, magnatibus et aliis protestantibus Polonis, maxime Radzivilio, arctiore vinculo iunctus ad eos iter facere constituerat.* (*Sixtus p.* 394 *sq. de his minus accurate.*)

2473. 1) *N.* 2471.

2) *Morbo in Alsatia retentus* (*N.* 2457).

3) *deperditae. Non absque causa Pollanus statum rerum pacatum dicebat. Cf. epp. alias hoc ipso mense de rebus Francofurdensibus scriptas.*

4) *quum ad nundinas proficisceretur, negotiorum suorum causa.*

5) *Cassellis commorantem ubi praeceptoris munere in aula fungebatur.*

6) *Videbat et hunc non diutius defendi posse, siquidem pax ibi restitui deberet.*

7) *Waldenses.*

2474.

POLLANUS CALVINO.

Agit praecipue de rebus ab Ioanne a Lasco apud principes gestis deque eius colloquio cum Brentio. Postscripti loco veniunt res Poloniae et Francofurdienses, ubi denuo opus habet sibimet ipsi apologiam conscribere.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 765.)

Praestantissimo theologo D. Io. Calvino magistro ac patri in Christo colendissimo.

Genevae.

S. P. Tandem rediit noster *Petrus Antonius* [1]) e Polonia, nono die postquam D. *a Lasco* redierat a principibus, electore *Palatino* et duce *Wirtebergensi*. Quid ille ex Polonia attulerit intelliges ex ipso D. *a Lasco* in brevi, quum Dominus illi suam valetudinem restituerit. Ex quo enim huc appulit penultima Maii luctatus est cum tertiana acutissima, quae tamen nunc est in declinatione, gratia Deo. Hoc tantum de *Petri* legatione felici et secunda hodie intellexi: Regem admodum esse propensum et benevolum erga ipsum D. *a Lasco*. Vidi et legi literas regias plenas certi amoris erga ipsum. Ipse cancellarius quoque peramanter et multi nobiles ad ipsum scripsere. Hortantur plerique, fere omnes, ut in patriam redeat. Nam sunt ibi iam institutae ecclesiae supra viginti. Solus Rex non vocat. Sed cancellarius hoc suis literis excusat, significans attamen adventum fore gratum, deinde utilem ac necessarium, si accederet ante comitia regni, quae sub finem Augusti habenda sunt pro religione, in quibus aderit legatus pontificis. [2]) Ait cancellarius ob hanc causam utilius fore si D. *a Lasco* ante comitia illuc proficisceretur. Ita videmus regnum illud quasi paratam messem habere. Haec sunt praecipua quae potui ex omnibus te digna meminisse, quanquam nondum omnia intellexi. Heri primum sub nocte rediit *Antonius*, qui hodie suas literas domino reddidit.

Intellexi ex *Petro* vidisse ipsum literas scriptas ab ecclesia, quibus te vocat ut tuo consilio adiuves. [3]) D. *a Lasco* tibi significabit tempus idoneum. Ipse enim iam constituit eo proficisci si Dominus volet. D. *Lismaninus* tibi notus rem admodum urget cum tota nobilitate.

De peregrinatione porro ipsius D. *a Lasco* ad principes haec sunt quae ex ipsius ore audisse praecipua commemini. Principio Spirae fuit [4]) quam honestissime et amantissime ab utroque exceptus, atque in utriusque mensa de controversia sacramentaria sic actum ut elector *Palatinus* [5]) totus sit nostras. Et is habet comitem ab *Erbach* qui fortissime veritatem tuetur. Ipse vero dux *Wirtembergensis* quisnam esset facile tute intelligis. Attamen benevolentiam summam declarabat et libenter audiebat D. *a Lasco*. Imo quum iam moturi essent Spira et D. *a Lasco* iam accinctus itineri esset domum versus, ipse dux illum ad se vocat secumque ducit Stockardiam. Ibi D. *a Lasco* cum ipso *Brentio*, privatim primum, deinde iubente duce post unum atque alterum diem cum eodem *Brentio* et aliis concionatoribus in cancellaria coram consiliariis ducis, [6]) qui diligenter annotabat scriptis eius dicta, non autem *Brentii*. (Illud [7]) de *Brentio* non fuit praetereundum. Quanquam illi displicet nostra doctrina, non placet tamen, imo damnat etiam Regis *Dani* factum et scriptam farraginem atque adeo *Westphali* et concionem rusticam sed duram in hos habitam per Petrum *Ghelteneum*.) Sed summam illius colloquii et actorum D. *a Lasco* apud *Wirtembergensem* Stockardiae poteris ex his scriptis intelligere, quae iussi describi in tuam gratiam ex schedis ipsis quas habet D. *a Lasco*, cuius etiam iussu haec tibi mitto. Qui plurimum te salutat, scripturus ni morbus hic obstitisset.

Quod colloquium attinet, cuius nomine profectionem hanc D. *a Lasco* susceperat, sic habe: Dux *Wirtembergensis* non audet se autorem polliceri, sed tamen assensum in omnibus et auxilium promittit, si qui * aggrediatur. Ipse *Palatinus* elector in se recepit proponendum in comitiis Ratisponensibus quae iam sunt coepta. Et quo res meliore colore possit institui, comites aliquot sunt id ab ipso postulaturi, atque idem ipse in comitiis eorum et publico nomine. Cancellarius ipse impensissime favet huic causae, et privatim operam suam promisit D. *a Lasco*. Ex his magnam spem concipimus. Narravit et *Petrus Antonius* audivisse D. *Philippum* Wittembergae, quae * ibi rediens salutavit, defendentem nostram doctrinam de eucharistia. Imo illuc venisse *Westphalum* ut insignia doctoratus acciperet, verum reiectum ab academia, quod nollet hoc tempore doctores homines turbulentos. (Hic [7]) *Westphalus* nunc ubique suos libros recolligit et suam defensionem quoque. Ita mihi narravit *Petrus Antonius* audisse ex Lipsiensibus bibliopolis.) Ipsum

---

2474. 1) *civis Francofurdensis qui Lasco ultra quadraginta literas procerum et ministrorum adtulit quibus eum ut rediret in patriam enixe rogabant.* (*Bertram p.* 400. *Lubien.* 64.)
2) *Al. Lipomani.*
3) *cf. N.* 2445 *seq. Totum hoc comma in margine.*
4) *N.* 2465.
5) *Otto Henricus.*
6) *supple:* disputavit.
7) *haec in margine.*

quoque *Philippum* vocatum a principe *Augusto* electore qui et nunc est Landgravius in Misnia. Putare ipsum ideo se vocari ut de colloquio ineatur aliqua ratio.

Nostor porro senatus impense favere nobis pergit per Dei misericordiam. Utinam nostri invidi et malevoli quiescerent, aut inveniatur ratio qua possem inoffenso Deo et illaesa ecclesia locum hunc alteri cedere. Rogo te et omnes bonos patres et praeceptores in Christo, ut me consilio iuvetis hac in parte. Dominus Iesus te suo spiritu regat et quam diutissime suae servet incolumem ecclesiae. Raptim 9. Iunii 1556.

Tuus observantissimus discipulus et filius in Christo
V. Pollanus.

Mirari satis non possum quod hactenus nihil ad me scripseris. Vereor ne meae sint interceptae literae. Bis in nundinis scripsi [8]) atque inde postea semel atque iterum. Imo seniores ipsi quoque scripserunt. Nam hactenus dilata est electio alterius ministri in locum D. *Richardi*, quod abs te literas exspectamus de D. *Olbrachto*. [9]) Nostri hic, ut multa gloriari solent et iactare de praeiudiciis vestris, ita affirmare ausi fuerunt nullum huc velle accedere ut mecum ineat ministerii huius vices. Sed id puto eadem impudentia ipsos confingere, qua audent dicere ipsum *Garnerium* tantum mea causa recusasse ministerium. Attamen si quid huius est, rogo mihi indices et consilium des. Nunquam ego fui ambitiosus ministerii huius. [10]) Et velim (si id possim inoffenso Deo) hanc lampada alteri tradere. Rogo te atque obtestor per Christum ut clare mihi sententiam perscribas, qua ratione possim locum hunc alteri cedere. Ecclesiae tantum habeo rationem, testis est mihi Deus cui ego servio. Sed video nullam huic ecclesiae sperari pacem ab istis hominibus posse, nisi aut ego cedam aut a vobis compescantur.

Quum haec hodie exponerem D. *a Lasco* tibi scripta, iussit etiam addi nepotem suum, qui mensae regiae est instructor et qui est Regi familiarissimus, scripsisse ad se privatim, hoc Regis esse consilium ut priusquam eo proficiscatur, publico scripto se purget, [11]) doctrinam de eucharistia non esse alienam a confessione Augustana. De hoc eodem consilio scripsisse tibi memini. D. *a Lasco*, mox ubi prorsus convaluerit, breve scriptum [12]) instituit quod velit tibi, D. *Martyri* et D. *Bullingero* mittere, ut vestro unanimi consensu edatur hic autoritate nostri magistratus. Rogat ipse ut interim etiam de eo cogitetis omnes, et D. *Bullingero* etiam significetis, cuius literas ultimas nondum accepit. Qui quum esset apud principes hinc, illi sunt missae, sed serius. D. *a Lasco* tibi plurimam salutem optat. Ipse cogitat hinc post nundinas [13]) cum mercatoribus in Poloniam. Comitia enim facile extrahi curabit, ne habeantur priusquam quam * ipse venerit, atque etiam tu cum *Petro Martyre* adsitis. Utinam te possimus hic ad nundinas videre. Dominus Iesus faxit qui te sospitet. 11. Iunii 1556.

Tuus observantissimus discipulus et filius in Christo
V. Pollanus.

8) *Non exstant literae quas Calvinus serius accepisse videtur.*

9) *De Holbracho et Garnerio vide proxime praecedentes Calvini ad Farellum.*

10) *Iam ipse intelligit sibi ex ea ecclesia cedendum esse, cuius pacem ipse incaute turbaverat, non tam vitio quodam quam imprudentia.*

11) *Eadem de causa colloquium cum Brentio urgebat.*

12) *de eucharistia puta, quod tamen non concinnatum fuisse videtur.*

13) *autumnales.*

2475.

VERGERIUS DUCI CHRISTOPHORO.

Nunciat se ad iter in Poloniam paratum, unde quid novi acceperit de statu rerum et reformationis hac occasione profert.

(Edita est in Lebret, Mag. zum Gebrauch der Staaten und Kirchengeschichte. 1773. III. 550 et in Vergerii Epp. edd. Kausler et Schott. p. 129, ex Archiv. Stuttg.)

Quum venissem Francofordiam, inveni peculiarem D. *a Lasco* nuncium, qui e Polonia redierat. Quare quum aliquid inde afferat, quod mihi videatur V. Cels. dignum id putavi a me scribi oportere. Rex ille misit suos legatos Romam nunciatum, sitne ulla spes de universali concilio. Nam si spes sit, se velle illius decisionem exspectare, si vero non sit, se cogi provinciale celebrare, ad quod papam hortatur, ut suos theologos ad Bartholomaei festum mittat, tunc enim celebranda sunt regni comitia. Barones et nobiles, quia de universali desperant et nationale sperant concilium, accersunt in Poloniam D. *a Lasco* et D. *Calvinum*. Interea rex videtur resistere, potiusque favere reformationibus, quae

tentantur in civitatibus ad se pertinentibus, imo regina etiam frigidior est quam aliqui nunciabant. Verum Barones ac nobiles in eorum arcibus, oppidis et pagis strenue agunt, suntque iam reformatae xxxvi ecclesiae. Spero me in tempore affuturum, recta enim ibo nunc in Prussiam. Faciam illic, quae Dominus voluerit, at circiter Bartholomaei in Poloniam me conferam. Pauca haec habui, quae Cels. V. indicarem, cui me reverenter commendo. Francofordiae xii. Iun. 1556.

2476.

VIRETUS CALVINO.

De ministro Waldensibus mittendo.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 58.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae observando.

Genevae.

S. Scripsi ad *Farellum* in eandem tecum sententiam. Spes est melior de impetrando *Hubraquio*,[1]) si vera sunt quae audivi de eius causae exitu. Contuli cum *Beza* nostro et collega de mittendo ad Inalpinos ex nostris quopiam. Non occurrit alius aptior et expeditior, hoc praesertim tempore, Petro *Guerino*, qui nuper a nobis in Delphinatum missus est. Tu hominem nosti. Illum conveni animum exploraturus an libenter eam susceptorus esset curam, si modo ita fratribus videretur. Respondit se in rebus omnibus fratrum iussa et consilia sequuturum. Tu igitur, si putas idoneum, admone nos, et a nobis mittetur ad te. Sin minus, et alia ratione illis ecclesiis melius consultum est, facies nos quoque certiores, ne suspensum teneamus. Nam non alia ratione hominem et conditione conveni quam ut paratus esset si forte ita res postularet. Audimus virum esse bonum et qui iam ante cognitam veritatis lucem signa semper dederit divini timoris. Iam accingor itineri Orbam versus, novi illius hospitis causa quem scis eo divertisse. Salutant te uxor, collega, *Beza* et caeteri fratres. Vale optime ac diutissime. Lausannae 13. Iunii.

Tuus Petrus Viretus.

2476. 1) *ut Francofurdensibus ministraret. De eius causa, quam dicit v. Farellum N.* 2469.

2477.

HALLERUS BULLINGERO.

Rumor spargitur de Rege aliquid contra Genevenses molienti, qui se muniunt et bellum armis repellere malunt quam cum Bernensibus foedus renovare sub iis quas hi proposuerunt conditionibus.

(Ex autographo Cod. Turic. F. 62, olim 27, fol. 317. — Simler. Vol. 87.)

Clarissimo D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino et compatri suo colendissimo et carissimo.

— — — — — — — — — — — — — — — — — —

— — Silent apud nos omnia. Tantum ex Geneva timemus aliquid mali suborituruin. De foedere nulla amplius fit mentio. Tacent ipsi. Dissimulant nostri. Interea incertis fertur rumoribus, Regem urbem hanc invasurum et multa eum moliri nunc insidiis et proditionibus. Urgent eum cardinales et episcopi singulariter huic civitati infensi. Hoc ipsi Genevates metuunt. Ad obsidionem se parant, arma, frumenta et alia eiusmodi coemunt. Muros cratibus et bombardis muniunt, portas fere perpetuo clausas et armatis civibus munitas tenent. Quo res evasura sit nescio. Nemo est qui foederis reparationem urgeat, neque apud ipsos, neque apud nostrates, atque etiamsi sint, tamen non nisi surdis praedicant. Periculi magnitudo non potuit eos adigere hactenus, ut quidquam de suis propositionibus mutarent. Publice se Deo commendant, ut qui ab omnibus hominibus desolati sint. Divinum sperant incepturum, quum humanum desinat auxilium. Utinam vero non aliqua hoc illorum fiat culpa. Ego Dominum pro illis oro, ut ipsos propter nominis sui gloriam et ecclesiam quam illic habet potenter defendat. Vellem tamen potuisse eos se magis accommodare nostris. — — — — — — — — — — — Bernae 13. Iunii 1556.

Ioannes Hallerus tuus.

2478.

FARELLUS CALVINO.

Brevius hac vice de variis rebus obiter delibatis, inter alia de Hobraquio Francofordiensibus concesso, et de Molinaei recentissimis fatis.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 115, coll. c. Cod. 116, fol. 50, Epp. Bern. VI. p. 579 et Simleri Vol. 87.)

Praestantissimo Christi servo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis quam studiosissimo gloriae Christi fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Abstineo a scribendis ad te literis ne tibi molestior sim, teque non avocem a melioribus meis deterioribus: et interea video quam parum vitem, imo efficiam potius quod valde displicet. Provincialium istud vitium [1]) quis probet, quo sibi tantopere placent? Semper iusti sunt: si quid peccant leve est. Parum mihi placebat vir ille, sed mihi vim feci propter *Humberti* [2]) talem et tantam commendationem. Verum non omisi quin ex animo rogarim quod optabam eum praestare. Utinam id fecerit. Eorum unus aperuit centurionem esse, parum tamen religiosum, qui recipit se effecturum ut libellus supplex obsignetur manu illius qui primas tenet, in quo petant quidquid volunt pro religione. Sed gratis hoc non curabit verum mille ▽ petit. Id non placet pastori. Plebs instigata per eos qui magis pendent a rerum eventu quam a verbo, in hoc est ut pacem quam putat hac via redimat ad tempus. Volebam ut castigares talem agendi rationem, quae satis mihi non videtur probanda.

Hobraquus hactenus vices *Einardi* [3]) strenue egit, non sine fructu. Nunc in *Heliae* [4]) locum abiit ut *Helias* in locum venit eius. Ita visum est iis qui nolentes voluerunt furori satisfacere eorum quos visitet Dominus facta ut agnoscant sua. Frustra ego pro Francofurdiensi laboro ecclesia: solus enim sum. Alii mecum parum sunt solliciti de praesentibus ecclesiis. Absentes parum curant, mihi vero magis sunt commendatae. *Colongius* graviori fuit impeditus morbo [5]) quo prohibitus fuit venire. Valetudini studet instaurandae, quam consequutus iter arripiet. Alia non puto haberi in meis literis. Si perierint, et una literae ad fratres missae, iacturam feci laboris et temporis in illis insumpti. Nam meo more longior eram, sed perdens breviorem fecit. *Molineus* [6]) solutus e vinculis, sed non adeo arctis, quum egerit dies aliquot in Montebelgardo, tandem praeter opinionem et voluntatem principis, cui (ut dicunt) receperat se biennium operam locaturum, rediit in Galliam, non multum elevaturus quod obiicitur passim de levitate gallica. Mallem eum *Budeum* sequutum quam se ipsum: sed est quod constans dici possit quum tam constanter pergat esse levis. Vicem viri doleo, cui benigne adsit Christus, faxitque ne posthac christiano homine aliquid indignum agat. Ego indignitate causae *Hobraqui* [7]) proximus fui discrimini, sed Dominus ea quae tam erant exacerbata benigne emollivit, licet supersit aliquid ex aculeis paulo durius infixis. Precandus est Dominus ut ecclesias clementer intueatur cordaque immutet, et affectus eorum qui tam mordicus retinent improbos quosvis, per quos evangelium quam pessime audit, et quam facillime vel levissima ex causa pios non verentur profligare, imo ansam videntur captare et rationes venari, quibus efficiant quod ecclesiis valde nocet. Christus causam suae sponsae suscipiat et tam improba procul pellat, detque ut omnia pure iuste sancteque fiant. Vale bene. Tuam studiosius curato valetudinem ut diutius et commodius Christo et ecclesiis servias. Faxit id Christus: tuos labores et tam sacrum et sanctum ministerium semper magis et magis fructificare faciat. Unde ordiar in resalutandis *Marchione, Budeis, Normandio,* fratre vel collegis? Quid *Iuncwillerus* et *Treiecius* et alii nullas sunt habituri partes? Alios insignes quid possim omittere? Praetereundine sunt syndici? Sed quando finirem? Tu cum fratre iube omnes salvere. Collega *Maturinus* et reliqui te salutant, et fratres qui nudius tertius convenerunt, sed potissimum *Tomassinus,* qui ingentes tibi agit gratias. Neocomi 13. Iunii 1556.

Hodie omnium assensu commendatus fuit *Hobraquius* Domino. Nemo non subscripsit vocationi Francofurdiensi, quamvis aegre dimitterent virum. Vocati enim huius gratia fratres fuerunt, ut viderent an fieri commode posset. Amovit Dominus omnium obstacula, salutatique tuo nomine te reverenter resalutant. Gaudeo plurimum super literis Iusti *Ionae.* [8]) Christus eiusmodi multos nobis largiatur et aliorum furores compescat. Spero *Holbra-*

2478. 1) *securitatem, de qua Calvinus N.* 2471.
2) *N.* 2432. 2455.
3) *tunc temporis Lutetiae commorantis.*
4) *Neocomensis aliquis minister, fortassis ille Lemovicus de quo N.* 807.
5) *N.* 2473, *not.* 2.
6) *Mense Novembri* 1555 *Dolam se contulerat ubi lectiones instituit et consilia scribebat. Inde Georgius comes eum evocatum Mombelgardiae postea Blamontii in carcere detinuit. Causam ipse fuisse dicit quod eum comes proditionis insimularit, simul promittens libertatem si per biennium Mombelgardiae stare vellet. Alibi dicit se in vincula coniectum fuisse quod malam quandam causam comitis defendere noluerit. Mense Maio accurrit eius uxor Ludovica de Beldon, et minata est se rem ad cameram Spirensem delaturam. Tum ei libertas concessa est sub finem Maii et Nonis Iuniis Dolam rediit.* (*Brodeau p.* 30.)
7) *Holbraquius in sacello in Lignières evangelium praelegerat et a civibus Landeronensibus iniuriis et verberibus impetitus contra missam declamaverat. Farellus eius causam defendit et catholici utrumque insectati sunt.* (*Kirchh.* II. 149.)
8) *N.* 2449.

quium paci serviturum et concordiae. Vale rursus. Haec addere libuit. 16. Iunii. Nam si quid amplius scire velis, hic referet quae vidit et intellexit.

Tuus ex animo Farellus.

2479.

VERMILIUS CALVINO.

Longam et solidam narrationem contexit eorum quae Argentorati inter ipsum et magistratum transacta sunt quum Turicum vocatus fuerit. Addit quaedam de nupero Lasci cum Brentio colloquio deque libro clam contra Calvinum excuso.

(Ex autographo Cod. Paris. Collect. Dupuy Vol. 268, fol. 56. Inscriptio desideratur.)

S. D. Ex tuis, [1]) vir clarissime, literis ante duos dies mihi redditis, quid consulas de meo hinc discessu cognovi, atque, ut video, prius eas ad me dedisti quam meas postremas [2]) receperis. Miseret te atque non parum cruciat scholae huius . . . . . [2]) neque facile velles hanc stationem deseri. Mihi quoque idem videretur, nisi manendo hic diutius conscientiam vulnerarem, et veritatem, dum opprimi patior, quodammodo proderem. Convenerat inter me et magistratum, quum ex Anglia huc rediissem, ut quoad sacramentariam quaestionem pacem colerem, quod nollent hoc tempore scholam et ecclesiam ea de causa perturbari. Conditionem accepi, hac tamen lege, ut mihi fraudi non esset si, quum rem * postularet aut locus quem tractarem exigeret, candide atque sincere dicerem quid ex verbo Domini sentirem de illa controversia. Non enim ulla pactione me adduci posse ut in illis quae publice disputavi atque scripsi quidquam detraherem aut revocarem. Et denique pollicebar me citra tumultum et amaras insectationes in hac doctrina esse acturum prout divinae literae, veritas et conscientia suggessisset. Ac e diverso poscebam ut illi suos compescerent ministros et professores, ne in sententiam nostram declamarent et debaccharent. Annuerunt se id curaturos. Itaque sum hac spe aliquamdiu hic versatus, existimans posse fieri ut dum res quiesceret animi emollirentur, et aliqua si offerretur occasio agendi aliquid mutuis colloquiis quod ad tolerabilem consensum faceret. At isti mea patientia et lenitate mirifice sunt abusi: nam et * suggestis ad populum sacramentarios passim traducunt, [4]) de me famam spargunt quasi totus cum illis in ista causa faciam: idque non solum foris, verum etiam in urbe, quum interea securi sint de magistratus voluntate, qua de ista causa in schola non sit passurus disputari. Ego tamen literis ut potui datis ad eos quibus de me fuerat male persuasum, et ostenso, licet placide ac obiter, meis auditoribus quid sentirem de causa eucharistica, me rursus ad studium pacis componebam. Verum tandem eo ventum est ut publica declamatione, cui ego praeter illorum spem interfui, curarint sententiam nostram coram tota schola proscindi quam amarissime, non alio sane consilio nisi ut postea iactarent, se non tantum in ecclesia verum etiam in schola suam doctrinam clare atque acerrime profiteri. Hic equidem ut par erat dolui et ingemui: non tamen visum est in eiusmodi actione tumultum aut turbam excitare. Fremebant enim omnes boni et stomacho atque indignatione vehementi erant commoti. Proinde cavi ne a nobis oriretur quod a magistratu merito reprehendi posset. Cum quibus oportuit sum conquestus: verum, ut sensi, cum parvo aut nullo fructu. Idcirco mecum deliberare coepi ut ab hac molestia et indigna servitute liberarer. Et ecce tibi, me nihil eiusmodi vel exspectante vel cogitante sum a Tigurinis evocatus, et cum magistratu nostro de tota ista re graviter expostulandi occasio data est. Ibi nil tacui, ac denique testabar me per conscientiam illic non posse manere, ubi et ab ecclesia haberer alienus, et in schola disputandi de rebus prorsus necessariis facultas non concederetur. Ad haec magistratus respondit, non parum hoc sibi dolere: me tamen hortabatur ut nihil temere statuerem, quod me carum haberent, et quod ad necessarios casus et ad colloquium, si quod institueretur de religione, me decrevissent adhiberi. Atque in summa negarunt se velle tam statim me dimittere. Sumpserunt igitur spatium mensis [5]) ad deliberandum, quod ego facile dedi, atque simul ostendi, frustra eos conari me a proposito consilio avertere, nisi liberum facerent ut in ista controversia dilucide atque aperte docerem, disputarem et scriberem. Atque ita discessum est. Submiserunt interea multos, quotquot apud me vel gratia vel autoritate valere putabant, ut discessum modis omnibus dissuaderent. Sed incassum laborabatur. Nisi enim postulata darent, abire prorsus me velle om-

2479. 1) *deperditis.*
2) *quae et ipsae non exstant.*
3) *vox dubia.* (orbitas?)

4) *Marbachius quidem hucusque satis modeste et humaniter cum Vermilio egerat. Fortasse Rabum innuit. Etiam Schmidtius accuratiora non habet.*
5) *Nonis Maiis, scholarchae rem ad magistratum detulerunt.*

nibus respondebam. Nulli tamen (ut quod est dicam) ecclesiae ministri, citra duos, mecum hoc de re vel ullum verbum fecerunt. Quum deinde postularetur a me ut in pauca quaedam capita contraherem quae * essent huius doctrinae articuli quos docere, disputare ac profiteri quum verbis tum scriptis vellem, acquievi et brevi scripto quatuor capita exposui atque paucis confirmavi. Primum, substantialem praesentiam corporis Christi me in coena non agnoscere: secundum, impios ac fide carentes in communione vesci tantum symbolis, corpus vero et sanguinem Domini non sumere: tertium, verba illa: Hoc est corpus meum, tropice fuisse dicta: quartum, Christi corpus non esse ubique neque simul eodemque tempore in multis locis. Hoc meum scriptum, cuius iam exposui summam, quum domini accepissent, non solum ipsi legerunt, sed conventui etiam ecclesiastico, cui ego non intersum, dederunt legendum. Unde post aliquot dies D. *Marpachius* et *Rabus* vicissim aliud quiddam suum scriptum obtulerunt, cuius in clam eis facta est copia, quo sententias quatuor cum meis recta pugnantes asseruerunt, ut valide atque robuste non dico, nam aliquando efficiam ut scriptum utrumque videas. Elapso mense rursus me domini rogarunt ut manerem, maximoque studio id a me contendebant, dicendo aliquam spem esse ut quoad istam controversiam aliqua tandem iniretur concordia, promittebantque se curaturos ut, quemadmodum eram antequam in Angliam proficiscerer, consiliorum ecclesiasticorum essem particeps, et ut frater a caeteris ministris haberer, putabantque, ut dixerunt, fore colloquium de ista quaestione, idque principum aliquorum cura et voluntate. Ad haec ego: fieri posse ut illi spem aliquam concordiae atque colloquii haberent, quum ego mihi nullam pollicerer. Nam quod attinet, inquam, ad vestros ministros, illi omnia suo scripto responderunt secus quam ego posuerim, et ita sunt obfirmato animo ut prorsus de leniendis atque placandis desperetur. Quodve praeterea de futuro colloquio mihi polliceri queam, quum ab uno ex nostris, [6]) viro non vulgari, quaesitum sit, quum a *Palatino* electore, tum a duce *Wirtembergensi*, et nihil potuerit effici. Imo tandem a *Wirtembergensi* hoc tulit responsum, non esse remedium ullum controversiae huic, nisi redeamus ad sensum et ritus aliarum ecclesiarum, quas intelligebat saxonicas. Quare si principes qui habentur meliores ita sunt affecti ad huius causae compositionem, facile est videre quid sit sperandum. Deinde adieci, me nunquam detrectaturum operam meam colloquiis eiusmodi ubicunque fuero: sed si eis cordi esset causae huius cognitio, me dedisse illis quatuor capita meae sententiae, de quibus possent concedere nobis disputationes, quo viva voce et liquidius quid utraque pars bene maleve sentiat diiudicari possit. Atque si fortasse turbam aut tumultum metuerent, et ob id publicam disceptationem dare nollent, concedant eam saltem privato quodam loco, quo tantum docti et graves auditores conveniant, modo pii et eruditi iudices adhibeantur. Sed quum rursus de spe concordiae mentio fieret, quam, dixi, spem vos mihi ostenditis? quum vel hoc ipso tempore in vestra civitate liber germanicus imprimatur, [7]) contra D. *Calvinum* fratrem meum in Christo dilectissimum et vestrum alias hospitem, qui hoc quo nunc ego sum loco in hac schola summa fide et diligentia docuit. Certe de pace aut compositione ulla huius negotii nihil sperari potest, quum vir ille, huius vestrae scholae olim doctor, ita proscinditur et conviciis indignissimis dilaceratur atque si merus et putus esset diabolus. Et quo magis traducatur et causa popularis fiat, non latine sed germanice in eum tam contumeliose scribunt. Quare si pax vobis cordi est, haec prohibete quae viam illi possunt praecludere. Aderant, quum haec dicerem *Sleidanus* et Ioannes *Sturmius* quorum alteri, nimirum *Sleidano*, ante duas horas duo folia eius libri tradideram legenda quae corrector eius impressoris qui excudit librum suggesserat. Unde *Sleidani* sum usus testimonio, ne quid me fingere existimarent. Iis auditis sum iussus paulisper secedere, atque inter sese domini aliquamdiu consultarunt. Deinde me revocato conditionem hanc obtulerunt ut vel ad annum huc remanerem, et se curaturos ut illa Tigurina vocatio mihi salva tamdiu maneat, orabantque ut interea, quemadmodum hactenus feceram, diligenter et pacifice in mea functione pergerem. Ego vero, quum solum viderem extrahi tempus, de postulatis nihil concedi, eadem servitute serviendum qua prius, disputationum spem nullam fieri, et de libro qui adversum te excudebatur nihil responderi, non potui adduci ut propositae conditioni assentirer, verum dixi, annuam illam dilationem nihil aliud secum habere coniunctum quam ut et Tigurinis et mihi sine fructu augeretur molestia. Itaque de mea dimissione adhuc nihil concludi potuit. Quod postulo non datur, neque ut missus fiam impetro.

Audivisti iam, vir Dei, quo loco res meae sint. Vocatio Hildebergensis, [8]) ut video, impedita est. Per me non stetit quin successum haberet. D. *a*

6) *Io. a Lasco.*

7) *cogitare possis de Westphali* Locis praecipuis de vi usu et dignitate salutiferi baptismi ex evangelistis et apostoiis collectis Arg. 1556 *sedecim foliorum* (*V. Loescheri hist. mot.* II. 97) *nisi de germanico libro diceret. Schmidtius haec non attingit.*

8) *sic.*

Lasco ad nos huc Stucardia scriptum est missum, quo congressus eius atque colloquium cum *Brentio* continetur:[9]) illumque aiunt defecisse respondendo, et quamvis adversariis de responsionibus eius non omnia credendum censeo, mihi tamen ipse visus fuisset consultius fecisse si colloquium solus non suscepisset. Argumenta nihilominus *Brentii* eo spectant ut corpus Christi ubique concludant, et adeo infirma sunt et sophistica, ut *a Lasco* non potuisse respondere minime credam. Ducis *Wirtembergensis* responsum ad finem scripti adiectum est, quo nostram opinionem perversam appellat hortaturque *a Lasco*, si velit sibi et suis peregrinis locum et hospitium invenire, ut redeat ad sententiam consensum et ritus ecclesiarum caeterarum. Non possum autem satis mirari *a Lasco* de re tanta, quum sit vicinus, ad me nihil scribere. Mitto ad te duo illa folia germanica quae imprimebantur. Sunt ea quae vulgo probas appellant. Quis libri sit autor nescio. Librum tamen illum suspicor esse, quem voluerunt Francfordiae ante aliquot menses imprimere, neque sunt ab illo magistratu permissi, dicebaturque *Vesphali* esse compositio. De baptismo contra te multa disputantur, credo quod quum velint causam facere popularem, neque arbitrentur de controversia eucharistica tibi multum invidiae posse conflari, de baptismo altercationem susceperunt, quod existiment ibi nostram sententiam mulierculis et plebi magis fore odiosam et minus probabilem. Ioannes *Sturmius* mihi significavit dominos admodum tulisse moleste quum audivissent me de illa impressione conquerentem, ac esse curaturos ut impediatur: quod an facturi sint exitus declarabit. Non aperte sed clam ista fiunt: poterunt itaque excudendo pergere, nomen vero loci aut mutare aut tacere. *Othmannus* locum *Balduini* habuit.

Scripsi prolixius quod res mihi esse videbantur omnino clare significandae. Vale, ac me ut facis in Christo ama. Salutes, precor, omnes symmystas et D. *Marchionem*. Argentinae 14. Iunii. 1556.

Tuus in Christus frater
Petrus Martyr.

2480.

CALVINUS BLAURERO.

Commendat ei medicum quendam Biennam concessurum.

(Ex autographo lacerato bibl. Sangall. civ. MSS. Tom. 37. Epp. Tom. VIII. fol. 94. Coll. c. Apogr. bibl. Turic. F. 43, olim VIII. fol. 464 v. — Simler. Vol. 87. — Edidit Pressel p. 582.)

Eximio Christi ministro D. Ambrosio Blaurero ecclesiae Biennensis fido pastori fratri et symmystae venerando.

S. Quum hic nuper esset *Franciscus* vester pharmacopola de reperiendo medico qui artem suam apud vos exerceret, sermonem apud quosdam iniecit, qui ad hunc bonum virum perlatus eum stimulavit ut saltem experiundi causa istuc concederet. Nam quia urbem hanc videbat medicis refertam esse, (sunt enim decem vel plures) ne in turba frigeret, putavit, si alibi se offerret mediocris conditio, non esse negligendam. Caeterum ne prorsus incognitus veniat, quid de ipso audierim referam. Unus ex meis collegis, qui ante annos decem eum Lutetiae novit, hominem probum et integrum esse testatur, etiam dum adhuc in tenebris papatus erra[*bat*]. Cognosces ipse imbutum esse liberali doctrina. Quod ad medicinam spectat dedit per annos quatuor operam *Sylvio*,[1]) qui tota vita magnum in Gallia nomen obtinuit. Medici quorum iudicio aliquid tribuo bene profecisse affirmant. Hominem talibus testimoniis ornatum, si absque mea commendatione dimitterem me ipse damnarem inhumanitatis. Certe nisi dignum arbitrarem[2]) quem amice excipiant boni et literati homines, nollem tibi obtrudere. Abs te non aliud peto nisi ut consilio eum regas et si censueris idoneum favore etiam tuo et gratia prosequaris. Vale, praestantissime vir et mihi apprime cole[*nde f*]rater. Genevae 21. Iunii 1556.

Ioanne[*s Calvi*]nus tuus.

Apud Pictones[3]) et Andegavos excitati sunt [*graves*] motus religionis causa. Magnus hominum num[*erus*] metu perculsus huc et illuc diffugit. Curae ..... miseri fratres. Saluta collegam et pios viro[*s* .....

---

9) *N.* 2464.

2480. 1) *Iac. Sylvius Ambianensis natus* 1478 *mortuus* 1555 *cel. medicus et prof. Paris.* (*Nicéron* XXIX. 89.)
2) *Sic autogr. Emendant caeteri.*
3) *sic! S. emendat:* Pictavos. *Caeterum cf. N.* 2433. *Bonnet* II. 90 *hoc postscriptum transscribit dicens se illud ex ep. Calvini ad Mercerum sumpsisse. In nomine erravit V. D.*

2481.

HOTOMANUS CALVINO.

Praemissis nonnullis de puero quodam Pomerano varia nova praebet, de libro contra Calvinum Argentorati excuso, de Martyre, Molinaeo et semet ipso.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 23.)

Reverendo viro D. Ioanni Calvino theologo clarissimo et pastori ecclesiae Genevensis fidelissimo.

Genevae.

Franciscus Hotomanus S. D.

Pomeranus puer, uti Cal. Febr. tibi scripsi [1]) quum de *Beati* [2]) nostri concione mentionem feci, rogatus a D. *Sturmio* quid ageret, et quam ex sua voluntate ab hospite suo tractaretur, respondit sese durius et immitius tractari quam par esset. Hospes admonitus affirmavit illum esse petulantiorem interdum et castigatione moderata indigere, quam ipse non aliter quam in suis liberis adhiberet. Puer igitur a nobis commonitus est ut se in officio contineret. Saepe illum sum hortatus ut ad me ventitaret: nunquam impetravi. Hactenus de Pomerano, cui tua et patroni causa quoad potero commodabo.

Libellum germanicum contumeliarum omnium plenissimum, qui furtim hic impressus est, [3]) opinor ad te esse a D. *Martyre* missum. Librarius nosci a scholarchis non potuit. Nisi Deus aliquid adhibeat remedii propediem istis malis, quid futurum sit nescio. Nam Tubingensis et Heidelbergensis [4]) alienores sunt ab hac causa *Brentii* autoritate permoti. D. *Martyrem*, ut video, amittemus. *Carus* et *Checus* in Angliam deportati sunt. Nisi Iesabela antevertat, speramus *Maximilianum Ferd. I.* eos petiturum. Nuper illi supplicationem misimus a nobis omnibus subscriptam. Accedit ad Caesaris filium. *Palatinus* etiam, ut spero, nos iuvabit. Senatus noster, exemplo fortasse ducis Prussiae admonitus, praeter lectionem et professionem iuris consiliarii dignitatem, sed satis oneroso titulo, mihi mandavit. *Prussius* mihi amplius 600 flor. aureos primo anno offerebat. *Molinaeus* dicitur a certis hominibus *Amerbachum* Basiliensem et cancellarium principis perfidiose fefellisse. Vades erant facti. Effugit Dolam, Lutetiam ut quidam aiunt discessurus. Dominus Iesus ecclesiae suae misereatur teque illi diutissime incolumem consorvet. Vale xxi. Iunii 1556.

2481. 1) *Non exstat epistola.*
2) *Gerungii.*
3) *N.* 2479, *not.* 7.
4) *Christophorus et Otto Henricus.*

2482.

FARELLUS BULLINGERO.

Animum effundit in querelas de foedere Genevensibus negato quum pericula a Gallo immineant.

(Excerptum ex autographo Cod. Turic. F. 62, olim Epp. Tom. 27, fol. 242. — Simler. Vol. 87.)

Praestantissimo Christi servo Henrico Bullingero pastori quam fidelissimo ecclesiae Tigurinae pacis et verae aedificationis quam studiosissimo, fratri et symmystae multum observando.

Tiguri.

Perdat Dominus improbum Satanam. Quam sui obliviscuntur mortales, ut videre non possint et cavere ea quae sunt in ruinam ipsorum, sed magis appetere videantur. Christus avertat id quod calamitosae contigit Constantiae, faxitque ne quis cum graviori nota et magno detrimento neget Genevae quod aiunt Constantiae negatum ab iis a quibus urbs supplex opem implorabat. Hic etiam precibus est opus, teque oro, ne desistas instare ut qui istic aliquid possunt apud Bernenses, studeant adducere ad foedus vere itaque urbi ut honorificum, ita non parum utile et multae aedificationis. Magno astu geruntur res passim, adeo ut bonis et cordatis saepius imponatur, quod si qui sapiant, videantque meliora, pauci tamen sunt, vincitque meliores maior numerus minorem. O si tam essent tam gloriae Dei studiosi quam propriae sunt avidissimi, quid non fieret? Sed ita solet qui dilectus erat, ubi incrassatus est et pinguatus recalcitrare ex donis Dei contra Dominum insurgere, ut ex auro et argento Domini sibi idola conflant. — — — — — — — — — — — — Neocomi 23. Iunii 1556.

Tuus Farellus.

2483.

CALVINUS POLLANO.

Holbrachii laus, qui tandem Francofurtum mittitur, ubi ecclesiae status usque anceps et tristis esse videtur, ita quidem ut Pollanus munus suum fortasse resignare debeat.

(Ex thesauro Bezano ed. Genev. p. 176, Laus. p. 371, Hanov. p. 415, Chouet p. 238, Amst. p. 109.)

Si liber fuisset *Olbracus*, neque ipse, qua est pietate, cum ecclesiae vestrae incommodo huc usque moram traxisset, neque etiam ad eum stimulandum defuisset assidua nostra sedulitas. Sed quia bona spes erat posse tandem dimitti, et neminem reperiebamus tam idoneum, coacti sumus vos longius tenere suspensos. Spero eius adventum multis modis fore utilem. Est enim probe in scripturis exercitatus, suppetit non vulgaris docendi dexteritas, sincere et ex animo sese Christo addixit: cordatus est non minus quam ad moderationem propensus. [1]) Accedit etiam et prudentia et maturitas, quae non solum homini autoritatem conciliet, sed plurimum valeat ad sedandas turbas. Itaque nec gratia nec ambitione ut spero flectetur, quin ecclesiae aedificationem fideliter procuret. Sed vereor ne ecclesiae vestrae morbus curatu sit perquam difficilis. Nam incurabilem dicere non audeo: [2]) nec male ante tempus ominari libet. Nunquam certe de exitu infaustae huius concertationis fui magis anxius. Nam quòd communibus literis [3]) scribitis tanquillum esse statum, cum vulgari rumore non convenit. Video equidem nimia pertinacia quibusdam [4]) propositum esse digladiari vel ad ultimam usque ecclesiae cladem: sed unde implacabile tui odium contraxerint, nescio. Si pauci essent non mirarer, et censerem spernendos esse. Nunc quum multos esse audiam, et ex illis quosdam non alioqui improbos, [5]) hoc me non leviter conturbat. Fateor quidem in hac causa non uno modo eos peccare, neque ab illa sententia dimoveor, ipsos proprio iudicio tribuere plus quam oportet, morositate impelli, et aliis vitiis laborare: sed quia tam gravium offensionum causae mihi non satis cognitae sunt, hic perplexus haereo. Itaque D. *Clauburgo* scripsi, postquam tentata fuerint omnia remedia, si magnae ecclesiae parti te non placere intelligas, cedendum potius esse, quam ut te ac tuum ministerium continuis probris exponas, quotidie excogitentur nova crimina et exitiali dissidio ecclesia laceretur. Nollem hoc vel factioni paucorum hominum, vel in tumultu concedi: quia res pessimi exempli foret, importunis clamoribus quasi violenter deiici pastorem. Verum si ita alienatos esse videas magnae partis animos, ut operam tuam respuant et doctrinam minus reverenter amplexentur, expende ipse, annon expediat ecclesiae iudicium [6]) semel potius subire, ut si fastidio es te absque sinistra nota dimittat, quam apud invitos gradum tenens acerba aegritudine et assiduis molestiis confici. Et hoc parce apud D. *Clauburgum* attigi, quem et tibi penitus esse amicum scio, et causae tuae patrocinari quoad potest. Nec vero tam cito deliberandum censeo, donec ultima necessitas id extorqueat. Nam forte *Olbraci* adventu fiet aliqua mutatio in melius. Imo forte discussis nebulis orietur serenitas. Tu interea vide ne animi plus satis iam exulcerati nova aliqua offensione pungantur. Nec vero ignoras, ubi semel efferbuit contentio, praesertim ubi progressu vires collegit, pravas suspiciones regnare et omnia fere in calumniam trahi. Alios [7]) porro novum bellum vobis movisse doleo: sed ita scilicet opportunitates suas captat Satan. Miror etiam quum apud me nuper [8]) pacem et fraternam benevolentiam colere in animo sibi esse testati sunt, repente ad tantam atrocitatem sine causa impulsos fuisse. Hoc etiam magis absurdum quum blanditi fuerint tanquam homini de ecclesia bene merito, nunc regnum vel tyrannidem odiose obiicere. Cuperem sane depositis lautitiis eos succedere in regnum, cui nunc invident. Sed putidior est calumnia, quam ut mihi existimem longa defensione opus esse. De causa ipsa scripsi ad D. *Clauburgum*: quo animo acceperit, tu me certiorem facies. Apud illos privatim nihil proficerem. Nam istis fere hominibus hoc esse propositum video, ut voluntario stupore se oblectent.

De muliere quam perfide maritus deseruit, sic breviter accipe. Sicuti ad permittenda divortia nos faciles esse non convenit, temperandum esse rigorem, ne quis ubi extra culpam compertus fuerit, iure suo cum animae exitio fraudetur. Itaque si certo constet caste eam honesteque vixisse, ac functam esse probae uxoris officio, maritum vero fracta et violata coniugii fide cum scorto in locum incognitum abiisse: causa legitime cognita, nubendi libertatem quam Dominus permittit, ab hominibus

---

2483. 1) *In eo vir summus egregie falsus est ut experientia docuit.*

2) *Imo fuit, vel post Pollani abdicationem et ipsius Calvini interventionem.*

3) *presbyterorum novorum deperditis.*

4) *Augustino et sociis.*

5) *Inter quos Secelius.*

6) *cuius autoritate postea Pollanus munere abdicatus fuit.*

7) *ministros lutheranos.*

8) *N.* 2422.

negari fas non esse arbitror. Vale, carissime frater. Uxorem tuam meo nomine plurimum saluta. Dominus vos gubernet suo spiritu, virtute tueatur vobisque benedicat. 24. Iunii 1556.

2484.

CALVINUS GLAUBURGO.

Dolet ei, virum de ecclesia gallica Francofurtensi tam bene meritum, laborum fructum tam parum laetum percepisse. Omnia tentanda ut pax restituatur, vel dimisso Pollano. Simul queritur de ministrorum lutheranorum in se ipsum iniquo animo et sese a crimine tyrannidis affectatae vindicat. Impugnat Westphali sententiam de baptismo infantum.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 139. — Edidit Beza Gen. p. 179, Laus. p. 375, Hanov. p. 419, Chouet p. 242, Amst. p. 111. Anglice habetur in ed. Philad. III. 278.)

Clarissimo viro D. Ioanni Clauburgo seniori patricio et senatori Francfordiensi, domino apprime observando.

S. Quum tot molestias susceperis pro pacanda[1]) linguae nostrae ecclesiola, quae istic sub fide et patrocinio tuo est, totque taedia devoraveris, clarissime vir et magnifice Domine, nunc te fructum laborum non percipere qualis optandus erat et qualem ego speravi, vehementer doleo. Haec tibi proposita erat merces, videre sanctum inter eos consensum, qui se prius mutuis discordiis laceraverant: videre pace florentem ecclesiam, quam intestinae contentiones centies perdidissent, nisi eam Dominus mirabiliter servasset. Nunc quod odiis adhuc certatur, quod susurri et obtrectationes non cessant, nova denique virulentia erumpit, nec finis est turbarum, sicuti quam grave acerbumque tibi sit spectaculum reputo, ita me non minus offendit eorum inhumanitas, qui se tibi morigeros praebere debuerant, quam angit et discruciat funesti exitus timor. Et tamen, ut nihil dissimulem, vereor etiam ne *Valerandus* et seniores[2]) victoria inflati adversae partis animos iam plus satis ad contentionem proclives magis exasperent. Ut nihil apud te dissimulem, in sententia abs te lata,[3]) cuius missum est ad me exemplar, caput unum vellem fuisse omissum, quod tibi a *Valerando*[4]) suggestum non dubito. Neque enim ultro tibi in mentem venisset vetus ministerium eius, ac si adhuc integrum statum in Anglia teneret, in perpetua eiusdem iuris possessione apud vos locare. Nihil forte est quod magis ab initio ad creanda dissidia valuerit, vel saltem ad gignendas simultates, deinde magis certamina accenderit quam ista aemulatio, quod maior pars putabat se gradu aequali deiici, et contumeliose a communi societate excludi, si ecclesia quae apud vos hospitium invenerat, leges ab una parte acciperet. Utilius ergo fuisset, verbum illud taceri, et *Valerandum*[5]) statuere pastorem, ex quo gregis dispersi rogatu locum in urbe vestra impetraverat et exercuerat munus pastoris. Quam pervicaciter omnia sua tueri contendat *Augustinus*,[6]) video: sed eorum quoque ratio habenda fuit, quos spes erat fore magis flexibiles.

Hoc[7]) obiter attingere placuit, non quod iudicium tuum improbem, sed tamen ut pro tua prudentia apud te expendas, sitne de nihilo conceptus timor qui me non parum sollicitat. *Valerandum*[8]) enim vides non modo pervicacibus vel morosis, sed nonnullis forte probis et simplicibus vel exosum esse vel minus gratum: quia se inaequaliter gerat, nec semper eundem teneat modum. Quanquam autem iniquis odiis gravatur, magnam tamen ecclesiae partem ab eo alienatam esse scio, quae nisi reconcilietur, impendet tristis dissipatio, nec aliud video remedium, nisi ut eos mansuefaciat, sicuti se facturum pollicitus est, multi autem facere negant. Tu vero, praestantissime vir, in re praesenti melius cernis, quomodo res habeat. Quod si tandem implacabilis erit offensio, *Valerandum* alio[9]) traduci praestaret, quam suis esse contemptui, assiduis calumniis expositum, non sine officii quo fungitur probro et dedecore.[10]) Hoc quidem improbis nunquam dandum putarem, ut eorum proterviae cederet pastor: quia et res esset noxii exempli, et nimia ista facilitas augeret eorum furorem vel audaciam. Verum si maior pars ecclesiae, ministri pertaesa, vix eum audire sustinet, ut demus caecum esse fastidium cuius nulla appareat ratio, tentatis omnibus aliis remediis superest hoc extremum quod nuper attigi. Utinam tamen paulatim mitescant animi, ut eum retinere cupiant, qui[11]) sic nunc fastidiunt.

Quod vestris concionatoribus, [ornatissime vir et mihi observande],[12]) literas[13]) curasti per [mag-

---

2484. 1) paranda *edd.*
2) ne certi quidam illi *edd.*
3) *Cf. N.* 2404. 2424. *Documentum ipsum non exstat.*
4) ab uno illo *edd.*
5) illum demum *edd.*
6) *alterius factionis coryphaeus.*
7) *Abhinc manus Ionvillaei.*
8) Hunc *edd.*
9) hominem *edd.*
10) *Vide quae scribit ad ipsum Pollanum.*
11) quem *edd.*
12) *Haec desunt in MS.*
13) *N.* 2401.

nificum vestrum] Consulem reddendas, prudenter [abs te] factum est. Quod etiam ab itinere supersedendum putas, consilium tuum probo et amplector. Nec vero mihi in animo fuit ultra urgere, modo constaret mutuae inter nos pacis fovendae non defuisse studium: ac si qua emergat contentio, imputandum esse eorum culpae quibus oblata conditio non placuerit. Et humaniter quidem testati sunt se fore tranquillos. Quamvis autem non dissimulent, in doctrina se a me discrepare, [14]) se tamen daturos operam promittunt, ne certaminibus turbentur ecclesiae. Quum vero illi me fidelem Christi servum agnoscant, et de ecclesia bene meritum, valde miratus sum, quum nuper contenderent, domi potius et a feminis baptisandos esse infantes, quam ut e vita migrent absque baptismo, me odiose in crimen traxisse. [15]) Si tantum reprehendissent quod doceo, ferendum erat: sed dum Gallos iactant meo exemplo leges aliis velle imponere, atque addunt etiam hic tyrannidem exercere, hoc fraternae benevolentiae quam mihi per literas sunt polliciti minime respondet. Ac de tyrannide quidem quam putida sit calumnia, iudicium fratribus et collegis meis defero, qui certe nunquam conquesti sunt se imperio meo premi. Saepe autem mecum expostulant quod nimis sim timidus, nec satis libere, ubi opus est, autoritate quam probarent omnes utar. Utinam viderent quam duris legibus munus docendi obeam, et interea quam nihil mihi arrogem: certe ultro eos suae levitatis puderet. Etsi autem hac modestia improborum hominum morsus non effugio, mihi tamen sufficit non modo conscientiae, sed rei ipsius et clarae experientiae testimonium, quo abunde refellitur quidquid procul malevoli obstrepunt. Velim tamen ab ipsis scire, quibus tam procul molesta est mea potestas, quid in me tyrannicum deprehenderint. An quia me ad rationem reddendam obtuli, iter longum et difficile paratus fui suscipere in eorum gratiam, et quum nemo unquam verbulo me salutasset, eos anteverti, ideo regnum appetere visus sum? Certe nimis stomachosi sunt si tam amicas conditiones respuere non contenti insuper exacerbantur. Neque tamen efficiet eorum inhumanitas ut me unquam suscepti officii poeniteat. Sed mihi dolet tam inconsiderate ipsos ruere in fratrem innoxium, ut ne ab atroci quidem iniuria abstineant. Quod ad rem ipsam spectat, non ignoro quam alte infixa sit multorum cordibus haec persuasio, qui sine baptismo discedunt ex mundo infantes, eos a spe salutis excludi. Sed quam levi praetextu invaluerit hic error, simul expendere convenit. Citatur celebre illud Christi dictum: Nisi quis renatus fuerit aqua et spiritu, non intrabit in regnum Dei. Sed nego primum, spiritus regenerationi illic coniungi externum aquae baptismum, quia potius res eadem bis dicitur, et nomen spiritus expositive additum est. Absurdum enim fuisset, quum Christus Nicodemum spoliare vellet carnis suae ingenio, ut deposita superbia ad veram humilitatem instar pueri se demitteret, a baptismo incipere. Caeterum, ut concedam de baptismo verba fieri, non tamen praecise urgetur necessitas, sed vitae novitati externum signum additur tanquam accessio: ac si dictum esset, non patere ingressum in regnum Dei absque vitae novitate, cuius symbolum est baptismus. Certe *Lutherus*, cuius nomen isti ubique obtendunt, scite notavit, quum dicit Christus apud Marcum: Quisquis crediderit et baptisatus fuerit salvus erit, non repetere secundo membro: Quisquis non fuerit baptisatus condemnabitur. Nam si absque baptismo nulla est salus, latronem qui in regnum Dei admissus est absque baptismo, necesse erit inde retrahi. Atque ut melius tollatur omnis dubitatio, semper tenendum hoc principium est, non conferri baptismum infantibus ut filii Dei fiant et haeredes: sed quia iam eo loco et gradu censentur apud Deum, adoptionis gratiam baptismo obsignari in eorum carne. Alioqui recte eos a baptismo arcerent Anabaptistae. Nisi enim in eos competat externi signi veritas, mera profanatio erit, in signi ipsius participationem eos vocare. Porro si quis baptismum illis neget, in promptu nobis est responsio, iam esse ex grege Christi et ex Dei familia, quoniam foedus salutis, quod Deus cum fidelibus paciscitur, filiis etiam commune est: sicuti etiam verba sonant: Ero Deus tuus et seminis tui post te. (Genes. 17, 7.) Nisi [16]) praecederet haec promissio, qua Deus liberos fidelium nondum natos adoptat, perperam illis baptismum conferri certum est. Iam quaero, an Dei verbum suapte virtute ad salutem sufficiat, an vero aliunde mutuetur subsidium, quo suppleatur defectus vel infirmitas iuvetur? Si promissio haec per se non creditur efficax, non modo virtus Dei, sed etiam gratia et veritas externo signo alligabitur. Ita isti homines, dum ornare baptismum contendunt, gravem Deo ignominiam irrogant. Iam vero quid tot lotis fiet, ubi Christus sola fide contentus est? Negabunt fidem a baptismo separari. Fateor quidem, ubi eius recipiendi datur opportunitas. Verum si quem, ubi Christi evangelium fuerit amplexus, subita mors rapiat, an ideo addicent exitio quia externa lotione caret? Annon veteres historiae exempla quaedam martyrum suppeditant, qui prius tracti fuerunt ad supplicium a tyrannis, quam se ad baptismum ob-

14) *N.* 2422.

15) *Alludit ad Westphali librum de baptismo, Arg.* 1556 *edito. Cf. Mönckeberg p.* 67.

16) *Hinc Calvinus ipse, usque ad finem.*

tulissent? Et propter aquae defectum nihil sancto martyri proderit Christi sanguis, qui pro evangelii fide, in qua posita est omnium communis salus, sanguinem fundere nõn dubitat? Certe modestiores fuerunt papistae, qui saltem in hac necessitate, baptisma sanguinis aquae lotioni subrogant. In summa, nisi omnia religionis principia evertere libet, fateri necesse erit, non esse fundatam in baptismo infantis salutem, sed baptismo tantum obsignari. Unde sequitur, non praecise nec simpliciter esse necessarium. Atque ut demus quod perverse isti postulant, ubi instat mortis periculum, baptizandos esse infantes, erit tamen administrandus ex Christi institutione et mandato. Iam ostendant ubi Christus privatis hominibus praeceperit baptisare. Certe nemo in ecclesia honorem sibi usurpat: et Christus, teste apostolo, aliis omnibus praescripsit ne se ad publicum munus ingerant. Speciale est Christi mandatum ad apostolos; Ite, praedicate, baptizate. (Mat. 28, 19.) Quisquis idem suo arbitrio tentabit, temeritatis damnabitur. Quid ergo de mulieribus dicendum, quibus ne loqui quidem in coetu publico conceditur? Atque haec pluribus forte quam opus fuit vel quàm ferebat epistolae ratio apud te, clarissime vir, disserui. Quanquam si uberior tractatio et plenior te oblectaverit, appendix quae addita fuit libello contra Interim, [17]) tibi suggeret quae voto tuo satisfaciant. Vale, nobilis et mihi venerande Domine. Christus te incolumem cum familia conservet, virtute sustineat, spiritu gubernet, omnique benedictione locupletet. Genevae 24. Iunii 1556. [18])

2485.

CALVIN AUX ANCIENS ET AUX DIACRES DE L'ÉGLISE FRANÇAISE DE FRANCFORT.

Représentations relatives aux discordes et troubles de l'église.

(Minute. Bibl. de Genève. Vol. 107, fol. 75. Copies Berne T. VI. p. 612. Simler Vol. 87. — Ruchat VII. 334. — Lettres fr. II. 95. Trad. angl. III. 271.)

La dilection de Dieu nostre pere et la grace de nostre Seigneur Iesus Christ soit touiours sur vous par la communication du Sainct Esprit.

Treschers sieurs et freres, voz lettres [1]) meussent plus entierement esiouy en ce que par icelles me mandez que lestat de vostre Eglise est auiourdhuy paisible et sans trouble, neust este que daultre part un bruit commun volle, quil ny a encores rien amende, mais que les picques et debatz y regnent autant que iamais. Ie scay bien que du premier coup telles maladies ne se guerissent pas aisement quil ny en demeure quelque residu, et mesme ou il y a eu contention, quil fault que lune des parties demeure malcontente, iusques a ce que le temps appaise tout. Mais le bruit est quil y a grande quantite de gens en vostre compaignie qui murmurent et sont aussi alienez que iamais. Sil est ainsy ie ne scay quelle issue on en doibt attendre, sinon que ie crains une grande confusion a laquelle ie prie Dieu de remedier. Et ce pendant aussi de vostre coste advisez dy mettre paine. Sur tout ie vous prie de tenir la meilleure moderation quil sera possible, et pour ne point aigrir ceulx qui desia ne le sont que par trop, ce que ie ne dicts pas sans cause, car, pour vous confesser franchement ce que lon pense, ie vouldroye que neussiez point use de telle rigueur envers ceulx qui nont point approuve vostre eslection. [2]) Si apres la sentence donnee, ils eussent continue a vous reprouver, il y avoit iuste raison de les appeller comme gens tenans leur secte a part. Mais puis quilz ne vous empeschent pas a faire vostre office, mesmes quilz respondent devant vous, se submettant a lordre commun, il me semble quil nestoit pas bon de les presser plus oultre; car puis quilz nont point consenty a vostre eslection, [3]) vous entendez bien quilz ne lont pas tenu pour legitime quant a eulx. Or cest une affection privee laquelle ie confesse estre vitieuse. Quant ilz ont tasche de la rompre et abolir pour ce quelle leur desplaisoit, ca este encores un plus grand mal. Voicy doncques le moyen que ie vouldroye tenir a mon advis. Cest, puis quon scait que lelection ne leur est pas venue a gre, quilz fussent supportez a ne point faire declaration expresse, telle que vous la demandez, moiennant quilz acquiescent a vous accepter comme anciens, sans vous troubler en vostre office, et aussi que de leur part ilz se rendent subiectz a la discipline. Combien pensez vous quil y ait delections bonnes et sainctes, voire dhommes excellens, qui toutesfois ne plaisent point a chascun? Prenez le cas doncques quant nostre bon frere maistre *Richard* [4]) fust esleu, aucuns ne layant point a gre en fussent faschez, toutesfoys

---

17) *Opp.* VII. 675.

18) *Hanc et sequentem Holbrachus Francofurtum attulisse videtur.*

2485. 1) *Elles ne se sont pas retrouvées. Voyez N.* 2473. 2483.

2) *Comp. la lettre précédente à Glauburg.*

3) *N.* 2399. 2402.

4) *Vauville.*

ne sy fussent point opposez, ou bien fussent condescendus en la fin a ce qui avoit este faict. Si on eust exige deulx une confession que leslection estoit deuement faicte, la contraincte neust elle pas este trop dure? Quant a moy ie nay pas tousiours approuve les eslections que iay receues, car ie ne suis pas tenu destimer que chascun ait si bon conseil et discretion a eslire quil seroit requis: parquoy il me semble quon se doibt bien contenter de moy, si ie maccorde a la plus grande voix. En cas semblable, il eust este plus utile ce me semble dexhorter ceulx qui vous ont molestez de se bien garder de rompre lunion de lesglise ou se separer davec le corps, et aussi pource que vous en estes ministres, de vous aider a vostre charge. Silz vous eussent desadvouez, ilz se fussent du tout monstre rebelles et schismaticques. Mais ilz protestent que sans declairer quils approuvoient vostre election, ilz ont este prestz et appareillez de se conformer avec le reste, et ne point refuser vostre discipline. Quant cela ne vous suffit, qui estce qui ne vous dira que vous menez vostre cause pour le moins pour leur donner occasion de vous en blasmer, et cela sera facilement receu de beaucoup. Voila pourquoy il eust mieulx vallu ny point tant insister a ce qui concerne voz personnes. Touchant de ce quilz se sont deposez de leur office, encores quil ny ait eu de linfirmite et du vice, il sera tousiours a condamner quil y eust eu aussi de la mauvaise procedure. Si estce que de les contraindre, beaucoup estimeroient que cest extremite, sur tout pource que desia il y a eu quelques picques auparavant, on presumera aisement que vous aiez cherche occasion de les fascher. Or il nous fault estre prudentz a nous garder de telles suspicions, encores quon ne iuge pas que vous laiez faict de propos delibere. Ie ne scay pas si nul trouvera bon sur telles excuses, vous les aiez excommuniez. Quant a moy ie ny vouldrois pas avoir consenty, ce que toutesfois ie vous escrips, non pas pour mopposer a vostre sentence ou pour la rescinder, mais dautant que ie suis tenu a vous en mander ce quil men semble selon que vous men avez requis. Car ie ne vouldrois point usurper sur la charge daultruy, et scay bien quel danger il y a quune esglise entreprengne dabsouldre ceulx qui avoient este condamnez par une aultre. Seulement ie vous advertis de ce quon pourra estimer de vous, affin de tenir telle mesure quun nouveau feu ne sallume point, lequel seroit trop difficile desteindre.

Quant a lelection que vous pretendez de faire pour augmenter vostre compaignie, cest un conseil bon et louable. Seulement ieusse desire, puis que vous envoyez par deca, que vous eussiez differe iusques a la venue de maistre Guillaume *Olbrac*, car vous ne saurez si bien faire que tousiours cela ne soit subiect a calumnie, quon naura point attendu la venue dun second pasteur. Mais puisque sen est faict, ie prieray Dieu quil luy plaise de benir le tout, vous priant, mes freres, de ne vous point fascher de la liberte que iay prinse a vous declairer ce que iavois sur le coeur, car ce sont choses que ie ne debvois et ne pouvois dissimuler en vous escripvant. Au reste vous verrez comment iescris en general a toute lesglise.

Parquoy ie feray fin apres mestre recommande affectueusement a voz bonnes prieres, et aussi de mon coste avoir supplie nostre bon Dieu de vous maintenir en sa saincte garde, et vous gouverner par son S. Esprit pour avancer ledification de son esglise. De Geneve ce 29. de iuing 1556. [5])

Vostre humble frere,

Iean Calvin.

2486.

CALVIN A L'ÉGLISE FRANÇAISE DE FRANCFORT.

Même sujet. Recommandation du nouveau ministre Holbrac.

(Minute. Bibl. de Genève. Vol. 107, fol. 77. Copies Vol. 108, fol. 68. Berne VI. p. 582. Simler Vol. 87. — Ruchat VII. 335. Lettres fr. II. 99. Trad. angl. III. 274.)

La dilection de Dieu nostre Pere et la grace de nostre Seigneur Iesus Christ soit touiours sur vous par la communication du Sainct Esprit.

Treschers seigneurs et freres, combien que depuis la mort de nostre bon frere maistre *Richard*,[1]) il eust este fort expedient que vous eussiez este proveuz des le premier iour dun aultre pasteur, et surtout a cause des troubles et differens qui alors estoyent entre vous, et que la longue attente vous eust este facheuse, toutesfoys iespere, au plaisir de Dieu, que le fruict que vous apportera la venue de nostre frere maistre Guillaume *Olbrac* recompensera tellement le tout[2]) quil y aura dequoy vous

5) *La lettre est datée du* 29. *Mais c'est sans doute par inadvertance, celle qui suit et les deux précédentes, toutes emportées par Holbrac, étant du* 24.

2486. 1) *Déc.* 1555. *Il devait d'abord avoir pour successeur Perrucel.*

2) tort *Bt.*

contenter, et quen la fin vous ne serez point marrys davoir languy quelque temps, plustost que de vous estre trop hastez den avoir ung qui ne fust pas si propre. Car il est homme fort bien exerce en lescripture, et qui a un zele droict et entier dediffier lesglise. Aucuns de vous lont cognu, [3]) et nous lavons esprouve pardeca tel que, sans le regard de vous, nous leussions bien voulu retenir en nostre compaignie. Parquoy, selon quil taschera demploier fidellement les graces que Dieu luy a donnees a vostre proffit et salut, advisez de les faire proffiter, car aussi en le recepvant humainement et vous rengeant en bonne doulceur a la doctrine quil vous portera, vous luy donnerez courage de sacquitter tant mieulx de son devoir. Ie ne doubte pas que de son coste il ne sestudie de nourrir paix et concorde, et sil y avoit quelque residu des combatz et contentions qui ont este parcidevant, dy remedier par bon moyen. Ie vous prie au nom de Dieu de vous conformer dun coste et daultre a tout ce qui pourra servir a vous remettre en bonne union, car ce nest point assez que voz differens soyent apaisez, pour nestre plus divisez comme en guerre ouverte. Mais le principal est que vous soyez conioinctz pour servir a Dieu tous ensemble dun desir cordial. Pour ce faire, il vous est besoing doublier tout ce qui est passe, car ie voy bien que la memoire quaucuns en ont, nourrit en eulx une racine damertume qui produira de iour en iour des nouvelles aigreurs, si elle nest bien purgee.

Ien allegueray un exemple duquel iay este adverty. Vous scavez quant on vous declaira quun certain nomme *Gisberg,* [4]) Gueldrois, estoit homme de meschante doctrine et pernicieuse, affin quun chacun sen garda, et quon le fuyt comme retrenche de lesglise, quun du troupeau se leva pour y contredire. Or le cas pose quil eust quelque raison de ce faire, si estce que la procedure nest ne bonne ne Chrestienne. Mais encore quelle excuse y a il, quant un homme aura este examine de sa doctrine par ceulx qui ont charge de lesglise, entre lesquelz estoit nostre honore frere Monsieur *A Lasco,* et que la il sest trouve pervers et obstine en ses erreurs, quun menuiser seul se face iuge pour rescinder tout ce qui aura este dict? Mais voila que cest quant les coeurs sont empoisonnez de haine, il fault que les souspecons dominent pour tirer a mal tout ce que font ceulx lesquelz nous naimons pas, tellement quen despit des hommes, nous dirons le blanc estre noir. Si on continue a faire ainsy, vous ne cesserez de renouveller vos plaies, et en la fin le mal senflammera pour tout consumer. Parquoy il est besoing de mieulx dompter les affections pour les renger et moderer, et non seulement cela, mais aussi en supportant les uns les autres en toute mansuetude et humanite, on donne occasion a ceulx qui ont est este alienez de se reunir. Ainsy, mes freres, ie vous prie au nom de Dieu de mieulx praticquer ceste lecon de Sainct Paul, que rien ne se face par contention ne par appetit de victoire, comme le mot dont il use lemporte: car ce pendant que chascun sera adonne a maintenir sa querelle, il fauldra entrer en combat. Plustost que chascun recognoisse ses faultes, et que ceulx qui auront failly se rengent deulx mesmes, et quon laisse toutes poursuittes qui ne vaillent qua sentrepicquer. Car si nous ne pouvons souffrir rien quil nous desplaise, il fauldroit que chascun eust un monde [5]) a part, et cest pourquoy S. Paul voulant exhorter les Ephesiens a garder unite desprit en liaison de paix, notamment les rameine a humilite, mansuetude et patience, a ce quilz sendurent et supportent en charite. Ainsy, mes freres, oubliez ce poinct davoir cause gaingnee, pour gaingner la bataille contre Satan qui ne demande qua vous tenir divisez, pource quil scait que vostre salut seroit en bonne union et saincte.

En parlant ainsy, ie nentens point dapprouver toutes faultes, mais sil y a eu a redire en quelques choses, puis que la religion nen est point interessee, que cela soit ensepvely, et quon ne poursuyve point les formalitez, ou quelque erreur dinanimadvertance ou aultres infirmitez, comme des crimes mortelz et insuportables; surtout quon ne soppiniastre point pour dissiper voire ruyner du tout une povre esglise. Ce que ie dictz nest point en faveur des personnes, ny par estre mal informe, car ie vous ayme tous, desirant que vos imperfections soyent corrigees, comme les miennes, et le soing que iay de vostre salut faict que vostre estat mest comme si iestois bien prochain de vous. Au reste, mes freres, souffrez que nostre bon frere *Olbrac,* estant la venu, serve de medecin a ceulx qui iusques icy auront este trop acharnez a leurs passions. Et pour monstrer que vous cherchez une saincte unite entre vous, que chascun sefforce dapprocher de celuy auquel il y a este ennemy.

Surquoy ie feray fin, aiant prie nostre bon Dieu quil luy plaise vous maintenir tousiours en sa saincte garde, vous conduire en toute prudence et droicture, vous face cheminer dun accord a son service, et vous augmente en toutes ses benedic-

3) *Ses antécédents sont peu connus. Son nom même est très-diversement écrit: Holbrac, Aulprecht, Houbracq etc. Il paraît avoir été Wallon d'origine. Il finit par être destitué à Francfort par suite de ses querelles avec Perrucel et devint ministre à Strasbourg.*

4) Cisberg *Bt.*

5) mode *Bt.*

tions, apres aussy mestre recommande a voz bonnes prieres. De Geneve, ce 24. iuing 1556.

Vostre humble frere.

Iean Calvin.

2487.

SULZERUS MARBACHIO.

Tradit ei quae audivit de evangelicis in vallibus Alpium indies magis fervidis et numerosis. Commendat Holbracum Francofurtum euntem.

(Ex thesauro epistolarum ad Marbachios scriptarum quas edidit Jo. Fecht. Durlac. 1684. 4. p. 57.)

S. Potens est Christus Dominus in verbo suo, vir ornatissime, quia, ut nuper scripsi de successu regni Christi in Galliis, ita indies laetiores nuncii inde adferuntur, maxime vero de regionibus inalpinis, qui plane sperant pacem se ab hostibus vel ad tempus redempturos. Et procurrit interim evangelii fides et confessio. Sunt enim in illis valles plures et multa hominum millia qui Christum palam profitentur. Ministros habent missos e Lausanensi schola, exsules Gallos, viros doctrina pietateque praestantes, idque ipsorum rogatu, quorum ministerio benedicit Dominus ubertim. Coena celebrata est palam apud Angrognianos magna populi frequentia, ad numerum saltem 6000. Concursus est ad sacras conciones ab undecim millibus italicis: tanta est sitis salutiferae doctrinae. Non latent haec supremum senatum Taurinensem. Profectus est eo praesidum unus cum senatoribus aliquot, qui partim blanditiis et pollicitationibus partim minis atrocibus conati sunt hos populos a recta via et evangelii professione abducere, sed frustra. Nam ne unus quidem inventus, non mulierculae, non pueri, qui non responderint se extrema quaeque potius pati esse paratos quam ut a Christo servatore suo deficiant. Ac Dominus hac in parte eorum quieti non parum consulit quod desint in primoribus saltem clancularii suffragatores. Iuvanda sunt haec initia piorum omnium orationibus. [1])

Qui has perfert vir est singularis doctrinae et pietatis nomine mihi valde carus et observandus. Vocatus Francofurtum ut ecclesiae gallicanae praesit. Quod eo nomine impensius factum gaudeo quod prae multis aliis purius et sincerius de symbolis totoque ministerio ecclesiae et sentire et loqui visus est. Commendo eum tibi eatenus ut familiarius admittas et consiliis etiam instruas, ac notitiam ineas cum illo, eumque deinceps foveas: id enim iudico frugiferum fore ecclesiae. Vale in Christo Iesu. Basil. 25. Iunii 1556.

T. Sulcerus.

2487. 1) *De rebus Valdensium agit etiam ep. Huberti Artus ex Angronia scripta d.* 2. *Augusti huius anni quam edidit Baum.* I. 458.

2488.

QUERCETANUS CALVINO.

Literae commendatitiae.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 16.)

Fidelissimo Christi servo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis.

Genevae.

Quum frater hic propositum habens invisendi has ecclesias ad me divertisset, petiisset ut se literis meis commendarem tibi, ego, etsi non ita necessarium esse scirem apud te, cuius abunde nota est humanitas in omnibus, tamen honeste negare hoc quidquid est officii non potui. Itaque eum vel hoc nomine commendatum esse tibi velim, quo mihi ante annos octo commendatus literis Philippi *Melanthonis* [1]) fuit. Caetera facile tute aestimabis. Nam et iam ipse tibi exponet quid sperare sit iussus, quo eum his instruas quae deinde ad conservandam pacem in ecclesia Dei conferantur. Vale. Lausannae sexto Cal. Iulii Anno 1556.

T. Eustathius Quercetanus.

2488. 1) *quae non exstant.*

2489.

TARNOVIUS CALVINO.

Gratias agit de literis sibi inscriptis. Studium suum in reformanda ecclesia temperamentum aliquid ex statu regni Polonici flagitare affirmat, in quo temere mutari res citra periculum nequeunt.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 74.)

[*Clarissim*]o atque eidem doctissimo D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori amico honorando.

S. D. P. Accepi literas tuas, [1]) vir doctissime atque idem clarissime, per D. *Lismaninum* amicum meum ad me datas, in quibus, quod ad promovendum pietatis atque religionis christianae in regno hoc negotium me studiose ac sedulo ex sola tantum fama (ut arbitror) cognitum cohortari atque exstimulare videtur, non ingratum sane mihi est hoc ipsum animi et voluntatis ipsius erga me studiosae indicium et officium. Quamvis autem et ipse quidem nonnulla in religione corrigi ac in meliorem aliquam formam et modum ipsam reduci sublatis tot tantisque controversiis cupiam et in votis habeam meis, quum tamen mea solius autoritate et auspiciis nihil tuto et tam commode geri atque in regno hoc innovari aut mutari posse videam, ut absque ingenti totius status regni periculo fieri possit, nec quidquam sane tam temere mihi praesumendum esse iis in rebus existimo, ut meis vel auspiciis vel autoritate turbarum atque dissensionis civilis occasio praebeatur, e quibus, ut nunc sunt tempora, praesentissimam cladem, ruinam statusque regni huius eversionem consequuturam necessario apparet, quum alioquin vel sic satis regnum hoc omni ex parte externis iisque maximis periculis sit expositum et eo occupato maxima tandem et reliquis Christianorum provinciis pericula tanquam porta aperta immineant. [2]) Quod autem reliquum est mea vicissim tibi commendo officia omnemque benevolentiam. Vale. Datae in Wiewiorka xxvi. die Iunii anno Domini M. D. LVI.

Ioannes Comes in Tarnow etc.
tuus amicus etsi ignotus manu sua sspt.

2489. 1) *N.* 2371.

2) *Vides eum non statim manibus et pedibus in Calvini partes transiise. Catholici scriptores, Orichovius, Bzovius, Spondanus, referunt eum a.* 1550, *quum Stancaro autore Nic. Olesnizkius imagines removisset et monachos expulisset, cultumque ad modum Helvetiorum reformasset, severe in senatu contra tales novaturientes remonstrasse. Cf. Salig* II. 580. *Krasinskius vero* (*hist. ref. pol. p.* 66) *haec addubitare conatur, qui magnis decorat laudibus Tarnovium, utpote virum inter Polonos virtute et moribus prae caeteris conspicuum, qui clerum quidem a catholica ecclesia desciscere noluerit, attamen a papa eiusdem ecclesiae reformationem postulaverit, scil. communionem sub utraque, linguae vernaculae usum in sacris, clericorum coniugia etc. Cf. Lubien. p.* 65 *qui Tarnovii epistolam laudat m. Iulio* 1556 *scriptam, et quo animo fuerit in Lismaninum egregie testantem.*

2490.

FARELLUS CALVINO.

Parisiensia ex Einardi literis, inter alia de ministris uxoratis. Argentorati Martyr dimitti cupit propter Lutheranizantes. Tossanus nigra creta notatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 116, coll. c. Cod. 116, fol. 51, Epp. Bern. VI. p. 593 et Simleri Vol. 87.)

Praestantissimo Christi servo Ioanni Calvino, pastori ecclesiae Genevensis theologo insigniori, fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Legebam *Einardi* ad me literas, quas utinam tu prior legisses, teque rogo, si quae tibi reddantur ad me non graveris legere non tantum huius, imo vero omnium. Ita duplici me liberabis labore, et scribendi ea quae in literis mittuntur et rursus mittendi ad te literas quas iam acceperas. Si quid praeterea est quod tuum exposcat consilium, tu uno verbo literis addito potes tuam mentem indicare quid consulas. Scribit itaque *Einardus* recte omnia progredi. Frequentiores esse, sed exteros paene omnes. Mittendum censet cum, qui non sit onustus, sed liber, sed cum libertate pacate agat, paci studeat. Rationes per se patent cur ita oporteat.

Haerent nonnulli super iis, qui cum uxoribus agunt quas duxerunt in praesentia duorum aut trium, ubi nulla intervenit benedictio aut approbatio ecclesiae, quamvis non parum id serviat, ut coniugium sacrosanctum in Domino magnifiat et ne quid interveniat contrarium tam sacrae ordinationi Domini: et sunt alia quae probe tenes, quare merito, priusquam conveniant coniuges, expedit observare. Quae si quis prorsus contemnat et evertat, non solum efficiet ut multum decedat sacro coniugio, verum etiam ut evangelium male audiat, per quod liceat omnia quae bona sunt praeterire.

Hic frater haeret, an debeant illi benedictionem accipere, non aliter quam quorum probatur coniugium priusquam convenerint, an in coetu culpam agnoscere tantum, an quod potius agnita culpa benedictionem et approbationem excipere. Placet mihi frater, qui mavult, ubi habet quos roget, petere consilium, quam aliquid definire, ut melius et tutius agat, faciliusque adducat eos quos oportet, ut quod magis expedit sequantur et agant.

Mirum quod de *Colongio* nihil aliud audimus, [1]) quam quod Argentorati sit, et ubi licebit per valetudinem iter arripiet. Arbitror te intellexisse quid

---

2490. 1) *Cf. N.* 2478.

Marbachius egit per suum declamatorem [2]) impanati, ut volunt, Dei, quod ut audio permovit *P. Martyrem* petere ut alio liceret ire. Qui pro *Tossano* sunt agebant ut fratres qui supersunt suam testarentur sententiam, ut si qui variarent placitis eorum, qui non Stephani more sapientia solidisque scripturis sua tueri volunt, ita ut contradicere nemo possit, sed nutu solo ii pellerentur. *Tossanus*, quamvis ore cum aliis faciat, animo est tamen alienus. Nobiscum lubens faceret, si suae id serviret gloriae, nihilque metueret periculi. Verum noctua neque avibus adnumerabitur implumis quum sit, neque quadrupedibus. Christus miserum intueatur. Christi adversarius somnio suo et σκιαμαχίᾳ sese obletavit, dum istam umbratiliter perdidit urbem et te corripi fecit in ignem. Sane quod is meritus hic est, alibi pendet, non imaginaria et vana manu, sed vera et aeterna poena. Utinam miseri videant et ad Deum conversi caveant, ne vere in se sentiant quod optant in aliis.

Quod ad te attinet, malo te decies ita cremari quam semel capitis dolore laborare. Christus maiestatem suam regiam et summam potentiam illis aperiat, quos iubet tam profana et tam detestanda prohibere et plectere, ut discant vereri Christum, eique parere, tales tantasque non ferre sed tollere pestes. Nisi me miserorum perditio angeret, ex animo riderem Satanam et suos tam misere insanientes. Sed Christum precor ut non totum gregem porcorum in lacum praecipitandum immundo spiritui tradat, sed servet miseros, et prorsus deploratos reprobos ita Satanae tradat ut caeteris sint exemplo, gratiam, benedictionem, donaque potiora suis augeat, tibique potissimum, ut quanto magis Satanas in te insurgit, et sui cum illo tam immundi sues, plusque student remorari et prorsus perdere fructum evangelii, quem per Christum profers, tanto magis erumpat, crescat, abundet, quod et facies invitis inferorum portis. Merito enim dicere possumus: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Vale bene et istam valetudinem cura valentiorem esse ut robustius omnia feras et agas pro Domino. Iube salvos omnes. Collega te salutat. Neocomi 28. Iunii 1556.

Tuus totus Farellus.

2) *Haec satis obscure dicta ut Farelli mos est. An Rabum innuit?*

2491.

CALVINUS VIRETO.

Pertinere videtur ad res Pedemontanas, verum et virorum nomina et ipsa rerum facies neque hoc loco neque aliunde lucis aliquid accipiunt.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 141. — Inspeximus etiam exemplaria Cod. 108, fol. 75, Bern. VI. p. 642 et Simleri Vol. 87.)

[Eximio] Christi ministro [Petro] Vireto ecclesiae Lausannensis fido pastori, fratri et symmystae optimo.

Veniat ergo *Stephanus* [1]) quam primum commode poterit. Nam quia de *Fabro* inconsiderate quidam loquuti erant, neque desunt in hac urbe qui eum obtendere conentur, celeritas ad sermones compescendos optima erit. Tu quoque, si verum est quod heri retulit *Benedictus*, quam primum anxietate me libera, cuius tamen dimidia parte levatus sum post acceptas tuas literas. Neque enim de tuo adventu tacuisses. Vale, optime frater. Dominus te et familiam tueatur ac regat. Saluta fratres. Calendis Iulii 1556.

2492.

CALVINUS BULLINGERO.

Agit de Lasci profectione ad principes et colloquio cum Brentio habito. Aegre fert virum haec sibi soli sumpsisse et satis leviter rem gessisse. Caeterum ipse de colloquio melius instituto non omnino desperat.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 141, coll. c. Cod. 108, fol. 75. Epp. Bern. VI. p. 643 et Simleri Vol. 87.)

Ornatissimo viro et fideli Christi ministro D. Henricho Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori fratri et symmystae colendissimo.

S. Quum iam praeterierit integer sesquimensis ex quo mihi redditae sunt postremae tuae literae [1]) quibus nondum respondi, tam longae cessationis me aliquantulum pudet. Ne tamen putes nihil mihi excusationis suppetere, scias quo tempore eas accepi

2491. 1) *Fortasse conferendae N.* 2427. 2432. 2455.
2492. 1) *N.* 2442.

laborasse febri tertiana,[2]) quae multos terruit, quibusdam spem evanidam attulit pravae laetitiae. Ab eo tempore diu me suspensum tenuit D. Ioannes *a Lasco*, qui de colloquio acturus ad conventum Spirensem venerat.[3]) Quid egisset me prorsus latuit, donec literis D. *Petri Martyris*[4]) certior sum factus, illum in ducatu quoque Wirtebergensi cum *Brentio* disputasse, nunc volitare acta quaedam[5]) ex quibus appareat, quamvis insulse vel frigide *Brentius* corporis Christi immensitatem assereret, fratrem quasi victum obmutuisse. Quum iam triumphos agat pars adversa, illum inconsiderate fecisse existimat *Petrus Martyr*, qui privatim sine idoneis testibus vel arbitris congressus sit. Triduo post venerunt literae Francofordia scriptae,[6]) non absque consensu ipsius *Lascani*, quae expeditionis tam infaustae successum valde commendant. Ipse ex morbo decumbens non scripsit, sed eius familiaris, qui omnium eius actionum conscius est, tanquam ex eius ore haec refert: *Palatinum* esse nostrum, *Witebergensem*[7]) dubium pendere, Palatini cancellarium nobis suffragari, principem ergo in comitiis Ratisponensibus daturum operam ut viri docti utrinque conveniant. Collectanea simul sub actorum nomine[8]) quaedam misit ad fratrem nostrum purgandum, quae literas *Martyris* confirmant. Disputatio enim illic tacetur. Tantum scribit quae a *Brentio* reversus seorsum apud se concepit. Ergo quiescere praestabat, nisi quid forte melius Dominus praeter spem deinde offerat. Significat a nepote se fuisse admonitum, placere Regi Poloniae, antequam in patriam redeat, apologiam ab ipso scribi,[9]) qua demonstret suam doctrinam cum Augustana confessione congruere, ideoque breve scriptum se meditari quod ex tuo, *Martyris* et meo consensu editurus sit. Ego, ut genus argumenti et consilium non improbo, ita rem video plenam periculi, nisi summa adhibeatur dexteritas. Sed iudicium satis opportune ex lectione fiet. De colloquio ignosces si abs te nonnihil dissentio. Nam etsi non apparet profectus qualem optarem, quia tamen longe turpius esset recusare quam constanter et ingenue veram doctrinam asserendo subire pervicaciae notam, eventum Deo committendum censeo, modo ne interea fugitemus lucem. Ego quidem, sicut hactenus feci, me continebo, ne satagendo nimis cupide appetere videar. Si tamen adversa pars ultro nos accerset, ad fidei meae defensionem paratus ero. Nec vero dubito quin tu quoque eodem animo sis. Apud D. *a Lasco* interim testatus sum[10]) quam mihi non placeret immodica eius sedulitas. Sed non ignoras quam difficile sit a suo quemque ingenio retrahere. Vale, praestantissime vir, et mihi ex animo colende frater. Dominus tibi semper adsit, te gubernet ac benedicat cum familia. Collegae mei et amici plurimum te salutant. Symmystis tuis salutem multam precor. Genevae Calendis Iulii 1556.

Ioannes Calvinus tuus.

2) *N.* 2454.
3) *N.* 2465.
4) *N.* 2479.
5) *Patet eum ad Brentii relationem alludere N.* 2463.
6) *deperditae, quum de N.* 2474 *vix cogitandum sit.*
7) *sic.*
8) *N.* 2464.
9) *Cf. N.* 2474.

2493.

FARELLUS CALVINO.

Novis ex Gallia nunciis allatis de piorum tristi conditione iter Germanicum meditatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 127, coll. c. Cod. 116, fol. 52, Epp. Bern. VI. p. 645 et Simleri Vol. 87.)

Praestantissimo Christi servo Ioanni Calvino, pastori Genevensis ecclesiae theologo praecipuo, fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Multo sum affectus gaudio super tam pio fratre tam exoptato.[1]) Abunde intelliges ex eo, quid mihi in mentem venerit quum in via conferrem cum primo sui ordinis,[2]) qui ad nos venit, quod magnum sane est miraculum. Quum iam pridem solitus sim pro piis qui in Gallia affliguntur rogare Germanos, nunc huius gratia proficisci ad eos,[3]) si qua possit ratio inveniri, qua Rex aliquid intelligat et mitius agat cum piis, et una si quid possit agi pro colloquio. Tuum exopto consilium, et si tibi probetur literis agas apud eos, apud quos potes, ut nobis, mihi et illi bono viro qui nuper venit, pateat aditus agendi, ut noveris expedire et una perscribas instructionem agendi, quam sequi opto. Quod ad *Einardum*[4]) attinet, dispones omnia ut tibi videtur. Hic tardius eo perveniet quam optarem, sed quum prius non licuerit, boni sunt omnia consulenda.

10) *N.* 2465.

2493. 1) *Simlerus coniicit Albanum respici. Cf. N.* 2497.
2) *quid hoc sibi velit non assequimur. Videtur is ex Gallia venisse, novas persequutiones exortas referens. A.* 1557 *ineunte Farellus c. Beza ea de causa in Germaniam se contulit.*
3) *Cod.* 116 *ex conj. add.* lubet.
4) *scil. utrum Lutetiae stare an redire debeat.*

Pluribus tecum non agam, ne quid meis vestro decedat colloquio. Vale bene. Christus Iesus te incolumem diu servet suae ecclesiae, teque omni locupletet benedictione. Cupio omnes salvos. Neocomi 4. Iulii 1556.

Tuus Farellus.

2494.

VERMILIUS CALVINO.

Iam in eo est ut Argentorato valedicat: a magistratu nihil obtinere potuit praeter vanas promissiones, itaque libertatem ibi negatam alibi quaerere coactus est.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 3.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ministro verbi Dei fidelissimo et mihi plurimum honorando. Genevae.

S. D. Si meas postremas literas [1]) accepisses, non mihi de mansione gratulareris, sed, ut video, doleres de discessu. Rem tibi hanc displicere tristor, quod nunc ex tuis cognosco. Nam ex prioribus quas ad me dederas tantum intelligebam te cupere, si fieri potuisset, ut hic manerem. Certe fuisset operae pretium ut meas illas postremas accepisses quae, sicut video, in itinere detinentur, quamvis non desperem tandem reddendas. Die Ioannis [2]) a senatu mihi est data missio, qui tamen fatebatur invito animo se id facere. Cunctati sunt diu: verum denique nil in meis petitionibus illis visum est mihi concedere, quare sum coactus, nisi vellem non sine ignominia et conscientiae vulnere hanc diutius ferre servitutem, discedere. Iam supellectilia praemisi, abiturus ipse post quatuor aut quinque dies. Schola, quum postremo docerem, suum dolorem multis lacrymis testata est, sed audita causa boni consilium meum abeundi non reprehendunt. Quis enim aequo animo ferat ut, dum veritas ad populum proscinditur, ego hic maneam tacitus? Quid hoc aliud est quam prodere causam? Non vult magistratus ut quaestio haec in schola disputetur, [4]) neque interea suos compescit concionatores, ne passim in veritatem acerrime invehantur. Hoc meum consilium nil habet aut incommodi aut turpitudinis, nisi quod, ut video, tibi non probatur: ego vero, etsi iudicium tuum reprehendere non audeam, quod semper magnum habere pondus arbitror, non tamen quidquam video propter quod me facti poeniteat. Si enim hic mihi esset integra et libera docendi disputandi et scribendi potestas, nunquam discessissem. Verum quum ex iis compedibus ut me eximam nulla concedatur facultas, non aequum fuit ut oblatam libertatem aspernarer. Sed, ut iam dixi, ex aliis meis literis plura cognosces. Nunc vero iacta est alea, neque potest revocari. Tantum rogandus est Dominus ut bene vertat. Ubicunque fuero, ut hactenus fui, tecum ero quam coniunctissimus.

Negotium adolescentis de quo ad me scripsisti confectum est. Unde ad nos redit. Et si quid esset aliud quod tua causa faciundum fuisset, nos omnes habuisses paratissimos. Non scribam fusius, quum migrandi negotium et molestia prohibent. Vale, clarissime vir et mihi plurimum suspiciende. Dominus tibi adsit et omni bonorum genere te augeat atque fortunet. *Sturmius, Sleidanus, Zancus* et *Alexander* te salutant. Meos Italos plurimum salvere iubeo, praesertim D. *Marchionem*. 7. Iulii 1556.

Tibi addictus in Domino,
Petrus Martyr.

2495.

VIRETUS CALVINO.

Stephanus iam proficiscitur. Farelli consilium de itinere Germanico non omnino probandum.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 107. — Bretschneider. p. 191.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo fratri et symmystae plurimum observando.

Genevae.

S. Accinxit se itineri *Stephanus* [1]) noster, vir vere pius et cuius probitas multum additura est ipsius doctrinae et ministerio ponderis. Tu illum

---

2494. 1) *N.* 2479.
2) 24. *Iunii. Alias Martyris epp.* laudat *Schmidtius in quibus idem dies indicatur.* (*Verm. p.* 585 *sqq.*) *Idem quoque testimonium a Sturmio Martyri datum exhibet.*
3) *Abiit a. d. III. Idus Iulii.* (*Schmidt* 190.)

4) *Cf. quae Schmidtius praebet ex ep. Wig. Orthii prof. Marburgensis, quae exstat in Zanchii Opp.* VII. 2, *p.* 6.
2495. 1) *Vide N.* 2491.

de rebus omnibus admonebis et diriges. Audies de *Collongio* nostro [2]) quid *Farellus* ceperit concilii *, de admonendo Rege et de suscipienda legatione ad Germaniae principes pro ecclesiarum concordia. Duo sunt quae me remorantur quo minus facile assentiar. Primum aetas *Farelli*, cuius valetudini metuo si hoc tempore tam longam suscipiat peregrinationem. Deinde nescio an solus satis dextre omnia obire possit quae in hac legatione requiruntur. Nosti hominis pietatem et mores, et quid commodi aut incommodi exspectari possit ex eius studiis. Tu nobis tuum consilium significato. [3]) De reliquis omnibus conferes cum *Collongio*. Remitto ad te scriptum de *Alasconis* congressu cum *Brentio*. [4]) Remisissem et *Valerandi* literas, [5]) sed eas nunc invenire non potui. Remittam autem primo quoque tempore, simul atque inventae fuerint. Salutant te nostri omnes officiosissime. Multam dico salutem fratri et toti familiae. Uxor te salutat et filiolae. Vale. Lausannae 7. Iulii. [6])

Tuus Petrus Viretus.

2496.

STATORIUS [1]) CALVINO.

Turici sedet mandata et pecuniam a Lismanino exspectans ut in Poloniam abire queat.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 4.)

Vigilantissimo Genevensis ecclesiae ministro D. I. Calvino.

Fidelissimo verbi Dei ministro D. I. Calvino P. Tonvillanus S.

Quantum ex D. *Lismanini* uxore et *Castiglione* Italo [2]) possum coniicere, diutius hic mihi haerendum esse video. Nullum enim a *Lismanino* mandatum se habere dicunt ut ea mihi suppeditent, sine quorum praesidio tantum tamque periculosum iter (uti nunc sunt tempora) qui possim conficere non te fugit. Maximo cum labore et molestia Tigurum perveni, ita ut ingenti aestu paene sim dissolutus. Caetera incommoda taceo. Hoc vero facilius me delusum esse fero, quod id haud aliter eventurum mihi ante animus praesagiret. Nondum tamen velim asserere quid in posterum sint facturi, ex quorum nutu ut totus pendeam cogit necessitas. *Varro* quidem et *Pellizarius* [3]) hisce incommodis potuissent occurrere, quibus hoc negotium erat demandatum a *Lismanino*, cuius aureos, ni fallor, quingentos habet *Pellizarius* trapezita Italus. Quid obstiterit quominus pium hoc opus promoverent, ipsi viderint. Certe hanc temporis iacturam iis ascribi posse ac debere iudico. Si per occupationes liceat, D. *Varroni* haec significabis quae in hunc finem a me scripta sunt ut ansam multis calumniandi praeripiam, qui si de mea mora audiverint, in me illico sua tela convertent. Pridie quam Tigurum venissem, inde discesserant vestrae civitatis ac reipublicae faces et furiae, [4]) huc post aliquot dies, ut audio, redituri. Quid moliantur ex eventu cognosces. Dominus Iesus potenti brachio te cum suis omnibus tueatur. Vale, pastor vigilantissime et me Domino tuis precibus commendato. Tiguri vi. idus Iulias 1556.

2) *qui ergo iam Genevam se confert.*
3) servato *Br.*
4) *N.* 2464.
5) *N.* 2474.
6) *Annum suppeditat Collongii reditus ex Alsatia et Farelli iter promissum.*

2496. 1) *Petrus Statorius ex Thionville.*
2) *In Meyeri hist. Locarn. passim occurrit aliquis Guarnerius Castilioneus, mercator et presbyter ecclesiae.*

2497.

FARELLUS CALVINO.

Varia affert, pro more minus lucide exposita sed satis homiletice. Calvino insidiae struuntur. Rex adeundus pro libertate piorum. Humberti negotia. Muri Hierichuntis instaurati.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 117, coll. c. apographis Cod. 116, fol. 53. Epp. Bern. VI. p. 646, et Simleri Vol. 88.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis theologo insigniori fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Collega, [1]) dum in coetu essemus, priusquam absolveretur egressus est ut sese appararet ad iter cum *Wattevillano* qui generum laborantem invisit. Nescio istac transiet *. [2]) Hic mihi narravit, pro-

3) *Varronem ignoramus. Pellizarii fratres mercatores Clavennenses nominat Meyer l. l. 295. Fortassis etiam Turici negotiabantur, vel affinis aliquis eorum ibi quaerendus est.*
4) *Perrinianae factionis.*

2497. 1) *Libertetus.*
2) *emendant apographa.*

fugos damnatos [3]) dudum tibi insidias tetendisse dum invisis ecclesias, sed Dominum te liberasse ne in malorum manus veneris. Hic agitur egregie pro Christo ab iis qui non gratis militare se iactant pietati, quum omnia paene sint dissipata, nullaque correctio, nemo invigilet nihilque fiat unde in viam redire debeant qui tam absunt, neque alios tandem feremus ut melius nobis agant. Malis tuta sunt omnia, bonis periculum praesens. Hic tentandus non est Deus. Habes quibus hanc committas provinciam. *Colongium* nescio an videris. [4]) Quod si factum fuerit, teque consuluerit de iis quae contuli cum eo, valde gratum fuerit.

Pius frater *Georgius*, [5]) qui agit in pago in quo cancellarius Monbelgardensis habitat, scripsit pluries ad *Sorellum*, [6]) cancellarium cupere ut tu ad *Brentium* scribas, instet apud principem *Christophorum*, [7]) ut is aut alius princeps nomine omnium qui Christo nomen dederunt Regem conveniat aperiatque quam multos perdat propter verbum, ut etiam multi alio migrent qui regno ornamento sint, consilio, viribus non parum utiles: frustra ferro et igni in evangelium ferri: non esse hanc viam, sed prius commonstrandum esse male errare eos qui plectuntur quam poenas intentandas. Si Rex velit assentiri ut quos habet peritiores cum nostris conferant, si penes illos victoria fuerit, omnes illis assensuros. Sin nostri, non ita pergant obstinate persequi veritatem sed locum dent. Quin optabat te ad *Christophorum* et *Georgium* huius gratia scribere. Ego non modo ut scribas peto, sed huius gratia lubens eo concederem. *Albanum*, [8]) qui nuper venit, sperarem negotio non parum posse conferre, et si quem iudicares istic aut Lausannae idoneum. Mihi non possunt ita obstrepere parum nobis faventes, quum soleam pro fratribus sublevandis Germanos rogare. Ego tuum consilium exspecto, teque huius gratia adiissem, sed aestus maiores, ut alia taceam, me remorantur. Cupiebam te hic videre cum *Vireto* in nuptiis, [9]) quas non dubito tuo conclusas consilio. Adesse debet *Beza* et *Colongius*. Ita omnia opportune sese offerebant. Tibi timerem a calore vehementiore, ne addam perditos quos malus agit daemon. Sed qui omnia moderatur pro nobis stat: frustra improbi laborant, tantum sibi perniciem accelerant.

Bibliopola [10]) tandem magno fructu ad Christum migravit. Constanter ad extremum usque spiritum Christum fassus est. Noster *Humbertus* [11]) pergit laetus, satiusque ducit cum tam sancto periclitari plebe, quam citra praesens vitae discrimen, imo etiam leve periculum, versari cum iis qui parum curant vel iuvant evangelium. Cui sane illam invideo felicitatem quam ipsi maiorem opto et mihi parem.

Quam horrendum est videre rursus erigi muros Hiericho, ea quae detestanda sunt in evangelio, quae ne pontificii quidem ferrent. Mirum sane monachos sine abbate non posse agere, olim habebant superstitionis, nunc profusionis erigunt. [12]) Videat Dominus et prospiciat, medeatur exsectis ad vivum tam deploratis.

Petit noster *Hubertus* * libros aliquot qui apud *Dommartinum* sunt. Existimo hunc eos excepisse apud te vel *Bellamgardam* asservandos donec istinc avehi petat. Gaudeo uxorem cum filia incolumes eo pervenisse. Christus omnes servet pastores et plebem sanctam, non tantum illic verum ubique * pii sunt, et quae piis adversantur prorsus compescat. Galliae misertus benigne adsit. Vale bene teque serva ecclesiae Christi, et quanto plures insurgunt tanto magis fretus ope ducis potentius hostes profliga. Sed vide ne telis *Senalis* laedaris. Dignus est Antichristus qui Senales habeat milites, ut impanatus Deus Wesphalos, ut de aliis taceam qui se ipsos conficiunt, nec possunt quidquam in eos quos impetunt. Cupio ex animo omnes salvos, quos recensere per abitum huius non licet. Neocomi 12. Iulii 1556.

Tuus Farellus totus.

---

3) *Perrinum et consortes.*
4) *Qui ergo ex Alsatia redierat.*
5) *V. d. m. in ditione Mombelgardensi, ut videtur. Simlerus eum Lewerer nominat. Cancellario nomen erat Taureolus s. Oechslin.*
6) *N.* 2391.
7) *Ducem Christophorum inter et Regem tunc temporis frequentiores negotiationes transigebantur, maxime de militibus auxiliaribus in Galliam mittendis. Videbatur ergo aliquid pro evangelicis obtinere posse. Quae sane spes irrita fuit, quum a.* 1557 *dux frustra ad Regem scriberet. (Barthold, Deutschl. u. d. Hugenotten* 199. *Pfister Hz. Christoph.* 397. *Kugler* II. 42.) *Qui infra laudatur Georgius ducis patruus est.*
8) *N.* 2493.
9) *cuiusnam non liquet.*
10) *Parisiensem fuisse coniicit Simlerus.*
11) *qui ministerio apud Waldenses fungebatur N.* 2432. 2455. 2478.
12) *sic!*

2498.

BERALDUS CALVINO.

Duos pueros a Calvino sibi commendatos cum reliquis quos instituendos apud se habet qua maxima poterit diligentia diriget.

(Ex authographo Cod. Goth. 404, fol. 789.)

Sanctissimo et doctissimo viro patri et patrono suo unice observando D. Ioanni Calvino.

Genevae.

S. Belle profecto et pueris qui ad me missi sunt et mihi praeceptori futuro consuluerunt ii qui abs te literas ad me impetrarunt. Etsi enim constitueram aperto ludo literario aequam omnibus pueris quos erudiendos suscepissem operam navare, non ut inde quaestum aut gloriam referrem, sed ecclesiam Domini pro ea facultate qua me donavit iuvarem, tua tamen commendatione factum est, ut non tantum plus velim quam antea, sed etiam praestare possim, usque adeo certe ut non monuisse me aut impetrasse a me aliquid, sed multa mihi attulisse literis tuis videaris. Equidem is sum qui in eam potius partem peccavi semper mihi ipsi ut diffiderem, quam ut quidquam superbe arrogarem. Sed nunc audeo polliceri, te hortante nihil difficile, nihil arduum videri. Dicam tamen quod res est, tua autoritate mihi iniectam esse sollicitudinem, ne nimium posthac diligens aut rigidus in me meosque discipulos sim. Quoties enim animum subibit tui recordatio (subibit autem nullo non tempore), ut aliis satisfaciam, mihi ipse non satisfaciam. Nullum mihi acrius calcar esse potest tuo iussu. Nam quemadmodum nihil accidere optatius possit quam si me complectaris, sic haud scio annon mori me satius sit quam commisisse ut mea culpa aut vitio a me alieneris. Itaque praeter Theodorum *Bezam*, cui ego me ipsum debeo, et D. *Viretum*, assiduos hortatores et consultores, tu ipse absens me exstimulabis. Tantorum autem virorum monitu quis tam ferreus est ut non moveatur?

Sed alias plura. Haec quum scriberem accersebar ab humanissimo viro nuper episcopo *Montis Albani*, [1]) commendatus * a *Vireto* et *Beza* credo, ut duos liberos suos mihi committat, quos ego tuis duobus commilitones adiungam. Habeo et duos alios. His sex (nam plures nolo) informandis totum me devovere est animus. Dominus noster Iesus Christus conservet ecclesiam tuam et te ecclesiae tuae. Vale, Christi minister fidelissime. Lauzannae 15. Iulii 1556. Salutant te plurimum *Viretus* et *Beza* hodie Neocomo et Orba reversi.

Obsignabam literas quum me invisit Claudius *Molinius* nuper minister Tunonensis classis. [2]) Is voluit salutem tibi ascribi suo nomine.

Tuus, ut semper ex quo Christi mihi veritas innotuit, sic in perpetuum semper futurus,
F. Beraldus.

2499.

VIRETUS CALVINO.

Praeter alia nonnulla agit de lite sua cum Bertellerio et de iniuria uxori suae illata.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 53.)

Insigni Christi servo D. Ioanni Calvino fido Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae plurimum observando.

Genevae.

S. Reliquimus Neocomi *Collongium* qui brevi nos huc sequuturus est. Rogat te ut primo quoque tempore literas pares ad ipsius profectionem necessarias, easque huc transmittas, quo maturius iter arripere possit. De profectione quam *Farellus* cogitarat, collatis sententiis ac bene expensis quae tu scripsisti, censuimus omnia in aliud tempus reiicienda, donec se opportunior offerret aut quaereretur occasio. Interea cum amicis literis agendum esse iudicavimus, et tentanda omnia primum seorsim cum iis quorum nobiscum requiritur consensio, non in doctrina quidem sed in petendo colloquio. Scis enim non omnibus haec placere consilia. Sed de his alias plenius.

Mitto ad te exemplar literarum quas ad me senatus scripsit de lite mea cum *Berthelerio*. Scriptum est et ad senatum huius urbis, quantum quidem ex literis ad me cognoscere licet: sed in quam sententiam non possum nisi ex meis divinare. Scriptum erat eadem de re prius ad eundem in eam sententiam quam ex exemplari quod ad te mitto intelliges. Vides rursum quid a me petatur. Tuam cupio sententiam audire et consilium, ut saltem minus peccem si quid peccabo: quod certe, quoad eius fieri poterit, cavebo. Consulam etiam fratres priusquam aliquid respondeam. Nondum sum a senatu appellatus, quia ab urbe aberam quum *Berthelerius* literas attulit. Priores, quorum ad te mitto exem-

---

2498. 1) Jean de Lettes, évêque de Montauban seigneur de Montpézat, vendit son abbaye de Moissac au cardinal de Guise, abandonna son évêché à son neveu, et épousant en 1556 sa maitresse Armande de Durfort il s'enfuit avec elle à Genève. (*M. Lafon, hist. d'une ville prot. p.* 21. *Haag* VII. 50.) *Ce dernier se trompe en mettant son arrivée en* 1557.

2) *N.* 2073. 2092. 2210.

plar, scriptae nuper fuerant in gratiam fideiussoris. Alteras postea impetravit *Berthellerius*. Remitte ad me utrumque exemplar ubi perlegeris, sed non nisi per tutum tabellarium. Tu vero, quum ad te scribimus, vide ne literas negligas ac relinquas huc illuc dispersas, ut saepe soles. Nam quum istuc profectus sum meas saepe retuli quum sic dispersas invenissem. Scis quibuscumque* hominibus nobis res sit. Aut discinde aut collige. Scis quid mihi acciderit, quamvis nusquam nisi in meo museo unquam inventae sint. Iam propius intueor quos in illud admittam.

Salutant te *Farellus*, *Beza*, collega et caeteri fratres. Intercesserat aliquid simultatis inter meam et *Eustachii* uxorem. Uxor mea gravi erat iniuria affecta. Quum fratribus rem essem expositurus et illos consulturus praesente *Eustachio*, ille me inscio D. *Colladonium* et te (si vera narrat) consuluit super re eadem. Saltem ut de ea tibi verba faceret *Colladonius*, se scripsisse affirmavit. Non possum satis probare hanc agendi rationem. Nam quum solus causam egerit, potuit quod voluit pro arbitratu scribere. Deinde quid opus erat hac vos afficere molestia? Quod autem tu nihil ad me ea de re scripseris, facit ut suspicer aut D. *Colladonium* tibi pepercisse, ratum rem esse indignam quae te a melioribus studiis avocaret, aut te indignam iudicasse de qua ad me scriberes. Multa condonavi, et mecum uxor, pacis et ecclesiae causa. Faxit Dominus ut id simus omnes quod esse debemus. Salutat te uxor et tota familia. Vale optime ac diutissime. Lausannae 16. Iulii. [1])

Tuus Petrus Viretus.

2500.

POLLANUS CALVINO.

Fuse narrat colloquium quod a Glauburgo ad coenam vocatus ibi cum Rittero ministro Francofurtensi de controversia sacramentaria habuit et ubi ultro citroque frustra ut semper disputatum fuit. Pauca adiicit de intestinis suorum discordiis et adventu Holbraquii.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 230.)

Clarissimo theologo D. Ioanni Calvino magistro ac patri in Christo colendissimo.

Genevae.

S. P. Adventus D. *Olbrachi* fuit mihi longe gratissimus. Cuius quum nobis spem aliquam fecisses, id fuit in causa, quum diutius extraheremus electionem alterius ministri in locum D. *Richardi*, ut malevoli quidam eo nomine me criminarentur: partim quod nollem mihi collegam, partim quod nemo vellet istinc se mihi collegam adiungere. Quo magis dolebam, quum satis multi huc a vobis venirent, quod ne verbulum quidem abs te literarum accipiebam. Bene habet quod tandem venerit, quacunque id occasione sit. Nos a Deo ita credidimus adductum, ut sine ulla electione populo ipsum obtulerimus die dominico confirmandum. Attamen rogato populo num id pateretur? Itaque spero illum die dominico in ministerium asciscendum. Dominus illi suum spiritum largiatur ad sui nominis gloriam et ecclesiae salutem.

Literas tuas [1]) D. *a Glawburgo* reddidi, qui valde illis delectatus est, nisi quod impeditur partem ultimam senatoribus ostendere, propter ea quae de nostra causa adiecisti. Optaret itaque ut eadem alia epistola repeteres quam posset suis communicare. Et quoniam in ipsius et meis literis affirmas, germanicos concionatores tibi usque adeo amice scripsisse, [2]) cuperet ut una exemplar earum literarum ad se mitteres: idque omnino, si potest, ante nundinas. Valde etenim illi insaniunt. Die dominico abiere octo dies quum me D. *Glawburgus* ad coenam invitasset cum Matthia *Rittero*, [3]) qui est doctissimus omnium concionatorum. Adfuit etiam alius senator consularis D. D. Chunradus *Humbracht.* [4]) Ibi de coena Domini ante coenam habitus est sermo. Quumque is principio statim nos accusaret quod verbum purum et simplex non retineremus, e vestigio tamen ad interpretationem delapsus est (quia id imo nos facere affirmarem, et libenter appellare panem coenae corpus Domini) et voluit verbum *est* accipi pro *exhibet*. Quum tergiversari non posset, se a simplici verbo ad interpretationem confugere, diu disputatum est de analogia fidei iuxta

---

2499. 1) *Referimus ad a.* 1556. *Collongius m. Sept.* 1556 *Lutetiam profectus est, m. Iulio* 1557 *iam inde rediit. Quercetanus Lausannam m. Ianuario* 1557 *reliquit.*

2500. 1) *N.* 2484.

2) *N.* 2422.

3) *Matthias Ritterus Matthiae senioris ministri Francf. filius, inde ab a.* 1552 *et ipse ministerio adscriptus, postquam Wittenbergae studiis operam navaverat per aliquod tempus cum iuvenibus nonnullis Gallis Lutetiae et Pictavii versatus a magistratu delectus fuerat ut cum Pollano ageret quia gallice callebat.* (*Ritter, ev. Dkmal.* 418 *sq.*)

4) *Hic calvinismo favebat, ideoque diutius neglecta coena Rittero suspectus, quum ad mensam sacram rursus accedere vellet ab eodem repulsus est eique confessio lutherana imposita.* (*Steitz, Beyer.* 121.)

quam oportet omnem interpretationem fieri, multaque ibi illa cavillatus est. Nam quum ego ita demum eam interpretationem scripturarum esse analogam fidei *, quae constaret aliarum scripturarum vel testimoniis vel exemplis, ille hoc mihi negare, et eam potius affirmare analogam fidei interpretationem, quae nihil haberet pugnans cum articulo ullo fidei, imo quae conveniret. Ego laudo, et eadem ab utroque affirmari dico. Sed ille novum articulum fidei voluit suum dogma ponere. Itaque fuit petitio principii. Risit D. *Glawburgus* et negavit, quum vellet aliquem articulum fidei ponere qui non diserte sacris literis esset expressus. Rursum urgeo, ut aut simpliciter verba capiantur tumque ambo papistis cedamus, aut si interpretatione opus est expendendum utranam sit analoga fidei: illorumne qui *hoc est* interpretantur: hoc exhibet, vel: in sub cum hoc est etc., an vero nostra, quae *hoc est* interpretamur *: significat, figurat, repraesentat, in memoriam reducit etc. Nostram scripturarum exemplis confirmo. Rogo, suam similiter probet. Ibi tandem ad extremum bonus vir voluit circumcisionem esse ipsum foedus, et agnum esse ipsum phase realiter. D. *Glawburgus* rogat nunc literae obsignatae sint emptio aut donatio etc. Imo vero, ait ille et in eo perstitit. Risit *Glawburgus*. Atque imo subirasci coepit quum ego urgerem, iuxta ipsorum interpretationem adorandum Christum in pane coenae, ipse vero *Matthias* pernegaret. Ita demum conquievimus ingrediente D. D. *Humbractho*. Postea, quum fere coenam nostram absolvissemus, D. *Humbracht* sermonem de Domini coena repetiit, quumque aliquamdiu de analogia fidei egissemus, illi *Matthiam* errare prorsus iudicarunt, et quum ego nostram interpretationem non solum scripturae exemplis, verum etiam tota ratione salutis nostrae a Christo procuratae *, illi fortiter coepere *Matthiam* urgere. Nescio quo incidit, quum viderem illum ita praefracte et obstinate sua defendere, ut omnes intelligerent iam illum non pro veritate sed pro gloria certare (id quod diserte illi dicebant), rogavi num Christus homo esset creatura: anne creaturam aliquam putarent infinitam, immensam etc. Ibi bonus *Matthias* mihi insultare: Has loquutiones esse indignas christiano ore: Christus homo est creatura: se ab illis abhorrere. Ergo, inquam, ita loquamur: Corpus Christi est creatura. Crede mihi, diu ille tergiversatus est, vixque tandem aliis dominis etiam urgentibus extorsimus ut creaturam esse fateretur. Quum autem ex eo colligeremus ipsorum ubiquitatem et immensitatem corporis Christi vanam esse, ille confugit ad unionem personalem utriusque naturae in Christo, qua fieret ut ubicunque esset deus ibi esset homo. Ego nego id ita verum esse ut ille putat. Affirmo tamen fidelibus omnibus praesentem ubique esse Christum deum et hominem, quia fide illum, quanquam ad dextram patris supra omnes coelos sedentem aut stantem, ubique non solum intuentur, sed etiam loquentem audiunt et consolantem ac vivificantem sentiunt. Ac proinde quibuscunque non ita praesens est Christus in coena, nullam illis coenam Domini salutarem esse posse. Quemadmodum Paulus ait coram Galatarum oculis propositum fuisse Christum crucifixum, ita quotidie a Deo natum, passum et mortuum, resurgentem, sedentem ad dextram patris, in verbo inque coena fidelibus proponi. Non autem hanc praesentiam posse ullo pacto percipere illos qui fide carent: quanquam iuxta illorum doctrinam non solum praesens illis esset, verum etiam ab illis ederetur et in ventrem etiam deiiceretur corpus Christi, id quod alienum et procul esset a mente doctrinae Christi atque ipsius dignitate. Quum hoc is negaret, contraque affirmaret, Christi corpus aeque in coena accipere et manducare, quanquam indigne, infidelem quam fidelem, ego additis aliis rationibus ex verbo Dei petitis obiicio tandem verba *Lutheri*, qui in enarratione evangelii in festo corporis Christi sic ait: Quae verba omnia eo tendunt quod sacramentum indigne sumi potest, sed hic cibus de quo hic Dominus loquitur nunquam indigne accipi poterit. Post multa ille tacebat adeoque visus est plane herbam dare, ut ipsa uxor *Glawburgi* cum aliis rideus diceret: Bene habebit tandem, spero aliquando vos fore concordes quum non habeas quid respondeas. Ego illum coepi tum obsecrare ut exemplo *Brentii* vellet nobiscum pacem colere, quanquam in eo dissentiremus: desisteret criminatione nostrarum ecclesiarum quasi Christi non essent. Si vellent illi nos apud ecclesiam suam agnoscere pro fratribus, etiamsi in eo non omnino convenit, nos omnes (cum tamen professione fidei nostrae) venturos ad eorum ad ipsorum * ecclesiam et communicaturos cum ipsis: modo illi vicissim velint ad nostras ecclesias accedere et nobiscum communicare, ut tollantur scandala quae illi iniecerunt, quaeque tandem in eorum capita recidant. Negat ille. Ergo, inquiunt domini, cur illis non assentiris quum tua defendere non possis? Pacem tibi offerunt etiam cum tua opinione: tu vero recusas et vis indicta causa damnare. At scriptum est in curia nostra: Audiatur pars altera. *Matthias* nescio quid germanice murmurabat: se abituros. Ego tum intellexi dominos respondisse, (quantum ego germanice possum) hoc se potius passuros quam ut damnaturi sint homines indicta causa, qui praesertim nihil magis expetant quam iudicium. Ibi *Matthias* intelligens se accusari quod colloquium nostrum refugeret: Ita, inquit, nam inde nihil boni: quis enim erit iudex? Quis, inquam, nisi magistratus? Quum hoc contemneret laudare coepi senatum quod prae caeteris Germaniae haberet multos eruditos, et ut

nulli essent in eis eruditi, facile tamen illos iudicaturos utra pars sua scripturis confirmaret. Negat. Tum ego illi iudices nomino quibus stare sim contentus, si sibi illos velit pati senatus adiungi. Nam sine senatu a nemine velle me hic iudicari. Nomino D. *Philippum* et D. *Brentium*, si huc accedant et cum aliquibus senatoribus aut toto senatu audiant et cum illis iudicent. D. *Glawburgus* pollicetur sumptuum bonam partem: idem D. *Humbracht*, seque id impetraturos a senatu. Sed *Matthias* refugit. Ibi desii. Nam quum nolebat me fratrem agnoscere, neque ecclesiam nostram Christi ecclesiam, neque potui extorquere ut nos Christianos agnosceret. Tantum voluit Zwinglianos dici. Tum coepere illi cum eo germanice agere et multis verbis increpare. Deinde de baptismo excitatus est sermo ab ipso D. *Humbracht*, qui hactenus a nobis dissentiebat. Obiicit ipsemet *Humbracht* verba Christi ad Nicodemum. Quibus quum tuam interpretationem obiecissem, noster *Matthias* nihil habuit quod diceret, nisi se non videre qui posset afflictae conscientiae consolari * in morte liberorum qui sine baptismo decessissent. Ego, fateor, hic incandui, quum antea semper quam placidissime fuissem loquutus. Itane, inquam, docetis ecclesias vestras ipsam veram rationem salutis? Si hoc faceretis non esset labor in huiusmodi casibus illos consolari. Ecce, inquit ille, nostras ecclesias damnat. Non damno, inquam, ecclesias vestras: absit. Sed vos damno, aut saltem vestram negligentiam, ne quid durius, qui non plenius et clarius vestris hominibus in quo sit salutis fundamentum tradatis. Et coepi hic utrumque prolixa oratione rem demonstrare: et sacramenta tantum obsignacula esse docui, non quibus salutem consequamur sed quibus cum verbo nobis salus testatior fit, ut credentes illius participes efficiamur. Alioqui, si vera nostra est doctrina, sola fide salutem nos assequi, sacramenta nihil prosint absque fide. Si baptismus salutem confert, quid respondebis Anabaptistis qui negant ideo pueris baptisma, quod illi quid fiat non intelligunt, tantum abest ut ex eo fructum aliquem possent percipere? Ibi conspexi D. *Humbracht* nobis assentiri. Coepit enim et D. *Glawburgus* deinceps cum *Matthia* agere. Ego vero conticui. Et extractum est colloquium in secundam noctis. Discessimus itaque, et boni domini spem faciebant illos fore mitiores. Sed proximo die dominico plus quam antea nunquam insaniit Petrus *Gheltnerus*,[5]) nostram doctrinam appellare diabolicam etc. adeo quod suis bilem adversus ipsum moveret.

Vide, mi domine, quam familiariter tecum. Nolui enim haec te latere quibus spero delectaberis. Utinam liceret exarata describere. Sed vix vacat relegere. Multa aliaque plura ascripsissem, si vacasset totum colloquium noctis illius repetere ac tibi exponere. Nihil de causa ista dubito. Utinam tantum quinque aut sex e nostris insanire desinerent. Ecce biduo post, quum ego abessem, tres illi a coena abstenti, * quum nulla ratione nobiscum velint reconciliari, libello supplici nos apud senatum accusant.[6]) Quibus hodie respondere cogimur. Illi quamvis pauci turbant tamen ecclesiam et priorem illam causam multum gravant. Dominus illis det mentem meliorem. Sed nolo pluribus de illa causa tecum. Malo etenim pati quam litigare, si fieri ullo modo posset. Scripsi nuper de instituto D. *a Lasco*, de scripto videlicet quo simul omnes testemur, nostram doctrinam de sacramento coenae haudquaquam adversari confessioni Augustanae, neque etiam ullo verbulo Apologiae aut colloquii Ratisponensis postea condemnari posse. De eo vestram sententiam, tuam scilicet et D. *Bullingeri* cupimus ut edi ante nundinas possit. Rogamus ne graveris quam primum tuam sententiam nobis indicare. Deinde exemplar epistolae nostrorum concionatorum ne praetermittas, et responsum ad eorum calumnias de baptismo et suo regno. Puto nostros seniores rescripturos.[7]) Nam non decet ingratos esse tibi pro tantis laboribus. Attamen si forte non absolverint ante boni huius viri abitum, condonabis. Ex illis et D. *Olbracho* caetera cognosces. D. *a Lasco* multis alio scribendis literis ita est occupatus ut vix tuas legerit. De illius actis apud principes alias scripsi. Te quam amantissime salutat. Salutant te quoque nostri omnes, et uxorcula mea salutem reprecatur plurimam. Saluta, obsecro, meo nomine, fratres omnes, quorum et tuis precibus me semper esse quam commendatissimum cupio. Dominus Iesus te suo spiritu semper magis ac magis augeat et tueatur adversus omnes Satanae insidias, ad sui nominis gloriam et ecclesiae aedificationem. Raptim Francofordia 16. Iul. 1556.

Tuus observantissimus discipulus et filius in Christo.
Valerandus Pollanus.

Velsius [8]) huc heri appulit. Quid agat tibi postea significabo. Rogo mihi condones hanc scriptionem. Ego semper abs te diligi cupio.

5) *Geltnerus fuit ministerii Francof. senior, pastor ad S. Bartholomaei. Natus Bambergae, Lutheri discipulus, a.* 1536 *ex Erfordia Francofurtum vocatus obiit a.* 1572. — *Solus fuerat qui se ad Interim accomodarit. (Kitter l. l. passim.)*

6) *Recruduerat, ut vides, adversariorum Pollani hostilis invidia.*

7) *Si revera rescripserunt literae deperditae sunt. Etiam Holbraci nullae exstant hoc tempore scriptae.*

8) *Justus Velsius M. D. Haganus, iam olim Pollano*

2501.

L'ÉGLISE D'ANVERS A CELLE D'EMDEN.

Les membres de l'église d'Anvers font part à ceux d'Emden des troubles éclatés dans l'église française de Francfort et les engagent à prier Calvin de s'y rendre en personne.

(Archives de l'Eglise wallonne d'Amsterdam. Une copie de l'original nous a été transmise par les soins obligeans de M. le pasteur F. H. Gagnebin.)

A noz tresaymes freres de leglize francoyse.
A Emden.

La grace et paix par Jesuscrit soit avec nous.

Treschers freres et bons amys Nous rendons graces a Dieu des bonnes nouvelles quavons journellement de lunite et concorde qui est entre vous Non seullement nous mays aussi tous noz freres voysins des villes de pardeca Lesquelz ont veu aucunement lordre et amitie qui est entre vous dont ne scaurions asses suffisament rendre graces au seigneur des grandes graces quil fayt a son eglise Luy priant par sa misericorde infinie parachever ce quil a commence en vous. Et dautant quavons cause de nous resjouyre de vostre dicte unite, Aussi au contrayre avons occasion grande de gemir et plourer de ce que Sathan sefforce tous les jours de mettre trouble et discors entre noz freres en leglise de Franquefort Car journellement nous oyons desrappors et plaintes pitoyables de ladicte eglise Et mesmes puys na gueres on nous a fayt raport Quilz ont refuze le mariage a aucuns freres desquelz lon avoit bon tesmognage de leur vye et conversation, et ce a cause dun edict quilz ont fayt que nul contrat de mariage ne se feroit en ladicte eglise sans y appeller presens les ministres ou aucuns des anciens. Et aussi avons entendu par gens fidelles quilz ont deffendu que nul ne porra demander ou alleguer aulcune proposition en la profesie [1]) lesquelles chozes nous samblent contrevenir directement a la parolle de Dieu, et seroit mettre sur le doz des freres ung jouc pire que papistique. Et qui plus est avons entendu et sommes certains Quilz ont deffendu la communion de la saincte cene du Seigneur a aucuns freres desquelz avons tousjours heu bonne estime voyre mesmes aucuns desquelz ont habandonne leur vye pour le tesmognage de Jesuscrist Lesquelz sont telz que povez congnoistre, comme M^e^ Jaques *Lespagnol*, Remys *Belevant*, [2]) Symon *Judas*, Grant *Noel*, Augustin *le grant* et Francoys *Le Clerc*, sans les autres desquels les noms nous sont incongnus dont sommes mervelleusement esbays, et plusieurs scandalizes, sans encore plusieurs autres rapors qui journellement surviennent Tant de lambition du ministre que de ses supostz: en telle maniere quilz nous ont escript que vucillons divulguer leurs lettres playnes de troubles aulx autres eglises Ce que navons vollu fere: desirans que lesdicts troubles fussent ensevelis plustost que les reveler. Et affin que congnoissiez myeulx les afferes vous envoyons icy une lettre qua este envoyee a ung de noz freres dung lequel scest retire par dela pour fere quelque fruyt et comme Il dict est sorty de la grant Babillonne pour entrer en une petite Avec autres propos comme verrez en sadicte lettre Parquoy freres tresaymes voyans Sathan avoyr mys tel trouble et fayt une telle playe entre noz freres delaquelle nous sentons la douleur Nous avons par ce dun commun accord estez esmeuz a vous escripre et advertir de ces chozes. Affin que vous et noz freres de Vesell nous soyez en ayde conseil et consort en cest endroit pour tellement remedier par bons moyens que tous lesdicts troubles avec Sathan soyent mys soubz les piedz. Et pour ce fayre Nous a samble bon que vous au nom de nous tous avec conference de nosdictz freres de Vezell, eussiez a escripre une Lettre a M. *Calvin* et a leglise den haut enlaquelle supplierez humblement ledict M. *Calvin* qui Luy plaise se transporter audict Lyeu de Franquefort [3]) pour Illec par bons moyens remedier ausdictz troubles lesquelz auguementent tous les jours et ont trop long tamps duré a nostre tresgrand regret et de toute leglise de Dieu. Parquoy est choze tresnecessayre Sil playsoit audict seigneur luy mesmes en personne se transporter audict lyeu de Franquefort. Car quelque lettre quil ayt escript et tant de gens de bien qui sen sont mellez que bien congnoissés ny ont peu prouffiter avons espoir avec layde du Seigneur que si ledict M. *Calvin* y estoit en personne et ayant ouy les causes des deulx partyes y porroit mettre bon remede Que tout seroit a la gloyre de Dieu et auguementation

---

familiaris (*N.* 577). *Salig* II. 1140 *fallitur quum dicit eum a.* 1560 *Francofurtum venisse, oblitus scil., disputationis inter eum et Calvinum Francofurti habitae, de qua ipse p.* 1121. (*Frankf. Rel. Angel.* II. 107, §. 16.) *Fuerat nuper Coloniae professor, ubi tamen propter religionem in vincula coniectus fuerat.* (*Bayle.*)

2501. 1) *Sur cette institution particulière dans ces églises réformées voyez:* Lasco, Forma ac ratio ministerii eccl. in peregrinorum ecclesia. Fr. 1555 (*Kuyper* II. 101): Ratio prophetiae . . . . ut in ecclesia excuterentur et approbarentur omnia per mutuam locorum e scripturis collationem quae in totius hebdomadis concionibus videri poterant vel non recte vel non ad plenum omnino fuisse explicata.

2) *ou* Belenaut.

3) *Il y alla en effet au mois d'Août.*

de son eglise. Et apres quaurez rescript audict M. *Calvin* porrez envoyer ledict escript ausdictz freres de Vezell pour Illec le soubsigner Et quiceulx apres avoyr ce fayt le nous envoyeroint pour icy aussi le soubsigner et lenvoyer puis apres audict Seigneur esperant que le tout auroit bon succes. Cependant chiers freres vous prions quavec nous vueilliez fere prieres au Seigneur pour ladicte eglise affin que Jesuscrist regne paysiblement partout Nous recommandans tousjours aussi a voz sainctes prieres Comme aussi nous avons souvenance de vous. De Capernaum le 16. Juillet 1556. par les vostres humbles freres dudict Lyeu lesquelz bien congnoissés.

2502.

HALLERUS BULLINGERO.

Negotiationes cum Genevensibus usque pendent, variisque de causis animi ad compositionem minus proclives, maxime etiam ex Regis edicto de non exportanda annona.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 224. — Simler. Vol. 88.)

Clarissimo viro D. Henrico Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino et compatri honorando et carissimo suo.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Genevense negotium pendet adhuc [1]) et quo magis cupimus consociari eo magis dissociantur animi. Ad petitionem Genevensium nostri diem dixerant Paterniaci ut ageretur denuo de renovando foedere, et iam lecti erant legati: sed nescio qua de causa Genevenses denuo venire recusaverint. Interea accidit aliud. Gallus propter fruges nimio aestu solis deperditas mandavit in vicinia ditionis nostratum atque etiam passim alibi per regnum, ne quae fruges e regno evehantur et divendantur. Metuit enim ne annonae gravis sequatur caritas. Nostri hoc aegre ferre, utpote ad quos ex ditione illius plurimae fruges invehi solebant. Scripserunt itaque ea de re ad Regem. Rex amice se excusavit non alia de causa se hoc fecisse quam propter caritatis metum. Nostri ergo suis quoque prospicere cupientes interdixerunt in Sabaudia vicissim ne quid frugum extra suam ditionem evehatur. Genevenses, de suo corio ludi existimantes, mox diffamarunt nostros, quasi propter ipsos hoc edictum fuerit evulgatum. [2]) Nec dubito quin ad vos quoque aliquid huius rumoris pervenerit. Sed revera tantum hoc Regis edictum occasionem dedit ut nostri hoc sancirent, Genevensium nulla facta mentione. Quum ergo Genevenses apud senatum quoque nostrum ea de re conquererentur, facta est illis declaratio qua puto ipsos fore contentos. Sic nunc res habent. Interea feruntur varia, sed nescio quam certa, de consiliis regis de occupanda Geveva. Item Cardinalem *de Guysen* creatum esse episcopum Genevensem, ut hac occasione insidiae ipsis parentur. Sed nihil certe hic affirmare possum. [3]) Metuo ne contingat ipsis quod Constantiensibus. Nos vero quidquid ipsis contigerit, velimus nolimus, eodem aut forte etiam preiori involvemur malo. — — — — — —

Bernae 24. Iulii 1556.

I. H. tuus.

2503.

BULLINGERUS CALVINO.

Hortatur ut ad pacem conciliandam precibus apud Deum agant pacis studiosi, quum alia via iam proficere non posse videantur. Vermilius in Pellicani locum suffectus iam adest. Lutheranorum in Germania furiae principibus placent. Lascus cum Brentio colloquutus est, sed frustra.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 117b, olim Scrin. C. Epp. Tom. 2, fol. 332. — Exstat quoque in Cod. Genev. 107a, fol. 88 et ap. Simlerum Vol. 88.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori, domino colendissimo et fratri honorando et caro meo.

S. D. Diu nullas ad te, honorande frater, literas scripsi, diu nullas a te accepi vicissim. [1]) Sed certo scio, nihilominus me diligi a te. Nam et ego te

---

2502. 1) *De fugitivis et foedere renovando. Paucissima praebet Ruchat* VI. 185 *sq.*

2) *Et fortasse non sine causa. Hallerus Bernensis, quantumvis mitis iudex, tamen a suorum partibus stat.*

3) *Vani erant rumores quibus tamen fides Genevae habebatur propter statum rerum inter utramque rempublicam minus faustum.*

2503. 1) *Mireris eum N.* 2492 *nondum accepisse. Scribit hic plura quae Calvinus dudum resciverat, de Pellicani successore, de Lasco, de Levero.*

colo et diligo in Domino. Sed et anxius sum perpetuo, dolens nihil in reparando foedere effici posse a piis. Non deesset nostris voluntas, si opportunitas adesset. Nunc quum nihil possim in re apud multos desperata hactenus converto me ad preces, certus fidelibus precibus a Deo omnipotente impetrari omnia bona. Dominus concedat magistratui vestro spiritum et Bernatibus quoque animum qui utrinque velit aequa et bona. Orate vos quoque Dominum. Quod vos facere nihil dubito. Dominus res ecclesiae suae ita fere temperat, ut quum videatur nimium fere tribuere hominibus, a se ipso procul abactis omnibus hominibus suspendat.

Mortuus est optimus senex *Pellicanus* noster, quod te alias audisse nihil dubito. Vocatus est in locum eius D. *Petrus Martyr*. Nam is, quum rediisset ex Anglia, amice se mihi obstrinxit. Venit autem ad nos xvii huius mensis sanus et incolumis et exceptus est publico omnium gaudio. [2]) Nam et concordibus votis electus est. Dominus benedicat nobis et velit hoc nobis felix esse et faustum.

Ex Germania habemus multa de Lutheranorum furiis. Principes diligenter cavent in reformandis ecclesiis, ne ullus admittatur orthodoxus, sed Lutherani duntaxat quaeruntur. Optimus et sanctissimus vir Ioannes *a Lasco* contulit cum *Brentio*, sed ad finem colloquii audio Principem hortatum ut recipiat vel agnoscat confessionem Augustanam et suam peregrinam ecclesiam coniungat cum Germaniae ecclesiis etc. Annon hoc futurum praedixeram? Si mille instituantur colloquia, frustra agemus cum istis. Experientia probabit. Interim non despero. Spero enim Dominum opportunitatem aliquam commodius agendi daturum. Oremus et hic Dominum ne nobis et toti Germaniae desit. Rursus nobis pugnandum audio ad nundinas proximas. Dominus Deus noster adsit nobis. Anglos, *Leverum*, et socium eius tibi commendo. Salutabis eos ex me. Accepi eorum literas sed nunc respondere non potui. Vale cum omnibus fratribus et cum tota ecclesia. Dominus Iesus servet vos omnes et te in primis diu nobis incolumem tueatur. Salutant te et tuos nostri omnes. Tiguri 26. Iulii anno 1556.

Bullingerus tuus.

2) *Argentoratum reliquerat d.* 13. *Iulii. Turici Bullingerus eum hospitio excepit usque dum Santerenzianus cum eius supellectile et libris advenerit.*

2504.

SBOROVIUS CALVINO.

Gratias agit de epistola sibi scripta et saepius scripturo optima quaeque officia pollicetur.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 70.)

Praestantissimo ac eximio viro D. Ioanni Calvino amico ac fratri in Christo carissimo.

Plurimum me delectarunt literae tuae, [1]) vir ornatissime, tum ob id quod me ad fidei puritatem, cui me ultro propensum scribis, horteris, tum vero ob insignem tuam pietatem, qui me literis tuis alioqui tibi incognitum praeterire nolueris. Res profecto tuo officio digna, mihi vero gratissima. Ego vero in hoc totus sum ut non solum evangelii puritatem non repudiem, quinimo eam cupidissime expetem. * Tibi vero si quando vel saepius ad me scribendi facultas dabitur, me literarum tuarum compotem facias velim, tantum abest quod hanc sedulitatem improbare ausim. Ego vicissim pro tua in me humanitate me cum omnibus meis tibi dedo. Sic enim statui omnes meos conatus eo pertrahere quo Dei gloria exigerit. * Quod ut perficiam Deum rogabitis, qui suo spiritu te et regat et nobis incolumem diu tueatur. Vale, vir ornatissime. Datum Stebnitiae xxviij Iulii anno Domini M°. D°. L° VI°.

Martinus a Sborow [2])
Pallatinus Calissiensis Schedloviensis
Octalanoviensis etc. manu propria.

2505.

CALVINUS BULLINGERO.

Quum exsules Genevenses in conventu Helvetiorum scriptum contra senatum protulerint cupit edoceri quo modo ibi excepti sint, ut deinde Genevenses publica responsione se ab istis calumniis purgare queant.

(Autographon exstat in Cod. Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 26. Alia exemplaria reperies in Epp. Bern. Tom. VI. pag. 520 et 561, in Cod. Genev. 111[b], fol. 3, et ap. Simlerum Vol. 88. Inscriptio desideratur. Anglice versa legitur in ed. Philad. III. 286.)

2504. 1) *deperditae.*
2) *Zborowski, illustris gens.*

S. Qui has literas tibi reddent homines probi sunt et integri, apud quos tuto licebit deponere quidquid me scire voles, per negotia vero minus commodum erit literis complecti. Ambo mihi familiares sunt amici: alter tamen, cuius sororem *Budaeus* noster habet uxorem apud me frequentior. [1]) Quia ex viduitate acerbum moerorem contraxerat, hortatus sum ut vos inviseret. Quod enim sciebam pridem optasse, speravi mediocri fore solatio ad leniendum dolorem. Etsi non tacui alio quoque spectare meum consilium. Nam quum certo constet urbis nostrae exsules ac damnatos nuper in proximo conventu helvetico aliquid molitos esse, [2]) quomodo excepti et quid adepti fuerint tamdiu nescire perquam nobis molestum est. Scriptum quidem legimus atrocibus in senatum nostrum probris, sed aeque putidis mendaciis refertum. Verum hoc scire cupide appetebamus numquid spes illis data fuerit, vel eorum criminatio a civitatum legatis audita. Et quanquam repulsam qua digni erant non absque ignominia et ludibrio reportasse confidimus, suspensa tamen exspectatio nos valde anxios tenet. Quare haec cupide a me arrepta fuit occasio ut nos de tota actione eiusque eventu certiores hic amicus faceret.

Alia etiam ratio me ad hanc profectionem urgendam magis impulit, quia cordatissimus quisque ex senatu tam indigna flagitia cuperet refelli, tentandum vero nihil censemus absque consilio. Consul autem vester pro sua prudentia optime quid factu operae pretium sit uno verbo expediet: pro sua autem erga nostros benevolentia hoc officium praestare non gravabitur. Visum fuerat sic breviter praefari: Ex vulgari rumore innotuisse exsules illos Badenae falso et improbe de senatu nostro conquestos esse, et tandem scriptum allatum esse ex prodigiosis nec minus futilibus mendaciis conflatum. Quod etsi non dubitet senatus noster severe pro merito a gravibus et moderatis viris esse repudiatum, persuasus etiam sit Helveticas civitates, ut fert commune ius et mutua inter magistratus coniunctio, ad cohibendam hanc proterviam potius fore propensas, quam ut criminationem a quisquiliis et nihili nebulonibus prolatam admittant: tamen non tam defensionis suae causa quae supervacua foret, quam ut suam existimationem integram servet, veram totius rei historiam bona fide proferre. Duplex autem exhibendi scripti ratio nobis occurrit. Nam legatum mitti qui Badenae causam agat, non videtur esse ex dignitate urbis. Ergo ab amicis in omnes partes exemplaria dimitti placeret cum aliqua commendatione, ut intelligeret cuiusque civitatis senatus nihil illic esse frivolum. Atque hic consulis vestri autoritas, vel etiam senatus amplissimi, in subsidium advocanda esset. Probatur tamen magis secunda ratio, siquidem vobis arrideat: hominem mitti qui per singulas urbes nomine senatus nostri exemplar unum offerat, cum literis quibus rogent nostri ut legere dignentur senatores. Nam hoc modo etiam aliqua forte responsio eliceretur. Caeterum refutatio nullius erit negotii, quia tam impudenter ac sine colore mentiri ausi sunt, ut tribus verbis ridiculos facere promptum sit. Ego in re tam seria fidem, gratiam, opem et operam tuam imploro, ut tuam et consulis sententiam amicus noster referat. Quia vero ignotus est, operam dabis ut in colloquium veniat.

De rebus nostris nuncius tibi narrabit. Collegae mei vos omnes reverenter salutant. Qui mandarunt ut hoc vobis scriberem: nobis dictum esse, nunc apud vos habitare quendam ex Lemovicum gente, quae regio est Galliae Arverniae et Petragoricibus vicina, procerae staturae hominem, barbae rarae et subrufae, corporis pleni et fusi, coloris lividi potius quam albi: a quo vos fuisse deceptos nobis dolet. Fertur enim apud vos duxisse uxorem. Quod si verum est, iam est trigamus. Quum huc venisset ante annos quinque mulierem secum adduxit quae habita est uxoris loco, donec per longiorem eius absentiam compertum est ac liquidis testimoniis probatum, alteram eum prius duxisse. Et tamen erat ex quaestuariis papae sacrificis, qui missando quotidianas operas locant. Iam vero perfidus est ac creditorum fraudator, ex quorum numero ego unus sum. Et tamen in Gallia me foeneratorem esse iactavit. Quae scribo, si vos postulabitis, curabimus publicis monumentis testata mittere. Vale iterum, praestantissime vir et mihi observande frater. D. *Gualthero* genero tuo et reliquis fratribus plurimam salutem. Dominus tibi familiaeque benedicat vosque gubernet suo spiritu usque in finem. Genevae 3 Calendas Augusti 1556.

Ioannes Calvinus tuus.

2505. 1) *Nempe Carol. Ionvillaeus cuius sororem duxerat Io. Budaeus.*

2) *Ruchat* VI. 186: Les fugitifs de Genève eurent l'audace de se présenter devant la diète des cantons assemblée à Bade au mois de juillet, et d'y produire un libelle rempli de calomnies contre le magistrat de Genève, disant qu'ils étaient injustement persécutés et chassés de leur patrie et que s'ils étaient ouïs moyennant un sauf-conduit ils convaincraient le monde de leur innocence. Les Genevois l'ayant appris envoyèrent des députés à la diète pour se justifier et informer les cantons de la vérité. Les cantons, les ayant ouïs, témoignèrent être satisfaits et jugèrent que Messieurs de Genève s'étoient conduits dans cette occasion en bons et sages magistrats, pour l'honneur desquels ils s'intéresseraient toujours. Cependant ne voulant pas absolument renvoyer les fugitifs sans leur accorder quelquechose, ils demandèrent aux députés de Genève qu'on leur accordât, par grâce spéciale, le sauf-conduit qu'ils demandaient, toutefois sans préjudice de leur honneur et de la liberté de la ville. Les députés s'en excusèrent honnêtement et les cantons reçurent leur excuse.

2506.

L'ÉGLISE D'EMDEN A CELLE D'ANVERS.

Réponse à la communication relative aux troubles de Francfort.

(Une copie qui ne porte ni date ni signature est déposée aux Archives de l'église Wallonne d'Amsterdam. Nous en devons la communication à l'obligeance de M. le pasteur Gagnebin.)

Grace et paix par Jesus Christ.

Lestude et le soing quavez de lEglise de Dieu quel nous lavons veu en voz lettres [1]) treschers freres nous a grandement resjouy et principalement de ce que desirez la paix de chacun au Seigneur qui est un argument que vivez en paix puis que tant l'aymez que vous la soubhaictez a tous autres et singulierement a voz freres. Certes a bon droit ce desir est en vous et en tous enfans de Dieu car comment naymeroyent paix ceux qui sont conjoinctz et unis en un corps et un esprit Et par quelle marque peut on mieux cognoistre les cytoyens des sainctz et domestiques de Dieu que par ce lien de paix qui est le lien de perfection comme ainsy soit que par icelle tous les dons que Dieu a donne a un chacun en particulier selon la mesure et proportion du don de Christ sont apportez et distribuez en commun a ceux qui ont un seul Seigneur une foy un baptesme Au nombre desquelz nous ne doubtons point que ne soyez et prions le Seigneur quil vous y fasse perseverer comme aussy nostre bon Dieu nous y maintient encor que Sathan tasche souvent a nous empescher mais estans aydez et secourus par vos prieres et de tous fideles le Seigneur nous fortifiera en sa paix Or comme les enfans de Dieu sont joyeux voyant la paix de Dieu florir en lEglise aussy au contraire sont ilz tristes d'ouyr que Sathan a telle puissance et force de la troubler et mesmement ou on ne luy resiste point mais plustost on luy donne lieu par mauvaises affections ambitions brigues et dissentions ainsy qu'en douleurs de noz coeurs nous l'oyons dire de noz freres de Francfort.

Vous n'ignorez pas le devoir que nous avons faict de nostre costé pour tascher de les reconcilier les uns avec les autres Mais ce a este pour neant. Au reste nous entendons par voz lettres que ceste playe seigne encor au grand prejudice et scandale des autres Eglises et pourtant que vostre conseil est auquel le nostre est conforme de cercher tous moyens pour y remedier Et dautant que de tous les remedes humains vous n'en voyez point de plus requis que de faire tant que nostre frere M. Jean *Calvin* se transporte audit lieu esperantz que son authorité y pourra grandement servir avec les graces que Dieu luy a faicte pour appaiser les discordz Nous accordons bien a vous en cela combien quil nous fait mal d'empescher un tel personnage occupé en exercices plus grands et estudes plus graves a chose laquelle se pouvoit reformer par autre moyen que par sa presence n'estoit la malice et importunité d'aucuns. Toutesfois il nous a semblé meilleur que chascune des Eglises qui luy escriroit luy escrivit a part [2]) afin que la multitude des sentences n'engendrast confusion combien que nous vous envoyons la copie de nostre lettre a fin que vous dressiez la vostre au plus pres de la forme de la nostre a fin quil ne semble que nous fassions diverses requestes. Nous trouverions bon aussy que cest affaire fut signifie aux freres de Tournay [3]) et aussy a ceux de Strabourg dautant que la multitude des lettres pourra avoir plus de force et d'efficace envers celuy auquel on escrira et quil cognoisse quel desir de paix tous ont.

Il nous est souvenu d'une chose laquelle vous ne touchez point en vostre lettre et toutesfois nous ne doubtons point que vous approuverez nostre conseil Vous savez freres que le personnage auquel nous escrivons ne pourra faire le voyage que nous luy prions de faire sans grandz frais tant pour l'aller que pour le venir et pour le sejour quil luy faudra estre la Parquoy la chose sembleroit peu civile si nous le prions d'une chose de grandz despens nous ne suppeditons chacun selon son pouvoir les coustz quil pourra faire ce qu'on pourra faire sans luy en rien escrire ains le dire seulement a celuy qui portera les lettres qui au nom des Eglises luy offrira de fournyr aux despens. [4]) Si sans nous vous y aviez proveu cela conviendroit bien a la necessite presente de nostre Eglise et priserions le faict car aussy a la verite nous sommes grandement a l'arriere de noz povres. Toutesfois a fin quil ne vous semble que nous reculions nous contribuerons volontiers pour nostre part iusques a la somme de vingt florins prians que quelcuns des vostres les advance et ils luy seront rendus aussy tost que nous en serons requis sil est besoing. Nous sommes marrys quil n'a este proveu a ce conseil de meilleure heure car nous sommes desja advancé en la

---

2506. 1) *N.* 2501.

2) *Il n'existe pas d'autre lettre écrite à ce sujet.*

3) *Malgré les persécutions il restait donc en Belgique quelques petits centres protestants. L'histoire ne fait pas autrement mention, que nous sachions, ni de l'église de Tournay ni de celle d'Anvers.*

4) *Il n'est pas probable que Calvin ait accepté ces offres. Elles prouvent cependant le dévouement de ces petits troupeaux.*

saison et si le fait n'est conduict en grande diligence il y a danger que sa venue soit reculee jusques a lautre annee Et possible il adviendra quil n'en sera point de besoing et que Dieu sans les hommes y mettra remede De quoy nous le devons bien prier comme aussy nous le prions vous conserver en telle paix et unite ensemble que voz prieres luy soyent agreables. Nous recommandant affectueusement a vous.

2507.

ZANCHUS CALVINO.

Praemissis Calvini laudibus et excusato silentio hactenus observato, quod prae modestia tantum virum alloqui non ausus sit, scholam Argentoratensem Petro Martyre orbatam suae pro Germania erudienda vocationi vix ultra satisfacere posse docet.

(Edita est in Zanchi Opp. a. 1619 apud S. Crispinum Genevae form. max. editorum Tomo VIII. p. 2, pag. 153.)

S. Credo te, vir ornatissime et mihi colendissime, non nescire quanti ego te ob tuam admirabilem et pietatem et eruditionem faciam: sed ut nescias certe mihi testis est inprimis Deus optimus *καρδιογνώστης*, deinde post *Martyrem* et *Martinengum* omnes illi qui me tam publice in schola quam privatim inter amicorum colloquia, quoties data fuit occasio, verba de te honorifice facientem audiverunt. Quod vero ad te nunquam,[1]) ut mea erga te observantia exigebat, scripserim, in causa fuit, ut ingenue dicam, quidam haud tamen meo iudicio omnino improbandus pudor, qui me homuncionem a scribendo ad virum tantum semper deterruit, et in hunc usque diem retardavit. Fui quidem saepius tuo nomine quum ab aliis permultis tum a D. *Petro Martyre* et a *Martinengo* per literas salutatus, pro qua re gratias etiam tibi semper habui et habeo maximas: caeterum nulla mihi antehac oblata occasio fuit, quae me hac in parte, alioqui timidulum, animare et pigellum concitare ad scribendum potuerit. Nunc sane gaudeo mihi datum fuisse huiuscemodi occasionem quae me ad scribendum impellat.

Quam graviter et moleste ferant omnes viri boni discessum D. *Petri Martyris,*[2]) tu potes scire etiam me tacente. Non enim nescis quam omnibus bonis esset gratus *Martyr*. Ego vero tam graviter fero ut vix sim ferendo: non certe mea tantum privata causa, sed inprimis publica totius ecclesiae. Ad hanc enim nostram scholam, ut tu optime ante me nosti, confluunt ex omnibus Germaniae partibus studiosi, qui postea in ministros verbi eliguntur. Permultum autem refert huiuscemodi studiosos initio bene in veris dogmatibus et in sincera scripturarum intelligentia institui. Quum igitur hoc optime praestaret *Martyr* noster, et eius autoritas plurimum valeret ad veram doctrinam studiosis persuadendam, vehementer doleo hominis discessum, praesertim quum videam, id quod nemo non videt, in nostra Germania ob penuriam (proh dolor!) vere fidelium et doctorum ministrorum, indies novos et diversos excitari errores, et aliquando tales quales ne ipse quidem papismus ferre potest: imo quos iam olim apertis scripturarum testimoniis a patribus confutatos legimus: ita ut ecclesiae Christi magis metuam ab huiuscemodi pseudodoctoribus et falsis pastoribus quam a tyrannis et ipso etiam Antichristo romano. Illud unum me in hoc D. *Petri* discessu consolatur, quod sciam divina providentia vocatum eum fuisse Tigurum, fortasse in hunc finem ut praeter alia ecclesiae commoda multos etiam qui in ea sunt ecclesia pestilentissimam illam (in sinum tuum hoc repono) de libero arbitrio contra praedestinationem ideoque contra gratiam Dei doctrinam dedoceat. Nosti quid dicam. D. *Petrus*, ut mihi est pollicitus, brevi ad vos usque perveniet, ut te tuamque istam ecclesiam et fratres invisat.[3]) Rogo hominem ad hunc errorem ex illa ecclesia convellendum instiges. Etsi enim per se sit animatus, tua tamen cohortatio non parum adferet momenti.

Vale, optime pater. Dominum rogo ut me sapientia et fortitudine spiritus sui donet, quo et veritatem evangelii promovere et adversariis Christi resistere queam. Video enim quantum me maneat certamen. Saluta istos pios et doctos ac reverendos tuos symmystas. — —[4])

2507. 1) *Est ergo haec prima autoris ad Nostrum.*
2) *qui Argentorato valedixit m. Iulio medio.*

3) *Quod an fecerit plus quam dubium nobis est.*
4) *Diem et consulem non adscripserunt editores. Verum quum discessus Vermilii satis recens fuisse videatur, et Calvinus ipse m. Augusto vergente Francofurtum iverit, in transitu etiam Zanchum citra dubium invisens, hanc ep. ad finem Iulii vel initium Augusti* 1556 *referendam esse credimus.*

2508.

VIRETUS CALVINO.

Prima mentio negotii Bonvillani.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 62.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino fido ecclesiae Genevensis pastori fratri et symmystae observando.

Genevae.

S. Audies de istis tabellariis quid a me *Bonvillianus* [1]) postulet et quid hac in causa metuamus. Audio multa de illo indigna homine christiano. Nihil te inconsulto tentare voluimus. Scis quos habere soleant fautores et patronos huiusmodi homines, aut verius hominum portenta. Quamobrem nobis diligentius prospiciendum est quibus rationibus ecclesias ab huiusmodi pestibus repurgare possimus. Vale. Lausannae. Iulii.

Tuus Petrus Viretus.

2509.

CALVINUS VIRETO.

Agit de causa quadam matrimoniali foro Genevensi reservanda.

(Ex autographo Cod. Genev. 107ª, fol. 142. Praebet Cod. Turret. 108, fol. 74, Cod. Bern. Epp. VI. p. 649 et Simleri Vol. 88.)

Eximio Christi ministro, Petro Vireto, ecclesiae Lausannensis fido pastori, fratri et symmystae optimo.

S. Non abs re metuis ne patronos reperiat *Bonvillanus* [1]) qui non minus nobis quam uxori molestiae facessant. Sed multae rationes impediunt, ne reconciliationis autor sim vel adiutor. Quin potius officii nostri esse existimo quoad licebit operam dare, ut ab eiusmodi monstris liberentur piae mulieres. Tantum me contineo, ne cum aliquo praetextu iactet meo impulsu divortium esse factum. Statuit ipsa, ut audio, nunquam ad eum redire. An iure et legitimis rationibus nitatur ad recusandum, postea videbitur. Sed causa hic tractanda est. Nam ut alio trahatur cognitio vix extorquebit. Nuper quum minitaretur sibi esse in animo sub tyrannidem papatus eam retrahere, obiectum fuit ab Antonio *Fromento* et Ioanne *Prevotio* pharmacopola: quid, vellesne desertor esse evangelii Christi? Tum ille: Quasi vero vestrum evangelium aliud sit quam commentum Magistri *Ioannis, fy de vostre Evangile, par le sang i'aimerois mieux estre bougre et brigand que d'en rien tenir.* De uxore vero nisi pedibus ventrem eius calcaret, horrendum in modum exsecrari: Certe si plus quam inhumaniter se tractatam esse respondeat, disceptanda hic causa erit. Iam quum nuper testimoniis convicta fuerit foetida scortandi licentia, quae per annos quatuor impune grassata est, cur non ab eo discederet? si obiiciat, sibi ab eo tempore fuisse reconciliatam, facilis est exceptio, flagitium tunc nondum fuisse compertum. Ubi vero nunc intelligit, iustam sibi discessionis causam esse, ius suum opportune prosequitur. Sed de spurcissima pecude plus satis multa. Ex paucis quidem tibi colligere promptum erit, non esse cogendam uxorem, ut rursus se exitiali iugo implicet, causam vero in aliud forum nullo modo posse trahi. Vale, optime et integerrime frater, saluta diligenter fratres meo nomine et uxorem, filiolas, reliquos denique amicos. Dominus vobis semper adsit, vos gubernet ac tueatur. Genevae Calendis Augusti quo die mihi redditae fuerunt tuae literae et eadem hora 1556.

Ioannes Calvinus tuus.

2510.

VERMILIUS CALVINO.

Iam Turici adest, gaudetque suum consilium a Calvino non amplius improbari. Pollicetur se in hac nova statione usque eadem παῤῥησίᾳ atque antea veritatem defensurum.

(Ex apographo Perizonii in Cod. Lugduno-Batavo Periz. 5, fol. 8.)

Clarissimo atque doctissimo viro D. Ioanni Calvino ministro verbi Dei fidelissimo.

Genevae.

2508. 1) *De hoc infra m. Ian. et Febr.* 1558 *plura. Nomen non ubique eodem modo scriptum. Ad annum definiendum valebit sequens.*

2509. 1) *In Actis Senatus ad* 14. *Sept. legitur:* Chauvet et Copt au nom des ministres se plaignent des diffamations de Bonville et des insolences de la dame du Crest. Le proces de Bonville se suyvra. *Vide infra Gallasium ad* 16. *Sept.*

S. D. Quod iste nuncius absque tuis ad me literis non venerit mihi plurimum gratulor, et eo praesertim nomine quod te denique sentiam consilium meum non improbare. Nam id mihi cumprimis ingratum foret si quae ago damnares. Hoc, mihi crede, quam diligentissime licuit providi ne mea quaererem. Nam si vitae commoda spectanda fuissent, Argentina minime discedendum fuit. [1]) Ideo affectum carnis me hallucinatum fuisse non puto. Quia tamen homo sum errare possem. Verum toto pectore confido a Deo emendatum iri, si quid minus recte a me commissum fuerit.

Quod vero attinet ad alterum controversiae caput, de quo hic divinas mihi fore certamen, haud nova narras. Ego quoque id praevidi. Sed in animo est a veritate fortiter stare. Placitis hominum me non obstringam, et ab illis qui minus recte sentiunt si aliquid tentari videro quo in servitutem redigar, ut Italia et Argentina discessi, ita etiam hinc abibo. Nam iis migrationibus, quibus praeter testimonia quae loquendo et scribendo veritati perhibeo, apertius testificor omnibus quid sentiam. [2]) Ad haec me confido tuis et tui similium precibus non parum sublevandum, quo docendo iusta moderataque parrhesia valeam quod verum est tradere.

De ratione docendi [3]) hodie primum hic decretum est ut eadem forma servetur quam habuimus Argentinae: nimirum ut alternis hebdomadis agamus, ego ac *Bibliander*. Ille perget in prophetis ut coeperat, ego vero mea hebdomada historicos libros V. T. interpretabor, auspicaborque a priore Samuelis, quandoquidem Argentorati librum Iudicum absolvi.

Allatus est Lipsia liber novus Ioachimi *Camerarii*, [4]) quo figuras et mutationes loquutionum in N. T. indicat, ibique obiter de eucharistia ostendit ut male sentiat. Adiunctus est catechismus graece conscriptus, [5]) et ibi similiter in capite de coena Domini graviter perstringimur. Spero, Deus aliquando respiciet de coelo et videbit. Valeas, vir Dei, et in Christo felicitur vivito, atque quum animi tum oris tui atque styli fructus videas. 3. Aug. 56. Tiguri.

Tui studiosissimus
Petrus Martyr.

2510. 1) *Erat canonicus ad S. Thomae et minora fortasse stipendia Turici merebatur.*

2) *sic.*

3) *Schmidt p.* 191.

4) J. Camerarii Notatio figurarum orationis in apostolicis scriptis *L.* 1556. 8. *Sunt scholia satis copiosa in locos selectos ad ordinem textuum. Edidit postea similes annotationes in Evangelia Acta et Apocalypsin. Quae vetere titulo Notationis figurarum servato duobus voll. in* 4. *prodierunt L.* 1572.

5) *De natalibus huius catechismi non bene constat. Catalogus bibl. civ. Turicensis recenset edit. a.* 1553. 8. *Feuerlinus bibl. symb.* 375 *sq. sub N.* 81 *et* 83 *duas profert s. a. Etiam ap. Langemack, hist. catech.* II. 266 *frustra accuratiora quaeres. I. G. Walch, introd. in ll. symb. p.* 618 *annum* 1562 *habet. Fusius de h. libro agit G. Veesenmeyer, Nachr. v. einigen kat. Schriften Ulm.* 1830, *p.* 155 *et a. indicat* 1563 *sed dubium. Abest ille catechismus ab edit. a.* 1572 *modo laudata; quam Vermilius hic affert non vidimus.*

2511.

BULLINGERUS CALVINO.

Refert quae exsules Genevenses in comitiis Badensibus egerint petierint et obtinuerint, et sententiam suam exponit de modo quo contra eundum sit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 129, olim Scrin. B. Epp. Tom. 30, fol. 316. Bullingerus adscripsit: *Negotium exsulum Geneva eiectorum.* — Simler. Vol. 88.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori domino meo honorando et fratri carissimo.

S. D. Optimi hi viri [1]) per triduum amplissimi domini Consulis [2]) adventum (nam in agro erat dum venirent) exspectare coacti sunt. Hodie demum alter ex eis D. Carolus *Ionvillaeus* per me vocatus literas [3]) obtulit, ac ego quae videbantur necessaria ad hanc rem adieci. Quid autem audierit *Carolus* et quid acceperit responsi, ipse referet melius quam ego scripsero. Ut tamen illis quoque, pro meo in vos studio, aliquid addam, ita habeto.

Missi sunt a proscriptis vestris legati Badaenam ad comitia Helvetiorum, inter quos et *Perrynum* fuisse, si recte intellexi, audio. Admissi vero et auditi sunt pro more. Illi multis causam suam egerunt. . Summam * eorum, quantum mea potest complecti mediocritas, ea fuisse apparet: Recitarunt se maioribus ortos praestantioribus, facultates possedisse mediocres, et quosdam ipsorum etiam in magistratu constitutos semper ea egisse et quaesiisse quae incolumitatis fuerint communis. Atque eam ob rem iniquius tulisse quum viderent magnam Gallorum turbam non modo confluere Genevam, sed recipi etiam. Metuisse enim ne inter hos malae fidei homines reciperentur, qui aliquando exitio reipublicae forent, aut certe cives superantibus Gallis

---

2511. 1) *A Calvino ipsi commendati* (*N.* 2505).

2) *Haabii.*

3) *Turicensium patrocinium s. mediationem postulantes in causa Genevensium contra fugitivos.*

eiicerent. Quod quum non dissimulare potuerint, pro fide sua in patriam incurrisse se Gallorum odia et *Calvini* in primis. Atque eo tandem recidisse rem ut sibi fuga consulere fuerint coacti. Dum enim tumultu excitato a quibusdam quidam essent coniecti in vincula ac torquerentur, ut fateri cogerentur exsules esse autores aut participes et complices seditionis, nisi et ipsi in carceres duci et causam agere in tormentis voluerint, in fugam fuisse impulsos. Fugisse ergo vim, non iustam cognitionem: ac per amplissimos dominos Bernatos multa fuisse tentata, si audiri possent accusati aut reconciliari, sed nullo cum fructu. Interea vero ipsos manere extorres, omnia ipsorum bona ipsis erepta in manibus et iure magistratus teneri. Et quidem nonnisi adactos summa necessitate venire questum de his apud amplissimos Helvetiorum ordines. Quumque a multis temporibus Helvetia habita sit pro asylo miserorum et domo iustitiae, in quam recepti sint oppressi iniuriis, denique et asserti, ipsos modo comparere in legatorum conspectu, ac obtestari, ne miseris et oppressis inique desint, sed sublevent potius ac curare velint ut causa ipsorum legitime discutiatur, atque adeo aditus et discessus Geneva pateat, donec ipsorum innocentia omnibus innotescat.

Haec propositio quum plerisque legatis nihil iniqui videretur continere, sed duntaxat iustam causae discussionem petere et iudicium aequum postulare, voluerunt proposita in recessus ipsorum conscribi et referri domum, ut singulae respublicae quid facto opus sit consultent. Caeterum exsules ista intelligentes significarunt moram hanc ipsis fore gravem, quum plerique sint inopes, ac plus aequo diutius suis rebus caruerint, et aere alieno gravare se cogantur: petere ergo ut haec res maturetur. Ita factum est ex commiseratione ut plerisque visum sit, statim atque legati domum venerint, hoc negotium magistratibus proponant, atque hi protinus, si velint legatos mittere et causam ipsorum apud amplissimum senatum Genevensem agere, id quidem literis Bernam perscriptis significent. Ignoro autem quid Bernam perscriptum sit. Suspicor autem plerosque consensuros in legationem mittendam. Unde vobis necessarium erit dispicere, si quid fiat, quid commode respondeatis Helvetiorum legatis. Fortassis ita daretur vobis occasio rem ita ut gesta est enarrandi et excusandi vos, illorumque demonstrandi res gestas. Caeterum quum nihil certi constet de mittendis legatis ac 20 Septembris rursus sint Badenae certo celebranda comitia, praestaret si prius excusatio vestra mitteretur legenda singulis cantonibus, in hanc aut meliorem formam conscripta: Audire vos exsules Badae questos esse quasi ipsorum causa hactenus iuste nunquam fuerit discussa, atque ipsi contra fas et ius sint eiecti: ea re vos iuste commoveri, ut et ipsi quid ab ipsis actum sit et vicissim a vobis exponatis. Moneo autem ne prolixam conscribatis historiam, sed quantum fieri potest brevem, quae tamen rem gestam complectatur. Videretur quoque operae pretium si et Galli qui Genevae sunt et ipsi breve scriptum componerent quo se excusarent, se non esse homines malae fidei et perniciosos reipublicae, uti accusantur ab exsulibus. Si vero etiam legatum mittere placeret amplissimo magistratui Genevensi, qui iret Badam ad comitia, non inutile et indecorum videretur si ex Gallis vir honestus et primae autoritatis se coniungeret legato senatorio. In parandis autem scriptis maturare oportet. Aequum autem ut, si ex recessibus quae sit velut accusatio exsulum contra magistratum audiunt, vicissim legant vestrorum excusationem. Inutile propemodum videtur futurum prudentioribus in comitiis demum ad 20 Septembris velle per legatum excusare, quum ex prioribus comitiis iam ad singulos magistratus adversariorum querelae pervenerint. Praeterea variant et mutantur fere legati, ut priores non veniant etc.

Haec in tui gratiam, optime vir, domine honorande et frater colendissime carissimeque, scripsi paulo copiosius. Reliqua ex optimo viro *Carolo* intelliges. Impostor ille[4]) deprehensus et agnitus aufugit protinus, alioqui truncatus fuisset capite. Ea de re intelliges plura ex affine et fratre meo *Gualthero*. Ora pro nobis perpetuo Dominum. Puto *Martyrem* ipsum copiose scribere. Salutant te fratres omnes. Saluta tu omnes symmystas et fratres. Dominus Iesus servet te et liberet nos ab omni malo, concedat pacem etc. Tiguri 5. Augusti anno 1556.

Bullingerus tuus.

2512.

VIRETUS CALVINO.

De rebus Valdensium, de negotio cum Bonvillano, de lite cum Bertelerio.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 64.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino.
Genevae.

S. Nunciatum est mihi vos literas accepisse de crudeli regis decreto adversus fratres Inalpinos ad *Brissiacum* misso. Qui haec nunciavit nunciavit praeterea ad te venisse medicum regis Poloniae, qui regis

4) *De quo Calvinus N.* 2505.

nomine polliceretur, non solum hospitium fratribus illis Valdensibus, sed et vitae multa alia subsidia, si in regnum Poloniae migrare vellent. Vereor ne haec ficta sint, maxime hoc posterius. Prius illud metuo ne nimis verum sit. Si quid habes de iis rebus facito nos primo quoque tempore certiores, ut melius cognoscamus qua ratione commodius precibus causam fratrum iuvare possimus.

Legi tuas literas de *Bonvilliano.* [1]) Gaudebo si utrinque hoc portento liberemur. Tantum metuebam, quia mihi causa ignota erat, ne in hac temporum iniquitate viam inveniret qua utrisque molestus esset. Qua certe in re me non erat habiturus patronum aut adiutorem. Libens a me literas ad uxorem extorsisset, sed frustra hoc tentavit. Non sum enim tam facilis ut causam mihi non cognitam agendam suscipiam, maxime quae ad vos pertineat.

Salutant te uxor et domestici omnes. De causa *Berthelerii* nihildum scripsi. Vixdum habeo quod certo statuere possim in tanta consiliorum varietate, eaque fratrum et amicorum. Cupio equidem rectam tenere viam: sed quum utrinque multa afferuntur quae insignem haberent speciem, nescio plane utrum futurum sit utilius ac consultius. Scio id utilius et consultius futurum quod Domino magis probabitur: sed quid illud sit nondum possum certo cognoscere in hac sententiarum diversitate. Hoc unum scio: utrumlibet e duobus eligam, me non posse hominum effugere reprehensiones. Tu meis literis non respondisti, quia suspicabaris fortasse me non sequuturum consilium. Tu saltem commenda me Domino precibus, qui non solum consilium certissimum dare potest, sed etiam efficere ut sequar.

De novo iure falsa mihi renunciata erant. Non aliter habet causa quam ut a me fuerat *Bezae* narrata. Vale optime ac diutissime. Lausannae 6. Aug.

Tuus Petrus Viretus.

2513.

SCARCZOVIUS[1]) CALVINO.

Ut aliquatenus tanti viri humanitatem remuneretur narrat ei quaedam recens facta ex Polonia, tam exquisita latinitate illustrata ut vel huius causa digna sint quae legas.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 55.)

Eximio ac praestantissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo domino mihi semper honorando.

Genevae.

Regnum Domini nostri Iesu cristi regnet in cordibus nostris in secula seculorum, amen.

Pudet me ad d. v. [2]) scribere in tam longinquas partes cum meo turpisimo latino: sed amor ille quem habeo contra d. v. ipse est in culpa qui me ipse compulit ad hoc ut scriberem quod eciam non sum dignus ut d. v. legat meas literas, sed hoc bene scio quod d. v. neminem spernit, qui illam humanitatem in d. v. inveni quam vix poterat invenire quam ego eloquere non possum. nescio quid novi ad d. v. deberem scribere tantum uflantos qui latine dicuntur livones illi depercuserunt episcopum suum qui erat frater germanus ducis prusie: legatus ille *allogisius* [3]) aepiscopos veronensis qui vult polonos percutere gladio contra illud mite gladium tuum in vaginam o sed illis nihil faciet, et qui in vanum laboraverunt contra polonos. iste legatus est aepiscopi cum abbatis et alliis sacrificulis et diabolo patre illorum. Tum convertit se econtra ad iudeos [4]) non sicut sanctus paulus ad gentiles qui facit comburere tres iudeos qui noluerunt dicere quod sanguis exivit ex pane confosso vel ex deo farenaceo et posuerunt uno iudeo picem in bucam quod noluit dicere falsum tunc iudeus mortuit. ecce miracula domini papae. De domino *lismanino* nihil d. v. scribo scribat solus qui habet etatem et me meliorem ingenium et bonum latinum melius quam ego sed nescio si erit tam promptus ad d. v. scribere: tantum hoc quod non libenter illum vident nostri episcopi archiepiscopi et omnes misatores etc. libenter illum facerent quartum crucifixum omnia libenter describerem cum bono animo sed non suficit mihi latinum. rogo propter Deum parcat mihi d. v. si aliquid male scripsi quum ignorancia excuset pecatum. Cum his cupio d. v. bene valere cum tota domo d. v. in longa tempora propter ecclesiam cristi. Ex ivanovice x. augusti anno domini 1556.

vestre dominacionis humilisimus servus
stanislaus Scarczowsky
polonus.

2512. 1) *Vide N.* 2508. 2509.

2513. 1) *Vir alioquin ignotus. Sedebat, ut videbis, in eodem loco quo et Dluska, cuius sequitur epistola, et apud quam tunc temporis delitescebat Lismaninus.*

2) dominationem vestram.

3) *Aloysius Lippomanus.*

4) *Hoc factum esse in synodo Loviciae congregata, quam ipse cum archiepiscopo Gnesenensi convocaverat, testes sunt Lubien. p.* 76 *et Salig* II. 603.

2514.

DLUSCA CALVINO.

Pie et modeste respondet gratias agens pro literis sibi scriptis.

(Ex autographo Cod. Genev. 107, fol. 175.)

Doctissimo ac piissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo fratri et amico observandissimo.

Gratiam et benedictionem a Deo patre per Iesum Christum R. d. t. ex animo precor etc.

Eum esse christianae necessitudinis ardorem, qui nihil sibi non licere, nihil non audere putat, praesertim erga domesticos fidei, vel ex tuis literis cognovi, vir eruditissime. Etenim licet tibi nunquam cognita fuerim, me tamen tuis literis [1]) et tua hortatione ad pergendum in studio christianae palaestrae dignam existimasti, quod e tenebris plus quam cimmeriis emergentem lucem evangelii amplexa a falso ad verum Dei cultum, frendentibus interim atque illius hostibus multa minantibus, audacter atque adeo intrepide deficere non dubitaverim. Illud autem tibi non parvo argumento fuisse dicis, quod filios meos istuc maternae interim teneritudinis oblita mittere malui, ut a teneris annis cum sanctis moribus puram imbiberent pietatem, quam illos domi retinendo negligere. Verum sane libenter atque ex animo feci, illud quidem quod hominis verę christiani atque sincere Deum colere cupientis, hoc autem materni eiusque puri amoris officium esset, semper arbitrata sim. Equidem consultius mihi fore existimavi filiis ad tempus carere, quam illos postea (quod equidem nollem) non absolutos et omni ex parte in christiana pietate institutos perpetuo domi retinere. Confido autem meam hanc erga lucem evangelii audaciam et erga filios christianam sedulitatem indies auctam * iri, quod ad magnificandam gloriam Dei et ecclesiae vires corroborandas utrumque facere videatur. Restat autem ut tibi immortales gratias agam, vir praestantissime, pro tuo hoc erga me affectu christiano, cui quum imbecillior sim quam ut respondere possim, daturam me tamen sedulam operam scias, ne in me quod ad animum gratum atque adeo vere christianum pertinere videbitur aliquid sis desideraturus. Dominus Deus te nobis diu sanum et incolumem servet, vir doctissime. Ex rure nostro Iwanovicae die 15. Augusti 1556.

R. d. t. tanquam soror addictissima
Agnes Dluska de Mirow.

2514. 1) *N.* 2367 *sola est quae exstat, haec vero non recens.*

2515.

CALVINUS GUALTHERO.

Commendat ei puerum quendam Genevensem Turici educandum; tum attingit causam impostoris qui in utraque civitate perpetrato facinore fuga poenae se subduxit; denique narrat incendium summi templi fulmine tacti.

(Ex autographo Cod. Turic. F. 42, olim VII. fol. 53. Versio anglica III. 289.)

Ornatissimo viro et fideli Christi servo D. Rodolpho Gualthero Tigurinae ecclesiae pastori fratri et symmystae colendo.

S. Pater huius pueri, a quo literas meas accipies, est quidam homo senatorii ordinis apud nos: sed quia non admodum est opulentus filium istuc cuperet exiguo sumptu et discendae vestrae linguae et bonis simul literis dare operam. Etsi autem invitus tibi molestiam exhibeo, fugere tamen non potui quin hanc commendationem amico promitterem. Rogo igitur, quoad tibi commodum erit, ut puerum consilio regas et gratia favoreque tuo si opus erit iuves. *Frisio* [1]) nostro scribere supervacuum duxi, modo puerum meo nomine commendare ne graveris.

Nebulonem illum, [2]) qui tam scelerate vobis imposuit elapsum esse doleo. Neque enim quocunque venerit easdem fallendi artes prosequi desinet. Periculum etiam est ne ad papatum reversus, sicuti mos est transfugis, multa in fratrum nostrorum perniciem machinetur. Nam quod timuistis ne quid invidiae exteris hominibus crearet hoc exemplum, certe ut nunc cognata tua liberetur scelus illius et perfidiam necesse erit patefieri. Impunitas autem longe plus offensionis pariet quam si ad supplicium tractus foret. Caeterum, quia res non est vobis integra, testimonium accipies a scriba senatus nostri [3]) quod ad obtinendum divortium abunde sufficiet. Utinam in officiis amici tibi probandis laetior se posthac materia offerat. Quidquid tamen acciderit in quo meam operam desideres, semper paratam reperies.

Proximo die Lunae [4]) turricula, quae super

2515. 1) *M. Ioannes Fries cum Seb. Guldibeck ludum puerorum ad summas aedes (Grossmünster et Frauenmünster) Turici moderabatur, utérque de schola sua optime meritus. Frisius sexagenarius obiit a.* 1565.

2) *N.* 2511.

3) *Roseto.*

4) *d.* 10. *Augusti. Cf. Ruchat* VI. 185. *Archinard, les édifices religieux de Genève p.* 263. *Cf. infra Gualtheri responsum N.* 2524. *Periculum multo maius fuit quam vel Noster hic refert. Sic enim habet Rosetus ap. Archinard l. l.:* Là se trouverent une disaine de bons compagnons qui comba-

summum templum alte eminebat in formam coni, fulmine paulo infra fastigium percussa triste et formidolosum per quatuor horas spectaculum nobis praebuit. Neque enim restinguendi incendii propter altitudinem et angustias ulla erat ratio. Ergo fuit exspectandum donec culmen ad quindecim cubitos vel plures sponte decideret. Reliqua pars deinde tota conflagravit usque ad basin quadratam in qua erat horologium. Clementer autem nobiscum Deus egit, quod visus est superfluam duntaxat illam altitudinem abscindere. Nam magna industria nec minore animo incubuerunt permulti ad opem ferendam. Diceres tamen incendium fuisse certo artificio temperatum, ne partem ullam cum iactura attingeret. Vale, ornatissime vir et mihi ex animo colende frater. Dominus tibi semper adsit, spiritu suo te gubernet, labores tuos benedicat, familiam tueatur. Saluta meo nomine *Zwinglium* levirum, D. *Wolphium*, D. *Frisium* et reliquos. Genevae 15. Augusti 1556.

Ioannes Calvinus tuus.

2516.

IONVILLAEUS BULLINGERO.

Ex itinere Turicensi feliciter redux gratias agit de benevolentia qua ibi exceptus fuit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 244. — Simler. Vol. 88.)

Ornatissimo viro D. Henrico Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori fidelissimo.

Tiguri.

S. Facit illa incredibilis tua humanitas, vir ornatissime, qua me alioqui tibi incognitum nuper excepisti,[1]) et singularis etiam benevolentia qua me tam facile complexus es, ut nisi omnium ingratissimus haberi et esse velim hanc scribendi opportunitatem nullo modo praeterire possim. Accedit et meum illud promissum, quo abs te discedens merito tibi meam fidem obstrinxi, quum me saepius ad te scripturum recepi. Hoc igitur quidquid est literarum pro tua humanitate boni consules. Vix enim quod scribam occurrit. Nolui tamen apud te nunc tacere. Unum ut intelligas velim: *Carolum* tuum ex animo agnoscere et profiteri ingenue, se tibi primum, deinde omnibus tuis collegis et quotquot viri boni agunt Tiguri tantum debere quantum hominem hominibus vix debere fas est. Quod ut re aliqua tester aliquando, utinam mihi a Domino concedatur: sed interim me totum vobis addictum ubique praedicabo. Iam quod ad reditum nostrum attinet scias nos sanos ac salvos a Domino huc reductos fuisse, et quatuor diebus et dimidio sequentis iter confectum idque sine ullo periculo, quod timeri poterat: licet non sine molestis caniculae caloribus, qui nos siti propemodum enecarunt. Literas tuas[2]) a me redditas ex responso intelliges: et scriptum illud,[3]) quod memoriae causa mihi dederas, nostro *Crispino* explicatum, qui te plurimum salutat. Ille duo exemplaria Consensionis et utriusque defensionis D. *Calvini* ad te mihi dedit quae idem D. *Calvinus* tibi reddenda cum his literis curavit. Aliud quod addam in praesentia non habeo nisi quod me plurimum tibi et tuis precibus commendo. Omnes amicos qui sunt istic salvos esse cupio. *Budaeus*[4]) mihi carissimus et tui studiosissimus te reverenter et alios omnes salutat. Quod facit etiam *Iacobus* ille noster, qui mecum apud vos erat. Vale, vir ornatissime et mihi perpetuo venerande. Dominus tibi semper adsit tuosque labores benedicat. Genevae 18. Calend. Septemb. 1556.

Carolus Ionvillaeus tibi addictissimus.

Quum obsignare vellem has literas aderat hic domi nostrae praestantissimus ille ac nobilissimus Marchio *a Vico* tui amantissimus qui, ut intellexit me eas tibi mittere, pro sua singulari modestia petiit ut suis verbis te salutarem. Id eo libentius me facturum respondi, quod te homini quam optime cupere certo sciam. Accipies igitur eam salutem quam tibi a Domino precatur ex animo.

---

tirent ce feu de grand courage et hardiesse. Les tisons tomboyent tous ardens et allumez sur leurs testes et la haulteur et difficulté du lieu estoit pour les precipiter en toutes façons si Dieu ne les eust merveilleusement preservez comme il fit, et toute la cité: d'autant que la munition n'estoit pas à cinc pieds loing des tisons ardents lesquels tant par force d'eau que de vin furent enfin esteints.

2516. 1) *N.* 2511.

2) *ad Calvinum, modo laudatas.*

3) *Quodnam vero, pro tempore definire non ausimus.*

4) *Ioannes, qui Ionvillaei sororem duxerat.*

2517.

FARELLUS CALVINO.

Excutit quae novissima accepit ex Francofordia et Argentorato et alia quaedam minoris momenti. Calvinum hortatur ut in illa ecclesia primo loco memorata ipse praesens pacem restituat.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 128, coll. c. Cod. 116, fol. 54. Epp. Bern. VI. p. 651 et Simleri Vol. 88.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis theologo insigniori, fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

Nescio quid fiat, ut quanto magis *a Lasco* laborat, tanto minus pacis affulgeat, sed supra modum miror amentiam eorum qui cum *Brentio* faciunt, qui corpus Christi cum divina natura confundit, ut quidquid Deo competat corpori tribuatur. Sed quid non facit obstinatio quae nulla ratione dimoveri potest a falsa quam quis mordicus tueri decrevit opinione. Miramur Anabaptistas perditos. Quis hos non dixerit magis insanire? Christus tam magno malo medeatur.

Valerandus aliud nobis suis et aliquot inscriptis nominibus quinque, ni fallor, scribit quam *Crispinus* retulerit, [1]) nec satis convenit cum tuis ad nos. Sane vereor ne *Valerandus* parum valeat ad pacem et aedificationem. *Hobraquius* tantum scribit se exceptum ab *a Lasco*, de aliis ait rationes afferri a partibus quae commissae sunt, quibus non facile patet, quae aequior, quae iniquior sit. Ita sua utraque pars agit, ut suam causam approbet, alteram vero damnet. Ecclesia quum scissa sit, neutra parte cedente et Germani pastores urgeant negari Christum, si corpus immensum et ubique non sit ut divinitas ipsa immensa est, nec ullis claudi locis possit, timeo *Hobraquio*.

Rursus audio *Alexandrum*, [2]) cui non adest amplius *P. Martyr*, animose magis quam circumspecte agere cum ecclesiae turbatoribus, inter quos qui primas tenet emissus, ut arbitror, a Caesare, nunc gravius imminet. Nam, ut audio, *Carolus*, Satanae mancipium ex professo Christi hostis, hoc unum conatur, ut exturbentur gallicae ecclesiae, potissimum in Germania, in qua tam facile suum Interim exceptum fuit et nunc quoque locum habet apud multos. Sane utrique timeo ecclesiae. [3]) Ego nullum lubens pono discrimen inter gentem et gentem, ut sacrum illud pectus [4]) nullum in Christo esse vult: sed quum videam etiam ex poeta pungere Cretenses, non possum non notare Flandros toties falsus in eis, si non fefellerit *Fallesus*. [5]) *Alexander* plene, ut accepi, sequutus est, quod receperat se facturum et plus mihi de eo polliceor quam de *Valerando*. Sed tu utrumque melius nosti, et quid expediat, nec committes quin servandis incumbas ecclesiis. Ego, si quid possem, libens adniterer.

De *Einardo* [6]) quod nihil audiat uxor est valde anxia. Nos absumus et vereor ne qui solari deberent magis turbent. Si quid habes fac resciamus: Nolumus enim nisi veris agere: ego ad *Hubertum* [7]) meum scribo, et huius rogatu ad fratres, quos servet Dominus.

Quae hic gerantur audies, si vacat, ex hoc. Pro fratre collega fuit. Bernae cum Montalbanensi [8]) egit de re quam agitabamus. Si per Bernenses et Tigurinos mitti quis posset idoneus, nec prorsus spes concidit, si qua occurrat occasio. Hodie in via accepi literas *Vireti* quibus scribit idolum crucis conflagrasse fulmine ictum. [9]) Mitto ad te *Hobraquii* literas. Quod coniiciebam video certius instare, et iam *Viretum*, quum nuncium haberem, admonueram. Te quaeso propter Christum impendas in re tam necessaria. [10]) Plura nunc non licet. Columbariae apud *Fatonem* [11]) dysenteria laborantem, qui te salutat et tuis se commendat pre-

---

2517. 1) *Crispinum, qui ipse Francofurti fuerat, statum rerum aliter descripsisse ac Pollanum, non est quod mireris. Etiam Holbracum, nuper demum munus auspicatum, decidere nondum voluisse utra pars magis approbanda sit, bene se habet.*

2) *Iam postridie Cal. Maii a consule citatus fuerat, verum demum a.* 1559 *serio impetitus est.*

3) Germanicae et gallicae Francofordiae (*Simler*). *An non potius gallicae Francofordiensi et Argentoratensi?*

4) *Paulus apostolus. Cf. Tit.* I. 12.

5) *Ludit in nomine. Fallesius tunc Argentorati commorabatur. In documento quodam in Arch. civ. asservato ad 2. Mai* 1556 *legitur:* Der H. v. Fales sei ein Graf hab auch viel gsind bei ihm aus und eingehn.

6) *Cf. N.* 2493.

7) *N.* 2432. 2455. 2478. 2497.

8) *N.* 2498.

9) *De incendio turris S. Petri v. proxime praecedentem Calvini. Hoc loco vides ipsam crucem istis suspectam, imo exosam fuisse ut superstitionis symbolum. Rosetus ap. Archin. l. l.:* Sur la poincte du clocher de S. Pierre estoit encor restee une grande croix dessus un gros pommeau de cuivre doré dans lequel Dieu fouldroya le 10. Aoust . . . . . sans autre dommage fors de ladite esguille ou estoit la croix, qui donna a plusieurs occasion de dire que Dieu avoit fait ceste oeuvre pour purger ladite Eglise de tel reliquat. *Idem refert Ruchat* VI. 186 *qui addit:* Bientôt après on fit ôter une autre croix qui étoit sur le clocher de S. Germain. On ordonna au châtelain du chapitre de faire abattre celles qui étoient dans les villages, mais Berne s'y opposa.

10) *Patet has Holbraquii literas in causa fuisse cur Calvinus confestim Francofordiam proficisceretur.*

11) *qui iam multis ab annis Columbariae pastor erat.*

cibus, idem facit Ioanna Casparis ab *Hu* [12]) uxor, cuius vir liberatus a Caesare, aliam apud Gallum quaerit captivitatem. Hac 16. Augusti 1556 *Colongius* petit senatus consultum Bernensium et Genevatum, tam in *Sebastianum* quam in *Nicasium* [13]) qui valde turbant ecclesiam.

Tuus Farellus.

2518.

STURMIUS CALVINO.

Hotomanus civitate donatus est. Calvinus laudatur ob animi fortitudinem. Academia nescio quaenam notatur.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 801.)

Theologo magno viro optimo D. Ioanni Calvino.

Hotomannum tuum civitate donavimus. Rogas an placeat? Verissimum est quod scripsisti. Plane commendatione non erat opus. Etsi dolere debeo propter quotidianas tuas, non solum molestias, verum acerbitates etiam, tamen gratulor tibi, tam te omnes adversitates fortiter ferre, et quanquam id evangelio Iesu Christi gloriosum est, tamen etiam tibi a Deo brabeum tui certaminis, atque id ego et gaudeo et glorior.

Castalion rhetoricus Polus hic fuit. Me non convenit. Opinor in scholis Suencfeldianis et Falesianis fuisse et cum illis communicasse sua *ἀπόῤῥητα κακά*. Mirabiliter sibi placet illa accademia, si accademia potius appellanda est quam stultorum senum, arrogantium hominum, adolescentum petulantium schola. Sed ad te redeo. Recte vives si quod instituisti in eo perseveres, ut ne te patiaris ullius hominis aut gratia aut potentia a vero dimoveri. Vale. Argentorati 17. Augusti. [1])

Ioan. Sturmius mea manu.

12) *Sine dubio Metensis illius consulis qui a.* 1559 *tam misere periit. Vide epp. Macarii a.* 1558 *scriptas. Hoc loco Simlerus scribit* Hâ, *et emendat* A.

13) *In commentariis senatus Genevensis legitur rogatu Farelli eum inquiri iussisse in Seb. Fonselet et Nicase quendam ecclesiae turbatores.*

2518. 1) *Referimus ad hunc a.* 1556. *Hoc enim anno Hotomanus professor iuris ap. Argentoratenses creatus est, et ob eius successum apud studiosos a magistratu civitate donatum fuisse facile conieceris. Postea vero Sturmius plane aliter de eo sentiebat, maxime in rebus gallicis tractandis mirum quantum ab eo dissentiens.* (*Haag.* V. 527.) *Quae in secunda epistolae parte attinguntur nos fugiunt. An Basileam notat?*

2519.

LISMANINUS MUSCULO.

Denunciat ei scriptum quoddam Orichovii contra Calvinum et religionem et hortatur eum ut respondeat.

(Ex autographo Cod. Zofingensis I. N. 148.)

Doctrina et pietate praestantissimo viro D. Wolfgango Musculo Dusano sacras literas profitenti in gymnasio Bernensi uti patri colendissimo.

Bernae Helvetiorum.

S. Quam gratae fuerint tuae eruditissimae pariter ac piissimae literae, optime *Muscule*, pater colendissime, ex responso ecclesiarum cognosces. Illustrissimus D. Palatinus *Vilnensis* [1]) nondum rescripsit: in diem exspecto illius ad te literas. Ego post proscriptionem latito in heremo, donec videro finem, quod futurum est circa finem Septembris. Mitto tibi epistolam Stanislai *Orichovii* [2]) Rutheni, Serenissimi Regis Poloniae subditi, in qua plaustra conviciorum effudit in omnes Christi ministros, praecipue autem in D. *Zwinglium* et D. *Calvinum*. Tragoedia, [3]) quam modo agit legatus papeus cum rasis et unctis huius regni, ex hac epistola prodiit. Tuae pietatis esset, mi pater *Muscule*, huic sophistae te opponere. Quod ut praestes tota te ecclesia precatur. Saluta D. *Hallerum* et reliquos ministros istius ecclesiae, tuamque familiam a me. Deus te servet diutissime. Tiguro mittetur ad te exemplar epistolae legati papei ad Ill. Palatinum *Vilnensem* cum responso eiusdem Palatini. D. Ioannes *a Lasco* vocatus ab hac ecclesia circiter finem Octobris veniet. [4]) Ex heremo 17. Augusti 1556.

Franciscus Lismaninus tuus.

2519. 1) *Nic. a Radzivil, cf. Lubien. p.* 64.

2) *Autor Annalium polonicorum, Wittenberga, ubi studiis operam navaverat, doctrinae evangelicae semina in patriam retulit, et canonicus in Premisl factus quum uxorem duxisset excommunicatus fuit a.* 1550, *in comitiis Petricoviae celebratis de diminutione potentiae episcoporum questus, adiuvantibus magnatibus archiepiscopi Gnesenensis citationem spernere potuit. Postea Unitariorum adversarius fuit.* (*Salig.* II. 576. 694.)

3) *Iudaeorum crematio.*

4) *Bertram p.* 400.

2520.

CALVINUS LASCO.

Fragmentum epistolae qua eius consilium laudat consensum doctrinae suae cum Augustana demonstrandi.

(Exemplar ab ipso autore scriptum exstat in Cod. Genev. 107a, fol. 290. — Habent etiam Cod. 108, fol. 169, Epp. Bern. VII. p. 47, et Simler. Vol. 88.)

Domino Ioanni a Lasco.

S. Quum *Valerandi* fratris nostri literis ante sesquimensem admonitus essem, clarissime vir et observande frater, te scriptum meditari quo testatum omnibus fieret, nostram de sacramentis doctrinam a confessione Augustana non discrepare, quanquam addita erat conditio, si modo nostro id iudicio probari intelligeres, [1]) festinandum tamen non putavi, donec exemplar misisses, quod fore sperabam, vel de tuo consilio certius aliquid esset allatum. *Bullingero* interea quid parares scripsi ut esset ad consensum propensior. Scis enim nostros, postquam tot incommoda experti sunt in hac causa, non abs re esse timidos. Iam quod *Valerandus* iterum quid sentiam tuo nomine sciscitatur, equidem sine controversia mihi placet argumentum. Nam et ita res habet et inprimis utile est cognosci, nihil esse in confessione Augustana quod non sit doctrinae nostrae consentaneum. [2])

2521.

WISAMERUS BULLINGERO.

Refert quibus insulsis conviciis Westphalus adversarios suos impetat.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 117a, fol. 425.)

Reverendo patri ac domino D. Heinricho Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori ac superintendenti domino suo.

Tu vero, reverende pater, cura ut tui semper sis similis, decorum servans in lenitate spiritus, qua procul dubio multum aedificabis, aliis interim permittens ut pro dignitate tractent eum (*Westphalum*) qui etiam modestiam tuam arrodere solet publice tanquam hypocriticam, neminem non mordens ut canis rabidus. Cui conviciari lusus est: sic enim solet mirabili quadam metamorphosi ludere, ut ex generoso *Barone* polonico horridum faciat ursum, ex *Bullingero* taurum, ex *Calvino* vitulum, ac dicere: *De Bol von Zürch vnd dat Calf von Genf wie ok de Bolisch Bahr thoritten des herren weinberch gar* etc. Quae generosus ac nobilis Baro D. Ioh. *a Lasco*, ac item reverendus pater et dominus Bernardinus *Ochinus*, atque D. Ioh. *Calvinus* scripserunt in Minotaurum nostrum Westphalicum nondum videre potui. Non enim licet ista apud nos publico divendere: sed quae *Schnepfius* graeco-latinus, imo neque latinus neque graecus, sed quasi graculus (sine mente loquar) in vos evomuit, [1]) haec speciosa sunt apud nos. Iterum vale. Ex Hamburga 20. Augusti anno etc. 1556.

Deditissimus clientulus
Bapt. Ioh. Wisamerus.

2522.

CALVINUS VIRETO.

Iam Francofurtum profecturus eum in transitu videbit, an et Farellum, dubius haeret.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 143. Reperies etiam in Turretinianis Cod. 108, fol. 76, in Epp. Bern. Tom. VI. p. 654 et apud Simlerum Vol. 88. — Versio Anglica III. 291.)

Eximio Christi ministro, Petro Vireto, ecclesiae Lausannensis pastori, fratri et symmystae integerrimo.

S. Quando urget necessitas et iam *Clawburgus* mutata sententia iter meum approbat, [1]) laborem hunc fugere mihi non licuit. Senatum [2]) etiam et

---

2520. 1) *A prima manu:* etsi res ipsa absque controversia placebat, sententiam tamen proferre huc usque distuli.
2) *Hoc non nisi fragmentum esse patet. Item scriptum fuisse antequam autor consilium itineris Francofurtensis ceperit.*

2521. 1) *Prodiit eius confessio de coena Arg. s. a. et Jenae* 1556 *cf. N.* 2385. 2405. (*Hartmann, Schnepf. p.* 87. *Löscher, hist. motuum* II. 96.)

2522. 1) *Talis epistola non exstat.*
2) M. Calvin a icy propose que par grans necessite causans les different et troubles estans en leglise de Francfort

collegas meos tenuit religio, ne obstarent. Die Mercurii proximo [3]) ad vesperum apud vos ero. Utrum postea iter eligam, perplexus ambigo. Per *Farellum* si transiero, deserendi erunt comites [4]) qui ad nundinas proficiscentur, quod incommodum non parvi pendo. Sed quidvis potius quam ut *Farellum* nostrum praeteream. Rogare autem ut nobis in itinere occurrat, [5]) parum honestum esset. Nam quod profectionis socium se fore dixit non est consentaneum, ut tantum laboris exiguo profectu, neque tamen sine discrimine obeat. [6]) Pestis, ut audio, illic grassatur. Sumptus itineris erunt quales coniicere licet: molestia, quam ego reformido. Quorsum pius senex et periculis se obiiciat et sibi accersat magnam fatigationem? Vos tamen statuite, quando mihi nunc otium non suppetit, quid ei scribendum sit. Quum istuc venero, sequar quod vobis nunc visum fuerit. Si Dominus *Eusthathius*, ut spero, ad iter se accingat, [7]) iam Bernae erit antequam ad vos appellam. Ergo literas *Valerandi* et seniorum, [8]) ubi legendas ostenderis, apud te retineas, quia iam suspicor magnopere referre, ut mecum eas feram. Vale, optime et integerrime frater. De tua valetudine, ut video, colloquemur in transitu. D. *Bezae* et reliquis amicis plurimam salutem. Dominus vos omnes servet incolumes. Genevae 21. Augusti 1556.

Ioannes Calvinus tuus.

il est prie et requis de se la transporter . . . . requerans quil plaise luy donner licence et permettre faire ledit voyage *etc.* (*Reg. du Conseil.* 20. *Août.*)

3) 26. *Augusti.*

4) *Bibliopolae puta. — Senatus ipsi viaticum et apparitorem (heraut) concessit* 24. *Aug.* (*l. l.*)

5) *Farellus Genevae adfuit d.* 24. *Aug.* (*Reg. du Cons. l. l.*)

6) *Senectuti eius parcere se dicit: annon et sibi ipsi, in negotio scilicet cautius tractando quam ferebat Farelli animositas? Caeterum quod ad causam attinet qua permotus Calvinus itineri huic se accinxit, Fresenius in KG. d. Ref. in Frkf. p.* 110 *eam incognitam perhibet, Henry* III. 417 *de gallico coetu tacet et de anglicano cogitat. Fortassis etiam Iusti Velsii adventus eum permovit.*

7) *Quercetanus Flandrus erat ex Insulis, et sic unum et alterum Francofurdensium nosse poterat.*

8) *Seniorum quidem literae non exstant.*

2523.

SULZERUS BULLINGERO.

Genevenses insidiis exteris pariter ac Bernensium invidia periculis obiecti, quibus libertatis et religionis amantes omnibus modis occurrere debent.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 155, olim Scrin. B. Epp. Tom. 33, fol. 415. — Simler Vol. 88. — Inscriptio desideratur.)

S. Omnes vias tentat Satanas, non solum ad impediendum sed subvertendum etiam regnum Christi, et qua minime exspectes potissimum incumbit. Geneva nostra, insigne religionis veraeque pietatis domicilium, in periculo versatur, idque ob Galli [1]) et Pontificis machinamenta quibus huc uterque tendit, ut Antichristi abominatione denuo vastetur ea ecclesia sancta et illustris, neque improbabiliter colligitur huc etiam accedere aliquot confoederatorum ordinum suffragia, ut quos cernimus fere ardentius intentos ad evangelicae lucis oppressionem quam plerique ex nostris flagrent ad eius conservationem vel propagationem. Arbitror autem facile et Gallum et alios quoscunque *συμφράδμονας* quieturos, si duarum civitatum societas et foedus denuo potuisset coalescere. Verum quum veteratoris artificio utrinque plusculum indulgeatur affectibus humanis, fit, ut interrupta hactenus maneat copula, quam arctissimam esse, meo quidem iudicio, necesse sit, nisi necessum [2]) non est, sartam stare utriusque et reipublicae et ecclesiae incolumitatem. Aperit enim haec *διχονοία* amplissimam portam pessimis exitioque utriusque destinatis consiliis. Atque huius quidem te, mi *Bullingere*, nihil est ut moneam sollicite, qui et facile prospicis dispendium et pro pietate tua doles. Ne tamen ignorares quae hodie ex Berna a gravissimo eoque senatorii ordinis viro accepi, volui per hunc in hoc ipsum illico expeditum tabellionem perscribere, si forte libeat cum magistratu clarissimo et prudentissimo super hoc negotio conferre, quo et eius et aliorum ordinum evangelicorum autoritate, denuo tentata conciliatione urbium duarum, conatibus perniciosis occurratur. Idem ego cum nostris etiam agam citra dilationem, qui malo importunus haberi interpellator, quam parum officiosus cessator in re tanta. Commendo te gratiae Dei cum tuis omnibus. Scripsi cursim Basileae 22. Augusti Anno 1556.

Tuus S. Sulcerus.

2523. 1) *Cf. N.* 2502.

2) *sic. Lege:* necessarium.

2524.

GUALTHERUS CALVINO.

Respondet ei de puero sibi commendato, de impostore trigamo, de incendio templi Genevensis, et addit quaedam de novo Brentii scripto.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 61.)

Clarissimo viro et eximio Christi servo D. Ioanni Calvino fidelissimo Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae suo summe observando.

Gratia et pax a Domino. Puerum, qui tuis literis [1]) commendatus advenit, tum in tuam tum in patris gratiam libenter ad me recepissem, nisi familiam haberem satis numerosam, et nobilem quendam puerum una cum paedagogo e Galliis exspectarem, quem me recepturum esse ante menses aliquot illius matri pollicitus sum, quae illud abs me haud vulgari studio flagitavit. Interim quod in praesenti licuit feci qua potui diligentia. Quia enim legatos vestros adventuros dicebat, per quos de rebus ipsius certior fieri possem, illum interea domi meae agere iussi. Eius vero nomine *Frisium* sum alloquutus, qui suam operam hac in re mihi promisit, modo mediocre pretium exsolvere pater non detrectet. Erit illi optime prospectum, quia in illis aedibus non deerunt quibuscum et latinam et gernicam linguam exercere possit. Sed quum legati vestri praeter exspectationem diutius adventum suum differant, nihildum certi constitui potuit. Nec tamen praetermittendum putavi quin has ad te darem, ne patrem pueri rerum omnium plane incertum relinqueremus.

Quae de impostore [2]) illo scribis omnino ita sunt ut ais. Sed quum et rei indignitas et atrocis iniuriae dolor totum commovissent, nolui irae quantumvis iustae indulgere. Ita ergo factum est ut ille elaberetur, quem tamen Dei vindicis manus nunquam evasurum scio, nisi vere et ex animo resipiscat. [3])

Mira vero sunt quae de summi templi turricula coelitus tacta abs te scribuntur, et manifestam divinae bonitatis significationem continere mihi videntur, cuius operatione factum est ut plus terroris quam detrimenti incendium illud attulerit. Admonet nos in tempore Dominus ut nobis tuta quaeque hoc calamitoso saeculo cavenda esse sciamus. Nam simile quid octiduo postquam illud apud vos factum est, in Tigurino agro qui quinque pagorum finibus adiacet accidit. Fulmen enim coelitus in arcem delapsum cubiculum, in quo loci praefectus cum familia forte coenabat, totum percurrit, fenestras vitreas omnes contrivit, plumbum in illis liquefecit et tandem in infimam usque arcis partem delapsum disparuit, nullo prorsus vel incendio vel incendii vestigio post se relicto. Utinam ista Dei cognitionem in omnium animis accendant, ut inter tam multa divinorum iudiciorum praesagia de poenitentia serio meditemur.

Brentium de coena homilias tres germanico sermone scriptas edidisse audimus, [4]) quas nondum videre licuit, quamvis quales sint ex prioribus illius scriptis facile potest concipi. Plura fortassis per legatos vestros dabo, ubi illi ad nos advenerint. Salutem tibi plurimam reddunt quos salutabas, *Zuinglius*, *Volphius* et reliqui. Vale, virorum clarissime et colendissime in Christo frater, cum symmystis omnibus, quorum laboribus benedicat Christus Dominus, qui hactenus vestra opera non exiguo cum fructu ad ecclesiae suae aedificationem uti dignatus est. Tiguri 24. Augusti 1556. [5])

Tui observantissimus
Rodolphus Gualtherus.

2525.

SULZERUS BULLINGERO.

Denuo urget necessitatem conciliandi inter Bernenses et Genevenses foederis.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 155, olim Epp. Tom. 33, fol. 417. — Simler. Vol. 88.)

Domino Heinricho Bullingero viro praestantissimo domino et symmystae colendissimo suo.

Genevenses legati hic fuerunt. [1]) Sed quum illi nihil ulla de re praeter institutam purgationem contra exsulum calumnias vel verbo attingerent,

---

2524. 1) *N.* 2515.
2) *ibid.*
3) *Omnia quae praecedunt in autographo cancellata. Hoc loco Beza, qui hanc prelo destinabat, margini adscripsit:* Hinc fiat initium.

4) Drei Predigten über 1 Cor. XI. 1556. *Scriptae sunt evidenter respectu habito obiectionum Calvini contra dogma Lutheranorum. Cf. Salig* II. 1121. *Hartmann und Jäger, Brentz.* II. 369.
5) *Quum hae literae Genevam pervenerunt, Calvinus iam abierat.*

2525. 1) *de causa fugitivorum acturi. Cf. N.* 2511.

nihil nostri cum ipsis egerunt, qui ut sunt (nam familiariter et prolixe cum ipsis contuli) in ea prorsus sententia qua et vestri, et utrique reipublicae, nisi coalescant in solidam societatem, perniciem certam ominantur: ita exspectant quid vester senatus, quem iam norunt conscium rerum omnium, super hoc negotio tentandum esse statuat: quare velim mature aliquid agi. Ad Bernates iam quosdam scripsi et egi hic cum aliquibus ex maiori senatu, coram amicis Bernensibus acturus cum pluribus. Videntur autem et fratres excitandi quod a te etiam fieri velim, ut serio huc et publice et privatim incumbant, quo paratiores animos ad omnimodam conciliationem efficiant. — — — — Basileae 25. Augusti Anno 1556.

Tuus Sulcerus.

2526.

BULLINGERUS CALVINO.

Paucis de legatione Genevensi praemissis ex iis quae recens allata sunt ex Germania denuo demonstrat de colloquio cum Lutheranis instituendo nihil omnino sperandum esse.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 117b, olim Scrin. C. Epp. Tom. II. fol. 333. — Simler. Vol. 88.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori, domino colendissimo et fratri carissimo suo.

Genff.

S. D. Binas abs tua humanitate literas [1]) accepi, colendissime mi *Calvine*. Ex posterioribus intelligo quanti feceris faciasque illa mea officia, vobis in causa illa communi praestita. Ego vero me totum et tibi et tuis debere scio. Unde si quid posthac in vestri gratiam facere potero, me totum vobis impendam. Legati ipsi caetera referent. [2]) Nam brevitas temporis et negotia quibus distrahor, brevem in scribendo esse iubent.

Non inique fero, si a me in causa illa dissentias. Ego vero, mi *Calvine*, hodie minus spei habeo quam habuerim heri. Scio homines illos nihil mutaturos, in sententia illa sua carnali. Experieris ipse. Scribunt his diebus ad me ex aula Palatini et ex Wirtembergensi ducatu, nihil esse spei fore ut recipiatur sincera de coena Domini doctrina. Quotidie enim homines illos duriores pertinaciores et intractabiliores reddi in suo illo Lutheranismo. Missi sunt ad me tres sermones germanice scripti et excusi vulgatique a *Brentio*. [3]) Hui, quam crasse et papistice scribit hic senex theologus de coena Domini. Hic autem obsequentes sibi principes habet *Palatinum* electorem et *Wirtembergensem*, a quibus fere dependent reliqui. Unde arbitror non ambienda colloquia. Quod si vocati fuerimus ab illis, puto pro ratione temporis tentandum quod tum videbitur optimum. Illud vero non sine periculo tentat D. *a Lasco*, quod nostram sententiam vult conciliare cum confessione Augustana. Scio quando et quomodo edita sit et exhibita Caesari, quibus scripta autoribus. Nimis crassa est Apologia. Reddet se et doctrinam suam suspectam si ita perrexerit. Omnes clamabunt imprudentissime, imo impudentissime factum. Utinam ergo rem propius pensitet.

In Livonia maximum est exortum bellum. Exoritur iam cruentissimum inter Caesarem et Papam. Conscribitur in Germania miles. Speramus D. *Petrum Martyrem* [4]) magno ecclesiae bono ad nos venisse. Oramus Dominum ut rem bene fortunet. Dominus Iesus benedicat tibi et tuis omnibus. Salutant te fratres. Saluta nobis fratres et symmystas. Vale aeternum. Tiguri 28. Augusti anno Domini 1556.

Bullingerus tuus.

2526. 1) *N.* 2492. 2505.
2) *N.* 2511. 2525.
3) *N.* 2524.
4) *Cf. N.* 2510.

2527.

CALVIN AUX SEIGNEURS DE GENÈVE.

Nouvelles recueillies pendant le voyage de Genève à Bâle.

(Orig. autographe Arch. de Genève. 1250. Copies: Bibl. de Genève MS. 108, fol. 77. Berne, Epp. VI. 655. Simler t. 88. — Ruchat, VII. 336. Bonnet, II. 104. Trad. angl. III. 292.)

A magnifiques et treshonorez seigneurs Messeigneurs les syndiques et Conseil de Genefve.

Magnifiques et treshonorez seigneurs, aiant trouve icy messager seur, ie nay voulu faillir a macquiter de mon devoir. Nous sommes par la

grace de Dieu arrivez a Basle ce matin [1]) en bonne prosperite, mais nous avons laisse reposer noz chevaux le reste du iour. Ce pendant ie suis alle voir le sieur Bernard *Maior,* [2]) ancien [3]) Bourgmaistre, auquel iay faict voz recommandations. Passant a Paierne, iavois sceu des complainctes du *Moricaud.* Cest que vous aviez bien monstre quil ny avoit eu nulle raison de les condamner, pource que vous aviez prins quelques informations, faisant dire en cachete a peu de gens, apres les avoir intimidez, que *Perrin* et *Vandel* avec leurs adherens estoient meschans, et sur cela aviez fonde un proces nouveau pour produire a Bade. [4]) Vers Solleurre, le bruict court quil se doit faire grand aprest tantost apres la iournee prochaine, pour recueillir les intercesseurs. Mais ie croy que ce nest quun bruict volant, et lequel a este seme par voz fuitifz pour entretenir credit. Voz gens [5]) ont icy este, et ceste apres disner sont venues lettres de Zurik, par lesquelles iay entendu que desia ilz avoient passe par la. Demain au plaisir de Dieu nous partirons pour achever le voiage.

Sur quoy, Magnifiques et treshonorez seigneurs, apres vous avoir presente mes humbles recommandations, ie prie nostre bon Dieu vous avoir tousiours en sa grace, vous conduire par son esprit en tout bien pour le servir fidelement, [6]) et avoir vostre ville én sa protection. De Basle ce dimanche penultiesme daoust 1556.

Vostre humble serviteur
Iehan Calvin.

2528.

WESTPHALUS MINISTRIS SAXONICIS.

Praefatur diatribae suae contra Calvini Defensionem scriptae.

(Exstat impressa in eius Confessione fidei de eucharistiae sacramento Magdeb. 1557. A. iiij verso et seqq. Vide Prolegg. nostra Tom. IX. p. xxij.) [1])

2527. 1) *On avait donc mis quatre jours pour ce trajet.*
2) *N.* 902. 903.
3) aujourd'hui *Bt.*
4) *Bade en Argovie. L'assemblée des Ligues suisses devait se réunir dans cette ville, le* 20. *Septembre.* (*N.* 2511.)
5) *Les ambassadeurs.* (*N.* 2525.)
6) seulement *Bt.*

2528. 1) *Cf. praeterea Moenckeberg p.* 91*; Löscher, hist. motuum* II. 96 *seqq.; Planck* V. 2, *p.* 70 *ss. et inprimis Salig* II. 1123.

Ioachimi Westphali epistola scripta ad superintendentes et ministros docentes evangelium Christi in ecclesiis urbium saxonicarum.

Gratiam et pacem Dei in Christo Iesu redemptore nostro.

Quanquam non ignorem, viri prestantissimi et domini summa observantia colendi, satis vos occupatos esse laboribus et curis in administratione officii vestri, et oneratos malim sublevare, si quo modo possem, quam insuper gravare: tamen magna quaedam mihi nunc imposita est necessitas V. D. meis scriptis interpellandi, quae qualis sit aequis animis benigne consideretis et iustissimae petitioni meae, in causa attinente ad universam ecclesiam Christi, vestrae pietatis studium et operam accommodetis, etiam atque etiam oro. Iohannes *Calvinus,* primarius hoc tempore propugnator exsecrandi erroris Cingliani a sacramentariis totis viribus instaurati et dilatati post obitum beatae memoriae viri reverendi D. *Lutheri,* obtrusit Saxonicis ecclesiis librum quendam sub Defensionis falso titulo: in quo scribere an insanire verius et furere dicendus sit, vobis et omnibus sanae mentis iudicandum permitto. Res non eget verbis, per se satis manifesta est, quanta sit virulentia, quam rabiosa saevitia, quanta item conviciandi, traducendi et calumniandi omnia libido. Vix usquam umbra aut vestigia aliqua christianae, sive caritatis, sive modestiae, sive candoris apparent. Versus et paene singula verba exquisite singulari studio ita perfudit veneno, ut tanquam venenata iacula sauciarent, si inciderent in aliquem non praemunitum, ac aspectu ipso, ut aliquis basiliscus, interimerent. Causas insaniendi et insectandi me atrociter et contumeliose, graves scilicet et dignas signifero sacramentariorum, accipite. Ante annos quatuor in publicum dedi libellum, in quo collegi verborum coenae Domini violentas dilacerationes et corruptelas varias ad verbum descriptas ex libris Cinglianorum, tendentes quidem ad unum scopum eiusdem haeresis, sed mire tamen inter se pugnantes: idque feci eo consilio, ut quum sacramentarii effusi ex *Cinglii* schola longe lateque errorem suum disseminarent, et sparsis ubique libris latenter obreperent, seque etiam ecclesiis Saxoniae insinuarent: aliis constitutis in excubiis ecclesiae occasionem darem, vigilanter isti haeresi invalescenti occurrendi in tempore, et providendi ne quid ab ipsis detrimenti caperet ecclesia. Ostendi in eo libello (id quod ex praefatione est videre) sacramentarios magna audacia ac petulantia quidvis comminisci et fingere in depravandis verbis Christi, circumferre notam propriam fanaticis et seductoribus spiritibus, nihil firmum, nihil stabile esse in commentis istorum, praeterquam quod praefracte sibi constant in uno

errore tuendo, et fingendis subinde novis opinionibus: nihil certi inde quemquam posse constituere, si observet quam inter se autores ipsi dissideant: ideoque monui cavendos esse istos prophetas, nec vagae ac lubricae illi viae insistendum, qua multos seducunt. Hic ille malus nodus est, cui a *Calvino* adhibendus erat malus cuneus, securis etiam exacuenda, periclea tonitrua movenda et fulmina conviciorum in me eiaculanda. Obiecerunt hoc haereticis sui temporis, Irenaeus non uno loco, Tertullianus de praescriptionibus adversus haereticos, Hilarius lib. VII. de Trinitate, haereticorum esse incerta omnia et vana, invicem dissidere, non eadem de iisdem dicere, quum sint vel duo vel tres semetipsos arguere, de iisdem verbis non consentientes differentia dicere, in idem tamen blasphemiae concurrere propositum. Idem obiecit sacramentariis D. *Lutherus* in magna sua Confessione de sacramento, et in parva illa postrema edita contra *Suencfeldium*. Si illis tantis viris licuit insignire et conspicuos facere haereticos suis ipsorum notis, cur mihi idem facienti, quod illi fecerunt, reputatur pro capitali et inexpiabili peccato? Tragice vociferatur *Calvinus*, me consensus nomen arripuisse ad renovandum incendium, tantopere odisse pacem ut non alia de causa effusum sit venenum nisi quia aegre tulerim sacramentarios idem sentire ac loqui. Videte grandia mendacia et astutiam, vix tribus aut quatuor verbis a me facta est mentio Consensionis mutuae inter sacramentarios: commonefaciendi gratia tantum modo haec verba inserui in praefatione Farraginis, ex istis distractionibus et dissidiis circa verba coenae manifestis iudicari posse, qua fide scriberent consensiones suas. Quod non probavi consensum, hoc est, conspirationem in malo, nempe in errore et haeresi pertinaciter propugnanda, hoc ille detorquet in genere ad pium consensum et pacem, eoque crimine odiose me praegravat, quasi consensionem et pacem in rebus bonis ferre non possim. Eadem plane ratione quibuscunque haereticis, sceleratis et impiis conviciatoribus licebit queritari, oppugnare eos consensum ipsum et pacem, inflammare incendia, discordias, et turbas excitare, qui oppugnent haereticam pertinaciam et conspirationem. Adauget istam vanitatem alio insigni mendacio quum scribit, me hostiliter impugnare eandem doctrinam cui antea faveram. Quid mirum clarissimos viros D. *Philippum*, D. *Crucigerum* et Vitum *Theodorum* a *Calvino* pertrahi in sacramentariorum societatem, quantumvis ex professo damnaverint eos scriptis suis, quum me faciat fautorem sacramentariae doctrinae, quem eundem persequitur tanquam infensissimum illorum hostem? Quando vero favi sacramentariis? Quem fucum faciet, quem colorem inducet, ut aliquam habeat veri speciem me unquam favisse falsae doctrinae de sacramento eucharistiae, quem errorem, ut nunc, ita semper detestatus sum? Quod autem summa dissensio sit, et pugnantia in glossis et commentis, quibus verba coenae dominicae, et singulas voces, praecipue corporis appellationem distrahunt, lacerant et depravant, ne relinquant in coena veri corporis et sanguinis Christi praesentiam, illustrius et mentibus et oculis ingerunt illa ipsa, quae ad verbum descripta ex sacramentariorum libris recenset Farrago, quam ut quisquam possit negare, sitque stupendum reperiri quemquam tam vanum tam contentiosum et praefractum, qui uno verbo obloquatur veritati, luce solis radiantis in meridie clariori. Nam ut alia nunc omittam, quibus glossis vindicabit a specie repugnantiae et violenta depravatione, quod corpus exponitur pro divinitate, pro fide, pro ecclesia, quum nec divinitas, nec fides, nec ecclesia, sit tradita pro nobis, et Christus loquatur de proprio suo corpore, tradito pro nobis in mortem? In altera amarulenta insectatione tanquam gallus pruinas ardentes leviter transsilit istas depravationes, et vix uno verbo attingit. Interim aliquid responsat de aliis corruptelis, ubi putat se tenebras offundere, et tanquam sepia effuso atramento elabi posse. Adsunt ad manum utriusque partis scripta. Vos rogo, prudentissimi viri, non gravemini inspicere, conferre et diiudicare: vestro iudicio causa stare, cadere et vincere, sum paratus. Alteram autem causam fremendi et debacchandi in me praetendit, quod sacramentarios habeam pro haereticis et blasphemis: at vero viri illi praestantissimi, quos ante nominavi de haeresi eos insimularunt sicut testantur libri ab ipsis posteritati relicti. Certe D. *Lutherus* serio censuit habendos pro haereticis: cur ergo in D. *Lutherum* non desaeviit? cur non insanas et virulentas invectivas scripsit contra Vitum *Theodorum* et *Crucigerum* quum adhuc essent superstites, si tam atrox scelus ego commisi, et aculei viperinae linguae in me sunt figendi, quia scapham scapham, haereticos haereticos esse dico? Si est haeresis quod quisque eligit, astruit et obstinate contra verbum Dei et fidem catholicam defendit, natum in officina humanae sapientiae, quid prohibet, accusare et verbo Dei damnare de haeresi sapientulos, qui sua somnia et rationis placita anteponunt arcano mysterio nobis tradito a filio Dei, et ab iis propugnandis quocunque modo non desistunt? Quorsum attinet belligerari cum vocabulis, quum res ipsae notatae sub vocibus competant in autores erroribus immersos? Vera autem et praecipua causa cur irritatus et exacerbatus *Calvinus* in morem rabidi canis latrat insultat et mordet nulla alia est, nisi quod credo, et hoc pro meo modulo defendo, corpus et sanguinem Christi in sacra coena vere adesse, et distribui iuxta indubitatam veritatem verbi eius, et contrariam doctrinam *Cinglii* positam in figuris et tropis, qui inde auferunt substantiam

corporis et sanguinis Domini, reprehendo reiicio et damno: hoc *Calvino* est opprimere veritatem, et in ea opprimenda papisticam barbariem superare, profligare mendacium, et veritatem adserere. Specioso enim titulo mendacem doctrinam suae sectae venditat pro ipsissima veritate, verae autem doctrinae defensionem scelerate traducit, quod sit veritatis oppressio, plenus spiritu *Carolstadii* et *Cinglii* conviciatur, scythicam esse barbariem, docere corpus Christi manducari in coena eucharistica, et id genus conviciis disertus, irreverenter, ne quid dicam durius, effutit illa, corpus Christi vorari, ingurgitari, coelo elici, affigi pani, Christum prostitui. Haec et similia solebant isti religiosi rhetores personare, et talibus emblematis scripta sua exornare. Parum abest, quin *Calvinus* pro Cyclopibus et barbaris habeat, quicunque in his ecclesiis non adorant tanquam coelestia oracula, quae sacramentarii effundunt ex limpidis suis lacunis et locum aliquem eis concedunt in ministerio ecclesiastico, qui aliter sapiunt et loquuntur de coena Domini quam Cinglianis arridet, et contra istorum placita audent vel os aperire, vel unum ista scribere. Aliquoties mihi barbariem in uno scripto obiicit, et nostros pro barbaris despicit. Etsi igitur non solum abneget corporis et sanguinis Christi praesentiam et sumptionem in eucharistiae sacramento: dum protractus in lucem ex suis latebris fatetur se in ea re dissentire cum D. *Luthero* et Saxonicis ecclesiis, et fideles in coelum ascendere iussisse, ut carne et sanguine Christi vescerentur: sed etiam tam ecclesias nostras, quam doctrinam foede deformet ac damnet, quantum attinet ad hanc partem fidei, de qua nobis litem intendit: fucate tamen praeferens vestitum ovium venit ut amicus, venit ut pastor bonus ad ecclesias inferioris Saxoniae et Germaniae, haud dubie ea religione et devotione, qua lupi veniunt ad oves: dedicat his librum hostiliter insectantem et conspurcantem id quod edoctae Christi verbo et spiritu profitentur ad salutem religiosa fide: venit, inquam, fretus nimirum hac spe et confidentia, qui scit re explorata per suos speculatores latitare in his locis permixtos aliquot suae farinae homines impense faventes sacramentariis, et in omnes occasiones intentos, ut fores ubique sacramentariis patefaciant. Ne iocus et ludus esse videatur quod agit, obtestatur omnes probos ministros Christi et sinceros Dei cultores, ut quaerendo remedio operam dent. Remedium quaeri vult, et non agnoscit morbum suum, medicos fideles odit, persequitur et repellit, non aliter quam phreneticus aliquis furiosus. Quaerit saniorem partem corporis laedere contagio, et praetexit studium inquirendi salutaria remedia: circumspectat ubi infligat vulnera, et tamen sollicitat de adhibendis emplastris: profitetur se amplecti alacriter velle quaecunque reconciliationis ratio oblata fuerit, et tamen pergit res exacerbatas exulcerare, offensam partem inhumaniter et crudeliter tractando gravius offendere. Certe si serio agere voluisset de pia reconciliatione, longe aliter rem instituisset, confessionem suam simpliciter propositam obtulisset diiudicandam, omissa conviciandi rabie, quam rhetorico colore sub severioris obiurgationis praetextu oppalliat, licet nullam habeat idoneam causam vel mininam, cur me severius obiurget propter defensionem causae communem mihi cum tota Dei ecclesia. Quis erit, obsecro, locus, quae via ad reconciliationem, nisi ut turpiter praevaricantes prodita veritate sacrilegam palinodiam canamus, et ambobus· bracchiis amplectamur damnatum dogma ac supplices prostrati confiteamur, nos grandem iniuriam fecisse *Cinglii* sodalibus uterque * veniam deprecemur? Nullam aliam spem reconciliandi *Calvinus* relinquit, quum confidenter vobis denunciat perpetuum bellum et nostrae doctrinae hostem, dum vivit, futurum se esse minatur. Sic enim e vestigio post mentionem remedii et reconciliationis intonat, sibi decretum esse, carnalem Christi praesentiam usque ad extremum spiritum oppugnare velle. Quid restat igitur nisi ut nos ad sustinendam molem belli et hostilis oppugnationis parati simus, accincti gladio spiritus stemus in acie, nihil extimescentes formidabilem GIGANTEM PHILISTINORUM, constanter ingenue et clare edamus nostram confessionem, et quisque suo loco pro suo dono, oppugnatores acriter repellamus? Non est profecto obscura neque ignota vestra confessio, quid sentiatis quidve probetis aut improbetis in hac controversia. Non subter modium posita lucerna vestrae doctrinae absconditur, sed in propatulo lucet. Publicae vestrae conciones, item editae confessiones, praeterea sancta edicta magistratus promulgata contra sacramentarios, satis aperte testantur, quae sit vestra fides. Iterum tamen renovanda est et proferenda confessio, quum hoc tempore insidiae et violentia saeva hostium grassantium in ovile Christi pericula ecclesiae, quum pro salute populi sollicitudo et zelus pro gloria Dei id deposcant, et in hac parte praecipue caritas fraterna declaranda nunc sit erga exteros, ne patiamini falsissima illa suspicione qua V. D. infamare conantur induci, ut credant, vos ullo pacto suffragari, patrocinari, favere, aut certe non valde reluctari sacramentariis: neque providere, ne seducti pereant pro quibus redimendis filius Dei pretiosum suum sanguinem impendit. Malim quidem depositis concertationibus reconciliationem fieri, et pacem constitui, dummodo licitis iustis ac sanctis conditionibus obtineri pax sancta queat, fidei christianae incolumitate illaesa manente, ad quam me totum offero vestraeque cognitioni subiicio. Peterem a vobis ut vicini ex vestris ecclesiis convenirent, deque communi consilio ederent suam confessionem: sed scio quae obsistant difficultates quo-

minus id fieri possit mature, absque longiori dilatione et detrimento ecclesiae. Itaque non audeo importune instare. Spes iam aliqua facta est de conventu et deliberatione praecipuorum theologorum: verum quum hic quoque longior mora interventura sit, oro ne praetermittatis vel brevi aliqua epistola consensionem inter nos mutuam declarare, et toti orbi christiano testatum facere, quam abhorreatis a Berengarianae haeresis perfidia quamque vigilantes sitis in asserenda adversus depravatores catholica et orthodoxa fide. Haec petitio mea quum sit iusta in re necessaria et utili toti ecclesiae Dei, non solum nihil metuo ne mihi denegaturi sitis quod peto, sed etiam persuadeo mihi, summa voluntate vestram confessionem exhibituros esse, quum vobis in conspectu et memoria dulcissima sit illa promissio Domini nostri Iesu Christi, quod qui confitetur ipsum coram mundo, eum vicissim confiteri velit in coelis coram patre suo et angelis suis sanctis. Is verae fidei robur in constanti confessione, perseverantiam in omni pietate, patientiam in omnibus adversis, spiritu suo paracleto praestet augeat ac confirmet in nobis usque in finem. In eodem beatae vitae et salutis autore et datore bene valete, domini et fratres reverenter in perpetuum observandi, meque quam primum vestro responso dignemini peto.

Hamburgi, mense Augusto, Anno MDLVI.

2529.

VIRETUS CALVINO.

Genevae pro tempore degens cum Beza in absentis amici aedibus nonnulla ei nova tradit ex urbe, ex Lutetia et Hispania. Beza de suo pauca addit.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 198.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino fido Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae plurimum observando.

Francofordiae.

S. Aedes tuas occupavimus ego et *Beza*, in quibus regnamus et imperamus pro arbitrio. Medici de morbo bene sperare iubent, quem non existimant tam esse contumacem quin remediis cedat. Est autem eius generis ut magis victus ratione curandus ac corrigendus videatur quam multis pharmacis. Domi tuae omnia salva sunt et in urbe omnia habent ut quum ab ea discessisti. Hodie huc appulit *Enardus* Dombressonus. [1]) Ad te mittimus literas quas ipse attulit, a nobis tamen resignatas et perlectas. Ex his intelliges quomodo exceptus sit *Collongius* et quantopere *Enardi* reditum desiderent. Quoniam vero de te omnes sumus vehementer solliciti, te rogamus magnopere ut si qua se occasio offerat ad nos scribendi nullam praetermittas, quo tuum reditum exspectemus alacriores. Nos interea Dominum precari non desistemus qui tuam profectionem secundet ac dirigat, cuius ducem esse non dubitamus, utque brevi te nobis restituat salvum et incolumem cum fratribus omnibus qui se tibi adiunxerunt viae comites. Salutat te cum tuis omnibus *Beza* et amici omnes. Vale optime ac diutissime. Genevae?) Calen. Septemb. 1556.

Tuus Petrus Viretus.

Ex quo hinc discessisti hoc accidit novi quod mihi exciderat. Advenerunt duae ex intima Hispania familiae quae se huic ecclesiae coniungerent. Laudandus Dominus qui odorem evangelicae praedicationis ad illam quoque gentem diffudit quae tam inaccessa videbatur. Ex his primordiis et primitiis maiores fructus exspectamus.

Mitto ad te literas ad *Volmarium* nostrum, [3]) quas rogo ut ad eum perferendas cures una cum tuis commentariis in Acta apostolorum posterioris editionis, nisi ipse malis eum invisere, quod vehementer cuperem si satis commode fieri posset. Sin minus, rogo tamen ut aliquid ad eum scribas, ex quo intelligat tibi nihil minus quam voluntatem defuisse.

Th. Beza tuus.

2530.

GALLASIUS CALVINO.

Multa et varia nova minoris momenti collegae a Geneva absenti nunciat.

2529. 1) *Dombresson vicus est in Val de Ruz Neocomo ad septentrionem tribus leucis distans. Pichon ergo e Lutetia redux erat.*

2) *Viretum aegrotum Genevae fuisse ad restaurandam valetudinem etiam ex actis senatus ad* 31. *Aug. discimus, qui ei et medicum et medicinam suppeditavit. Videtur simul Calvini vices obiisse.*

3) *Ad quem tamen Calvinus non videtur venisse.*

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 26.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fidelissimo pastori patri et symmystae observandissimo.

S. Tametsi meae literae eo ubi nunc es pervenire non possint, tamen si in itinere occurrant gratum tibi fore existimavi. Scio enim te de statu rerum nostrarum semper cogitare ubicunque sis, ac de eo certiorem fieri velle. *Richerius* et *Quadrigarius* [1]) cum *Pontano* octavo die huius mensis in viam se dederunt eadem alacritate animi quam antea prae se ferebant. Unum tantum diem discessum eorum distulit *Pontanus*, quod torminibus subito correptus itineris laborem ferre non posset. *Martinus* [2]) Bituriges profectus est solus. Nec ullum adhuc qui Xantones adiret ei adiungere potuimus. Pedemontani fratres [3]) ad nos scripserunt bene omnia apud ipsos habere, ac quotidie promoveri regnum Christi. Mitterem ad te literas ipsorum, nisi in proximo conventu fratribus communicandae essent. Nam aliquem adhuc ministrum ad se mitti postulant, atque in *Puisium*, [4]) qui Iussiaci ludum literarium aperuit, potissimum inclinant. *Enardus* [5]) hac iter fecit ac rediit ad suos. Is nobis retulit omnia satis prospere Lutetiae se habere. Sed te iam ipsius ac fratrum literas accepisse puto. *Bonvillianus* [6]) causam suam persequutus non est, nisi quum extremum proclamationum diem adesse vidit. Tum petiit ut eius procurator in senatu audiretur, atque hanc uxorem suam esse negavit. Accersita fassa est, papisticas solemnitates observatas non fuisse quum Sedani *Bonvillianus* eam sibi desponderet, ac paucos solummodo tetes adfuisse, sed deinde Carnuti coram aliis testibus inito contractu legitimo confirmatum esse. Res tunc in dubium vocari coepit, ac legitimas esse nuptias multi negarunt, quod ea confirmatio in publico coetu facta non esset. D. *Viretus*, [7]) *Colladonius* et ego consulti respondimus, solemnitates matrimonium non facere, nec revocandum esse in dubium id cuius publicum instrumentum exstat, quodque tam diuturna cohabitatione firmatum atque stabilitum est. Nimiae etiam impudentiae esse, quum prius uxorem sibi reddi postularit, eam nunc legitimam negare. Sed de his coram.

D. *Viretus* nunc Dei beneficio meliuscule se habet, ac propediem ad suos rediturus est. Lyenteriae et febres nos semper vexant. Eae nobis *Macrinum*, [8]) Franciscum *Chamois* [9]) aliosque plurimos sustulerunt. Senatus aegrotis inopia laborantibus cibaria aliaque necessaria, non civibus solum sed etiam exteris, ultro decrevit. Putabam me tandem seorsim ac laxius paulo habitaturum. Sed exigua spes est. Quidquid enim a nobis aut publice in senatu aut privatim dici potuerit, aedes *Macrini* publica auctione vendere statuerunt. Dominus ipsos regat, ac te nobis quamprimum incolumem et salvum reddat. Bene vale, atque omnes qui tecum sunt salvere iube. Genevae 16. Septembris 1556.

Tui observantissimus
Nicolaus Gallasius.

2530. 1) *Nicolaus Durant de Villegagnon regi Heinrico* II. *a Colignaeo commendatus et cum duabus navibus in Brasiliam missus Idibus Iuliis a.* 1555 *in insulam quandam fluminis Rio de Ianeiro dicti coloniam deduxit. Postea ad admiralem scripsit novos colonos et duos ministros evangelicos sibi expetens.* Suivant ces lettres ausquelles on adioustoit foy l'Eglise de Geneve en estant requise deputa deux ministres à savoir Pierre Richer et Guill. Chartier, sous la conduite d'un gentilhomme de fort bonne volonté s'estant retiré de Geneve quelques annees auparavant nommé Philippes de Corguilleray dit du Pont (*Pontanus*), lesquels suivis de nombre de ceux de la religion qui furent contens de faire ce voyage et s'estans ioints au nepveu de Villegagnon nommé Bois le Conte qui les attendoit à Hondefleur comme chef de ce voyage departirent le 19. de Nov. 1556 en trois vaisseaux en nombre de 80 personnes en un, six-vingts en l'autre, et nonante au troisiesme. (*Hist. eccl. I.* 159). *Petrus Richer dit de l'Isle, olim carmelita et doctor theologiae fuit, Chartier nobili genere natus in Vitré. Cf. Hist. des Martyrs f.* 432. *De Villegagnono v. Grammont, Relation de l'expéd. de Charles-Quint contre Alger par N. D. de Villegaignon. Par.* 1874. *p.* 141 *etc.*

2) *Martin de Argues.*

3) *Waldenses.*

4) *Dupuis? Ibidem tunc minister verbi erat Petrus d'Aireboudouze.*

5) *Vide praecedentem.*

6) *Cf. N.* 2508. *seq.* 2512.

7) *qui ergo usque Genevae commorabatur.*

8) *Probabiliter Laur. Megret qui Magnificus dicebatur.*

9) *Senator a.* 1549. *Syndicus a.* 1551 *Galiffe, not. gén.* II. 83.

2531.

CALVINUS MELANCHTHONI.

Praesentiae suae apud Francofurdenses causa exposita queritur de ferocia Lutheranorum et amicum urget ut ad conventum de pace concilianda cogendum manus porrigat.

(Exemplar authenticum Ionvillaei manu satis festinanter scriptum reperies in Cod. Genev. 107a, fol. 144, Turretini apographon Cod. 108, fol. 78, Bernense VI. p. 657 et Simleri Vol. 88. — Ex alio codice Landeshutii in Silesia asservato edidit Dav. Schulz in ZS. für die histor. Theol. 1832. T. II. p. 2. pg. 224. Habet iam etiam Bindseil in Suppl. Corp. Ref. p. 396. Fragmentum praebet Henry III. app. 106. Versionem anglicam leges T. III. ed. Philad. 293.)

Clarissimo et reverendo viro D. Philippo Melanchthoni fido ecclesiae doctori et amico apprime honorando.

S. Huc [1]) me traxerant dissidia [2]) quibus ecclesiolam linguae nostrae quae hic est iam toto fere biennio laceravit Satan, ut iam ultimum fere discrimen instaret, nisi quam citissime allatum esset remedium. Ex quo urbem sum ingressus nulla respirandi data est libertas. Quasi vero parum mihi esset in hac re negotii, insanus quidam *Velsius*, ad quem bis scripsisti, [3]) novis tricis nos implicuit. Sed eius importunitati tantum biduum dedimus. In sedandis illis discordiis, quae diuturnitate temporis altas radices egerunt, assidue adhuc distringor. Itaque brevitati literarum mearum ignosces, quia dum ad coenam venirem mihi dictum est cras mane nuncium discedere. Quanquam de petenda venia minus laboro quod ex silentio tuo colligo non adeo abs te meas literas expeti. [4]) Et tamen ita persuasus sum, non modo de tua aequitate, sed de amore erga me vero et sincero, ut officium meum tibi in hac parte iucundum esse non dubitem.

Dum hic sum ex quibusdam tuis ad amicos literis intellexi quantopere te excruciet immanis istorum ferocia, [5]) qui non sine exitiali ecclesiae iactura rixis et contentionibus pascuntur. Quamvis autem quidam te privatim exerceant, tamen pro tua pietate communibus malis te gravius affici et diutius torqueri arbitror. Ergo ne diutius tanta intemperies impune grassetur, remedium quod tibi placere gaudeo mature adhibendum erit. Ac nobis conventus eo magis expetendus est quo pertinacius eum repudiant, imo quo furiosius ab eo abhorrent. [6]) Principum quidem partes erant illos pertrahere, quia sponte nunquam descendent. Sed dum principes aliis forte rebus nimis occupati cunctantur, alios etiam forte invidiae metus retardat, bene tu et prudenter privatis consiliis instituendum esse colloquium censes, modo cordate quod scribis exsequamur. Neque vero exspectandum est, dum multi se adiungant. Sed ubi signum ostenderis convenient quibus cordi est ecclesiae tranquillitas. Utinam ad *Palatinum* venisses, quem bonis sanisque consiliis initio regi magnopere interfuit. [7]) Ac si qua se offerat occasio, praestat sero quam nunquam. Quidquid tamen statueris, rogo te et obtestor ut me quamprimum certiorem facias. Vale, praestantissime vir et mihi semper ex animo venerande. Dominus te semper virtute sua sustineat, spiritu gubernet, praesidio tueatur. Saluta amicos si qui istic sunt. Francofurti 17. Septembris 1556.

Ioannes Calvinus tuus.

2532.

CALVINUS IONAE.

Gratissimum sibi fore testatur si ille quod praesumit consilium vertendi libelli contra Westphalum exsequatur, et ne mora intercedat optat.

(Etiam hanc ex Ionvillaei minuta, quam vocant, describimus in eodem folio scripta ac praecedens epistola; etiam in versione anglica et in tribus apographis eandem sequitur.)

Ornatissimo viro et eruditissimo domino Iusto Ionae Iuris consulto amico et fratri colendissimo. [1])

S. Quum admonitus essem in summo discrimine versari ecclesiolam linguae nostrae, cui in hac urbe concessum est hospitium, et obtestarentur fratres ut ad restinguendum incendium accurrerem, repente iter arripui. Quasi vero satis non esset molestissimo negotio distringi, exceptus etiam fui aliis tricis. Certe vix spatium horae mihi liberum fuit, ut maxime ad solitum pistrinum redire cupiam petendae relaxationis causa. Dabis igitur veniam, eximie vir, si tam breviter tibi respondeo. [2]) Nam ut mihi suavissimae fuerunt tuae literae, ita libenter scribendo testatus forem, quantopere me tua colloquia iuvent et delectent. Quod libelli mei versionem suscipere paratus es, mihi gratissimum: quod vero hoc officium ultro obtulisti, hoc tuae benevolentiae testimonio nihil mihi accidere iucundius potuit.

2531. 1) *Quo die appulerit non liquet.*

2) *De quibus Henry* III. 417 *vero minime consentanea tradit.*

3) *Unam Velsii ad Melanchthonem d. d.* 1546 *ex Archivis Arg. habet Bindseil l. l. p.* 234. *De Velsio v. Roehrich* II. 120. *Fuit prof. philos. Argentorati a.* 1543. *Occurret etiam infra in epp. Hotomani d.* 22. *Sept. et Calvini d.* 26. *Oct. In bibl. Argent. olim adservabatur Vol. MS. Epp. in causa sacramenti, ubi in tomo* II. *Velsii theses Francofurti contra Calvinum defensae.*

4) *Quae non sine invidia dicta sunt.*

5) *Westphali et sociorum.*

6) *Ipse ergo non omnem spem abiecit, quidquid monuerit Bullingerus. Neque Melanchthon in arenam descendere volebat, vide eius ep. d. d.* 13. *Iul.* 1556 *ad Languetum in Corp. Ref. VIII.* 798.

7) *Otto Henrichus primum magis Marbachio aures praebebat, mox vero mitiori Melanchthoni potius assentiebatur. (Mieg, Ref. in d. Pfalz, p.* 42) *A.* 1557 *hunc Wormaciae in Colloquio commorantem accersivit de ecclesia, universitate et schola consulendum. (Camerar. Mel. ed. Strobel p.* 349. *Schmidt, Mel. p.* 617.)

2532. 1) *Henry, III.* 418. *not. patrem et filium confundere videtur. Cf. App. p.* 106. *Pater iam mortuus erat.*

2) *ad Nr.* 2449.

Unum hoc mihi displicet, dum meam sententiam exspectas, dispendium temporis factum esse. Si enim mature defunctus fuisses, quaenam fuisset inhumanitas vel barbaries laborem tam feliciter sumptum meo iudicio improbari? Quando tamen longius quam vellem cunctatus es, vehementer te rogo ut hanc moraе iacturam qua poteris sedulitate sarcias. Implacabilis est, ut video, istorum hominum vesania, ut blanditiis vel mansuetudine frustra eos conemur ad aliquam aequitatem adducere. Quando igitur mitigari non sustinent, unum hoc reliquum est, ut eorum tam inscitia quam pravitas detegatur. Prudenter enim eorum artificium notasti quod maiore [3]) protervia apud vulgus se venditant quia de re incognita quidvis blaterare licet. Utinam principes ad conventum aliquem agendum [4]) animos adiicerent. Secundum est ut pii et pacis studiosi doctores privato [5]) consilio ad colloquutionem amicam descendant. Interea dare operam convenit ne veritas apud imperitos iusto patrocinio careat. Vale, ornatissime vir et mihi ex animo colende. Dominus te semper gubernet spiritu suo, virtute sustineat omnique benedictione prosequatur. Francofurti 17. Septembr. 1556. Si [6]) qui istic erunt amici eos meo nomine salutes. Salutant te mei comites, in quibus est unus ex *Budaei* [7]) filiis et gener, Robertus etiam *Stephanus*.

Ioannes Calvinus vere tuus.

2533.

CALVINUS VOLMARIO. [1])

Fragmentum epistolae in qua de causa itineris Francofurtensis et de commentariis in Acta.

(De hac quoque, quoad fontes, idem valet quod de duabus praecedentibus diximus. Inscriptio nulla adest. Exstat tamen solummodo in duobus codd. Genevensibus et apud Simlerum.)

S. Quum Francofurtum vocatus essem ac propemodum tractus ad sedandas ecclesiolae gentis nostrae discordias, tanta me negotiorum congeries illic oppressit ut de mittendis in Acta commentariis in mentem non venerit, quod aliis mandassem, si domo non essem egressus. Neque vero de negligentia vel etiam oblivione fuit praeteritum, sed quia scribere omnino decreveram, dum aliae curae me abripiunt, de libro sine literis mittendo non cogitavi. Triste hic negotium me exercuit, quia nihil miserius quam exteros homines implacabili violentia [2]) inter se certare, qui tamen urbis concionatoribus se magis infensos vident atque exosos quam Iudaeos et papistas. Et sane ita eos fascinavit Satan ut nullam spem concordiae reliquam faciat. Loquor de ubiquitatis praeconibus, quos utinam ad hanc insaniam non accenderent furiales, quae apud vos [3]) ardent faces! Atque haec mihi ratio nunc obstitit quo minus te inviserem!

2534.

LASCUS MELANCHTHONI.

Experientia nodum satis edoctus denuo colloquium inter viros doctos instituendum omnibus votis expetit.

(Praebuit Simlerus Vol. 88. qui eam sumpsisse dicit ex Epistolis ad Camerarios manuscriptis in Bibliotheca Meisteri pastoris Küsnacensis. Desideratur ap. Kuyperum et Gerdesium, et in Corpore Ref. Edidit Bindseil p. 398.)

S. In communi nostro dolore satius fore putarem, vir sanctissime, si nostra vulnera placide et amanter contrectemus, quam permittamus callum illis nostro silentio obduci, quod difficiliorem forte postea reddat illorum curationem. Etsi autem dolorem augeat fere quaecunque tandem vulnerum contrectatio: praestat tamen illa curari et contrectationis dolorem perferre, quam pus in illis alere. Nihil dubito tibi dolere hanc ecclesiarum dissociationem, mi *Philippe*, (cui enim bono non doleat?) sed quid prodest doluisse nisi quaeramus remedia? Quare gaudeo abs te proponi remedium et te testari quod (etiamsi alii cessent) tuo tu hac in parte officio deesse nolis.[1]) Assentior autem tibi nullum

---

3) *vox dubia. Turretinus spatium vacuum relinquit, caeteri simpliciter omittunt.*

4) *Etiam hic locus Turretino negotium facessit et pro verbis:* ad conventum aliquem agendum *nihil habet nisi syllabam:* ne *et lacunam, qua supressa reliqui praebant:* princepesne animos *etc.*

5) *pro* privato, *Turretinus legit:* quot, *ex quo Simlerus fecit:* aliquot.

6) *Apographa praebent:* Hi.

7) *Eadem pro Budaeo Bucerum exhibent, qui unum tantum habuit filium superstitem eumque mente parum sanum.*

2533. 1) *Huic epistolam destinatam fuisse, colligimus ex Bezae postscripto ad N.* 2529.

2) *in marg.* virulentia.

3) *Brentium notat.*

2534. 1) *Mel. Hardenbergio* (*Corp. Ref. VIII.* 834): Dedi tabellario vestro brevem epistolam in qua significavi querelas huc scriptas esse *περὶ δείπνου κυριακοῦ* ad pastorem nostrum.

esse posse aptius remedium malo huic, quam moderatum aliquod piorum ac doctorum hominum colloquium. Nam de communibus synodis (ut nunc sunt tempora) cum Nazianzeno plane sentio. Idem sentit et *Calvinus,*[2]) qui hic iam nobis adest, suoque se officio defuturum hic non esse pollicetur. Nec sunt defuturi plures huic negotio, si modo procedat. Sed tuum erit illud promovere, hoc est de loco et tempore colloquii habendi statuere. Nostri quidem optarent id hic haberi posse propter Helveticas et illis adiunctas ecclesias: quibus alibi vix tuta essent itinera, huc vero commodius pertrahi possent. Sed et locum et tempus tibi statuendum permittimus. *Hessum* nihil dubito approbaturum esse nostrum hoc consilium et plerosque alios nobis hic vicinos comites, quorum non postremus est *Erbacensis* Georgius,[3]) qui mihi tuas ad se literas transmisit et ego illi meas vicissim. *Palatinus* Elector,[4]) vir alioquin bonus, nobis propemodum abreptus est ab iis qui τὸ πανταχοῦ εἶναι τὸ σῶμα acerrime propugnant. Quod ad me attinet optarim accelerari posse colloquium, priusquam me in patriam conferam:[5]) multum enim ea res patriae quoque meae prodesse posset. Et posteaquam nuncius meus nondum rediit, vereor ne hanc hiemem adhuc hic haerere cogar. Vale, et oro ut me de tuo animo facias primo quoque tempore certiorem. Dominus det nobis spiritum resipiscentiae (qua parte peccamus) et pars[6]) ut pariter omnes errata nostra agnoscamus, corrigique patiamur, doctrinae dissidia per eius gratiam componamus omnia, et abalienatos aliorum ab aliis animos amice conciliemus, utque per nos hic omnes aliud non quaeratur quam gloria Dei, regni Christi in eius ecclesia propagatio et incrementa mutuae inter nos dilectionis ac caritatis christianae. Amen. Raptim Francofurti d. xviii Sept. 1556.

I. a Lasco
manu propria.

Haec te scire utile est ut concordiam urbis vestrae facilius retinere possis. Disputant Nestorianos esse qui non fateantur τὸ σῶμα πανταχοῦ εἶναι. Hoc ne papistae quidem unquam dixerunt. Utinam docti aliqui colloqui possent. Sed omnem colloquendi facultatem sustulerunt illi ipsi qui libertatis vindices se esse gloriantur. *Haec Lascus ab Hardenbergio accepisse videtur.*

2) *N.* 2531.

3) *Exstat eius epistola ad ministros Francofurtenses d. d.* 18. *Aug.* 1556, *quos hortatur* zu Beilegung der Zwispalt unter der fremden Gemeinde zu F. ein christlich freundlich brüderlich Gesprech fürzunehmen. *Quod illi facere recusarunt.* (*Frankf. Rel. Handl. II. Beil.* 23 *et* 24 *p.* 279 *coll. ib. II.* 96.

4) *Etiam de hoc v. N.* 2531.

5) *Mense Octobri profectus a. d. III. Idus Nov. Melanchthonem Vitebergae adiit qui ei ep. ad Regem Poloniae tradidit perferendam.* (*Bertram, Lasco p.* 401.) *Eodem die alia ad Radzivilium scripta exstat in Corp. Ref.*

6) *Hic latet error in textu. Simlerus coniicit legendum:* impertiat.

2535.

CALVINUS VESALIENSIBUS.

Autor est eis ut quidem ipsi quoad res et conscientia ferat, in rebus minoris momenti paci consulant cum Lutheranis, non autem ministrum suum Perrucellum ultra quam ipse volet in eundem tramitem cogant, sed potius abire sinant.

(Frankfurtische Religions-Handlungen 1735 fol. I. 294. Textus non ubique sanus videtur, et omnino nil nisi versionem hic habes ex gallico factam stilumque Calvinianum minime redolentem.)

Clarissimis meis fratribus qui se in oppidum Wesaliense receperunt ad sincere Deo serviendum eiusque verbo obsequendum, dilectio Dei patris nostri gratiaque Domini nostri Iesu Christi sit perpetuo vobiscum per communicationem spiritus sancti.

Carissimi fratres, postquam ex M. *Francisco*[1]) fratre nostro vestroque pastore intellexi statum ecclesiae vestrae,[2]) perplexus dubiusque haesi ecquid ei potissimum consulere deberem. Tandem tamen rogavi eum exhortatusque sum, det operam, quantum in se est, ut mitiget eos qui usque adeo hoc tempore sunt inflammati ad evertendum libertatem vestram. Id quod se mihi recepit facturum. Sed ubi tentarit omnia, si quum * nihil prodesse videat conatus suos, non mihi videtur esse consultum eum premi aut cogi ulterius. Verum quidem est quod tum ipse tum vos eo vos debeatis demittere ut toleretis omne id quod ferri posse videatur, ne scilicet existiment ii qui vobis in sua civitate praebent hospitium, se nimium contemni a vobis. Nosse enim potestis, idque per experientiam, quid eiusmodi valeat zelotypia, ideoque eos provo-

2535. 1) *Perrucellus Vesaliam venit aestate* 1554. *Cf. Wolters Ref. Gesch. v. Wesel p.* 169 *et N.* 2002.

2) *Lutherani ministri peregrinos vel expellere vel ad sua sacra trahere volebant, et speciatim coenam cum suis et suo ipsorum ritu sumere cogebant. Quod illis grave erat propter vestes sacerdotales, cereos et hostias. Quum d.* 9. *Ian.* 1556 *Perrucellus in his quoque libertatem sibi dari petiisset, senatus respondit:* Sei ihnen das Röcklein der Pfarrer und die Kerzen zuwider, und behaupteten sie dass man nicht mit Hostien sondern mit Brod das Nachtmal feiern müsse, so seien das alles nicht Dinge die zum Sacrament nothwendig gehörten, auch nicht gottlos: als Fremde hätten sie sich zu fügen *etc. Solam praeparationem gallice institui permiserunt. Interim Perrucellus a Pollani adversariis Francofurtum vocatus respondit:* Quoniam neque electus esset, neque vocatus sed contra Deus alium eligi curasset, perspicere eos posse, nullo modo posse fieri ut ipse veniret, nisi in ambiti ministerii suspicionem vellet incurrere. (*Riverii Memor.* 27. *Apr.* 1559 *in Frkf. Rel. Hdl. I. Beil.* 190. *p.* 281. *et Wolters.*) *M. Novembri legitime a Francfurtensibus vocatus est.*

cari consultum non esse. Sed vicissim considerandum est quid tam pastori vestro quam vobis liceat. Quantum ad vos, quid ea de re scripserim antehac [3]) scitis. Quod vero ad illum attinet, minor ei est concessa libertas. Nam si, posteaquam progressus est, retrograderetur, longe maiora in eum excitarentur murmura, nec sine scandalo: quod nos evitare debemus. Atque hoc est cur dixerim vos eum tolerare debere, neque ad vestram mensuram eum exigere. Nam etiam si vobis concedatur eiusmodi recipere caeremonias, quales vobis imponuntur, si idem ille faceret, non solum ut duplex accusaretur a multis, sed etiam vobis afferret praeiudicium in posterum. E contra vero, quum discedet protestans se tale iugum non posse recipere, faciet id fortasse aditum in posterum ad bonum aliquod medium, ubi per assensum illius ianua clausa foret. Quanquam priusquam eo deveniat conabitur, si fieri possit, pro ratione consilii sui res moderari in melius obtinereque quod ille cum bona conscientia et sine scandalo eorum, quos antea in doctrinae puritate instituit, ferre poterit, ac si id fiet nullo iam erit de facienda mutatione quaestio. At si Deus res in eam extremitatem deducat, ut fatri nostro omnis denegetur libertas, non modo administrandi sacramenta, verum etiam iis communicandi absque probro ministerii sui scandaloque infirmorum, vos rogo per Dei nomen, ut patienter feratis si discedat potius quam ut cogatur suo exemplo vos in servitutem adducere, cuius nunquam possit reperiri remedium, praebeatque interim occasionem malevolis ipsi detrahendi, atque ex altera parte turbet infirmorum conscientias. Mihi non videtur mirum si doleatis quod vir talis amittendus vobis sit qui bene et fideliter servivit vobis: imo laetor quod intelligam vos aegre ferre ut se a vobis ille separet, siquidem in eo animadverto bonum aliquod signum zeli studiique progressus maiores faciendi. Sed tamen limitandae sunt affectiones nostrae, quantumvis praeclarae illae sint, quo acquiescamus in eo quod nobis permittit Dominus. Nam si tali eum conditione postuletis ut aedificationi non sit, limites in eo transgrediuntur.* Tum etiam discere debemus non ita esse addicti alicui, quin parati simus recipere pabulum vitae, quicunque tandem id offerat. Quod si timetis ne privemini eo cuius laborem utilem vobis fuisse estis experti, tanto estote diligentiores magisque seduli ad orandum Deum ut eum vobis servet itaque disponat animos eorum, qui ei obstant hoc tempore, ut continenter se vobis impendere queat. Etenim, ut dixi, non est quod statim vos relinquat, donec, quod ad ipsum quidem attinet, spes omnis ablata fuerit reducendi res in melius. [4]) Ac tum sperate fore ut vobis alium suscitet Dominus, qui suo erga vos officio probe functurus sit. Videte vero ne omnino vos labefactetis: periculosa est enim tentatio nonnullis dicere quod se a grege separare volunt. Quin potius date operam, ut quod initium vobis dedit Dominus id tueamini, exspectantes donec res proficiant in melius, tametsi id tardius fiat quam vellemus. Cuius rei gratia, fratres carissimi, postquam ex animo me vestris commendavero precibus, ipse quoque Deum optimum patrem nostrum orabo ut vos sua dignetur protectione, vos donet spiritu prudentiae, rectitudinis, virtutis, constantiaeque insuperabilis, vosque omni benedictione repleat. Francofurti 18. Septemb. 1556.

Vester humilis frater
Iohannes Calvinus.

3) *N.* 1929.

4) *Perrucellus in suo Memor. l. l. p.* 282 *dicit se Francofurtum iisse ad invisendum Calvinum, tum pergit:* Cum eo ac D. a Lasco de negotio contuli universo. Qui fratribus Vesaliensibus scripserunt, eos admonentes ne meam posthac abitionem impedirent, neve alium ministrum recusarent eligere, neve etiam quoad caeremonias me suo metirentur modulo, quoniam si eas recepissem, quas recipere illi poterant, futurum fuisset, ut retrocederem quum progredi debuissem, futurum etiam ut non solum accusarer a multis ut homo duplici praeditus animo, sed etiam praeiudicium eis ipsis afferrem in posterum, meo eos exemplo in servitutem adducens, incurreremque in dedecus muneris mei summum et infirmis scandalo essem ingenti.

2536.

POLLANUS CALVINO ET COLLEGIS.

Qui scilicet arbitri constituti fuerant ad litem inter ipsum et Augustinum Le Grand pendentem dirimendam.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 234.)

Ornatissimis viris ac dominis DD. arbitris iudicibus constitutis in causa controversa inter Augustinum le Grand accusatorem et M. Valerandum Pollanum defensorem.

Quum in huius causae cognitione et iudicio vobis eam esse autoritatem a magistratu nostro etiam confirmatam et mandatam [1]) arbitrer, ut de toto hoc negotio iudicetis, sicuti decet viros bonos prudentes et christianos, atque eam sententiam pronuncietis

2536. 1) *Vides magistratum Francofurtensem cognitionem causae non solis peregrinis permisisse.*

qualem ipse magistratus laturus erat, et ipse praesertim, quum ea causa nunc agatur, quae non tantum privata mea sit, verum etiam communis universo ecclesiastico ministerio, ita ut sententia vestra in hac causa sit futura veluti lex quaedam ex qua deinceps ministri omnes iudicentur etiam apud alias ecclesias: rogandi mihi estis, siquidem hodie convenitis ea de causa, inprimis ut de facto diligenter cognoscatis (quanquam de vestra pietate fide et diligentia nihil hactenus dubito), ac de eo maxime audiatur ipse D. *a Lasco*, vir non solum nobilitate et eruditione clarus, sed etiam pietate et prudentia apud omnes ecclesias illustris: qui unus inter vos omnes totam hanc causam optime novit, cui etiam testium adversariorum mores affectus et studia magis quam cuivis alteri sunt cogniti, quanquam ipse D. *Hornus*,[2]) vir etiam pietate et eruditione clarus, pastor ecclesiae Augustanae, nonnullam habet eorundem experientiam. Quapropter postulo ne quid omnino statuatur sine ipsius D. *a Lasco* iudicio, nihilque adeo pronuncietur absque eiusdem subscriptione.

Insuper rogo et obsecro, quod mihi bona pace vestra liceat, ut cogitetis, hic neque ex coniecturis neque ex suspicionibus aut rumoribus statuendum quidquam, quum ne in aliis quidem levioribus causis ita statui recte aliquid possit. Nam id vos probe meminisse ac tenere nullus dubito, quae et quales quanquam evidentes probationes requirantur in causis capitalibus (qualem hanc esse, quod me attinet atque *Augustini* accusatio apud magistratum tulit, puto et iudico) ut reus condemnari possit.

Denique illud etiam Pauli diligenter apud vos perpendite, non temere adversus presbyterum admittendas accusationes, adeo quod, quamvis factum aliquod probatum esset supra omnem exceptionem, tamen nisi crimen sit tale de quo magistratus poenas sumere debeat, non esse de ministerio ecclesiae aliquid sinistre iudicandum. Quod si unquam alias, hoc certe tempore maxime providendum, quum nescio quid homines passi in omnibus ecclesiis nihil aliud satagant quam criminatione ministrorum et ministerium infamare et verbo Dei suam reverentiam adimere.

Et quoniam hodie intellexi quosdam testes adversarios (quod quale sit vobis iudicandum relinquo) satagere apud plebem ut publice sibi omnia praelegi postulet, ego certe non recuso, imo etiam opto, si id cum bona vestra omnium pace postulare liceat, modo ad singula accusationis capita immediate subiiciantur mea quoque responsa. Imo vos obnixe oro ut, si nihil aliud, saltem praelegantur literae D. secretarii Basiliensis,[3]) D. *Garnerii*[4]) et D. *Emmanuelis*:[5]) quoniam ex eo facto magnam mihi ille intulit ignominiam. Praeterea etiam exemplar illud literarum quibus ego subscripsi cum aliis principio huius nascentis ecclesiae. In quibus omnibus ita vos spero iudicaturos, ut nulli merito liceat vestrum iudicium reprehendere.

Porro de atrocissimis iniuriis mihi ab *Augustino* publice quum apud ecclesiam tum apud magistratum illatis nihil adhuc sum publice conquestus. Spero tamen, quando illae vos non latent, ita de omnibus iudicaturos, nihil ut opus sit postea de his publice conqueri, non mea privata causa sed publica totius ministerii et ecclesiae gratia.

Dominus Iesus vos suo spiritu impleat gubernetque in hoc iudicio, ut quidquid statueritis in timore Dei pertineat ad nominis ipsius gloriam et totius ecclesiae aedificationem. Raptim Francofordiae 20. 7^{bris} 1556, iamiam concionaturus, quum paulo antea intellexissem vos sub horam 2^{am} aut 3^{am} conventuros.

Vestrum omnium observantissimus
Valerandus Pollanus.

2537.

PROCÈS-VERBAL
de l'interrogatoire d'Augustin Legrand.

Affaire de Valerand Poullain à Francfort.

(Autographe de Calvin du MS. de Gotha 404, fol. 54. — Bretschneider pag. 73. L'éditeur chez lequel le texte est très-incorrectement imprimé, au point que nous devons nous borner à signaler un petit nombre de fautes à titre d'exemples, ne paraît pas avoir su à quoi se rapporte cette pièce. Il dit: *Est protocollum, ut vocant, scriptum, ut videtur, in loco iudicii in re coram presbyterio cui Calvinus praesidebat acta.* Il est d'ailleurs évident que ce document ne peut pas avoir été le seul de son espèce, dans cette affaire. Les chiffres se rapportent à un acte d'accusation, ou à quelque chose de pareil; voyez aussi la pièce suivante.)

1. Sus lexcuse que le faict attouche les anciens *A.* respond quil nest tenu daccuser les anciens,[1])

---

2) *Cf. infra Hotomani epistolam proxime sequentem.*

3) *Quis hic fuerit et quo pacto intervenerit non liquet. Vide tamen duo sequentia documenta ad §. 23.*

4) *nunc Cassellani.*

5) *An Tremellii?*

2537. 1) *parmi lesquels il y avait des partisans et des adversaires de Poullain, ces derniers estimant son élection irrégulière.*

et si *V.* a des compaignons que cela ne le descharge du faict demande terme a le prouver.

2. Dict *A.* quil ne propose rien pour infirmer la sentence de Monsr. *Cloberg*, mais accuse le faict de *Valerand.*

4. Replique *A.* quil leur estoit licite de parler en public attendu quilz estoient trois anciens voulans proposer ce qui attouchoit leur office.

6. Demande *A.* Quant cest que M. *V.* a este advoue niant que iammais il y ait intervenu approbation. Et quant au premier sermon: ou M. *V.* dict avoir este conferme quil n'y en fut mention aulcune. Pour le second, que le billet que le d. M. *V.* a allegue ne contenoit rien de cela. Item qu'apres que[2]) le d. *A.* eut contredict au propos le d. M. *V.* de rechef en sermon declara quil maintenoit le tout estre vray. En quoy le d. *A.* estoit charge comme menteur et mutin.

7. *A.* replique que cela ne pouvoit estre par inadvertence, attendu quon fit grande instance a M. *V.* de visiter les billetz a quoy il ne voulut consentir, et que desia auparavant on y avoit apperceu faulte. Et quant ce vint a revisiter finallement on y trouva faultes lourdes[3]) en grand nombre jusque a avoir omis[4]) 22 noms[5]) en un billet aux aultres 18. 10. 7. ou plus ou moins.

8. Replique *A* que[6]) M. *V.* n'a pas garde ce quil avoit promis.

11. Replique *A.* quil ne scait si quelquun a usé de propos oultrageux vers M. *V.* et ne le croit. Mais trop bien scait il qu'avec grand desir ilz vinrent le prier a mains ioinctes de se vouloir accorder a quelque bon moien, que leglise fut en repos et ainsi que leur zele estoit bon et droict.

16. Replique *A.* Que cest le faict propre dudit M. *V.* et quil mesla en son presche telle accusation, en quoy luy seul luy a faict iniure.

17. Replique *A.* avoir accorde a Monsr. *Cloberg* laisser toutes aultres quereles, moiennant que la seconde election fut cassee, mais puisque M. *V.* ne sy accorda que le d. M. *V.* n'avoit nulle raison[7]) de proposer que le d. *A.* neust rien contre luy.

17.[8]) *A.* replique que led. *A.* a este convaincu en la discipline tant de frauldes que de bordes, cest quaiant[9]) loue une maison au nom de deux, il fit acroire quil lavoit louee a condition que ce ne seroit que pour un seul, ce qui se trouva faux. Item quil donna a entendre faulsement lavoir loué 12 fix et ny en devoit[10]) que 10. Quant a la mere de M. *Robert* il fit acroire a la d. que l'homme[11]) auquel appartenoit la maison en vouloit avoir plus de louage. Et sest trouve que iammais il nen avoit este tenu propos.

20. Le d. *A.* a nomme Noel *de fourne.*

22. Replique *A.* que ce quil a propose au 5 article est de ce nombre. Item ce quil a mis en avant que son ministere a este deux fois apprové. requerant que les escritz soient produictz.

23. *A.* confermant le propos quil a mis en avant, soffre, quant terme luy seroit donne produire attestation de Messieurs le[12]) Basle ou ilz requierent quon en face iustice quelque part[13]) quil sera trouvé.

24. Dit *A.* quil a escrit en commun aux freres Danvers.[14]) Ne scait si les lettres sont escrites au nom particulier du d. M. *Valerand*, ou comment.

2) *Au lieu de:* que, *Br. met un* S.
3) liardes *Br.*
4) emis *Br.*
5) nous *Br.*
6) *comme à la note* 2.
7) cause *Br.*
8) *sic.*
9) quant *Br.*
10) avoir *Br.*
11) Chonner *Br.*
12) *sic.*
13) pour *Br.*
14) Danners *Br.*

2538.

CALVINI IUDICIUM IN CAUSA POLLANI.

(Bibl. Genev. fascic. documentorum solutorum. Apographon coaevum. Exstat etiam in Archivis Thomanis Argentorati.)

Iudicium quod dicunt arbitrale Calvini aliorumque doctorum virorum inter Valerandum Polanum concionatorem ecclesiae peregrinae Francofurtensis et Augustinum Le Grand mercatorem.

Quum iam a longo tempore quaedam exstiterint inter Magistrum Valerandum *Polanum* verbi Dei ministrum in ecclesia gallicana quae est Francofurti, et Augustinum *Legrand* mercatorem eiusdem urbis civem controversiae, quae quum ad communem statum ecclesiae pertinerent causam dederunt multis offendiculis, cum magno taedio et dolore bonorum omnium, et quanquam tentata erant varia media sedandis illis et prorsus abolendis, adeoque nobilis D. Ioannes *a Glawburgo* senator et consularis, praefectus etiam in tutelam et patrocinium eiusdem ecclesiae, qui tandem electus fuerat arbiter, sententiam tulerat qua sperabatur finem impositum iri omnibus iurgiis et litibus, his tamen omnibus remediis hucusque profectum non fuerat, quin semper

manerent discordiae quaedam, praesertim quia obtendebat *Augustinus* sibi causam esse M. *Valerandi* accusandi, imo coram amplissimo senatu actionem contra eum intentaverat, a cuius progressu metuendae erant graviores turbae quam antea: ambae demum partes per Dei gratiam consenserunt in arbitrium, pollicentes quidquid a nobis decerneretur sibi ratum et firmum fore instar arresti irrevocabilis: hac tamen lege ut sententiae iam dictae suus maneret integer vigor: deinde ne quid moveret *Augustinus* contra ordinem communem ecclesiae, sed tantum in personam M. *Valerandi* ageret.

Nos ergo Ioannes *Calvinus*, Ioannes *a Lasco*, Robertus *Hornus*, Laurentius *a Normannia*,[1]) Ioannes *Crispinus*, Ioannes *Pierius*, Nicolaus *Walet* et Eustathius *Quercetanus* delecti arbitri, recepto in nos onere, et quidem ea conditione interposita de qua dictum est, invocato Dei nomine ut nos dirigat suo spiritu ad aequum rectumque iudicium, ad gloriam nominis sui et ecclesiae suae aedificationem, in disceptationem progressi sumus hac forma. Nempe lectis accusationibus quae nobis scripto oblatae sunt et articulos continent viginti quinque, audivimus rursum quas M. *Valerandus* excusationes tam scripto[2]) quam ore protulit, deinde utriusque replicas: postea testes utrinque adductos examinavimus, literas et documenta legimus quae ad patefaciendam rerum veritatem facere visa sunt. Postremo ad discutiendos singulos articulos descendimus, ut seorsum facto examine clarius liqueret uter in unoquoque vel iure niteretur vel culpandus esset.

Quibus peractis in hunc qui sequitur modum sententiam proferre visum est. Porro quia aliam accusationem iam *Augustinus* ipse intentaverat, et iudicibus a senatu delectis, ubi plura complexus erat vel certe acerbius et amarulentius tractaverat quam nunc coram nobis fecerit, exciderant etiam ex ore eius quaedam convicia: postularat M. *Valerandus* omnia nunc vocari in rationem ut fieret exacta cognitio. Excepit autem *Augustinus*, quum iudices liberum sibi et integrum fecissent deliberare ad certum tempus, velletne stare in proposito, se non adstringi ad repetenda omnia quae tunc dixerat: et quanquam elapsum iam erat tempus, quia tamen in hoc statu nobis tradita causa fuerat et quia etiam ea de re admoniti fuimus a clarissimo D. *a Glawburgo*, decrevimus lites illas omnes sepeliendas esse, ne qua mentio in posterum fiat. Quia tamen saepius repetiit *Augustinus* se istis accusationibus nolle uti, statuimus et pronunciamus, illis in futurum tempus omnino deiectum esse easque pro nullis esse habendas, ac si ab ipso ante haec retractata essent, ut nulla macula in M. *Valerando* haereat.

Quantum ad primum articulum, ubi accusatur M. *Valerandus* quod contra quam pollicitus fuerat conatus sit retinere in officio seniores quos habuerat Glassoviae,[3]) pronunciamus, etiamsi continuasset eos, non vertendum ei vitio esse, adeoque iuste fuisse reprehensum quod eos praeterisset quum nihilo minus magistri essent in suo gradu quam ipsi, saltem donec aliter prospectum foret. Tantum in eo culpam deprehendimus quod quum pollicitus esset *Valerandus* liberam fore electionem fratribus qui huc concederent, non indicavit hanc suam astrictionem quibus oportuit, quia in ista varietate causam dedit offensae fratribus.[4])

Quantum ad secundum, ubi obiicitur M. *Valerando* quod proponens eorum nomina qui eligendi essent ad munus seniorum praetermiserit eos qui prius fuissent nominati, et in quorum examine legitima ratio servata est, postquam D. *Glauburgus* sententiam suam nobis interpretatus est, quod scilicet huc tantum spectarit ut rata esset electio seniorum de qua litigatum fuerat, et ne ad eam labefactandam quidquam in posterum moveretur, sibi tamen non fuisse compertum an peccasset in illa omissione M. *Valerandus*: pronunciamus non esse imputandum hoc *Valerando* in crimen, quod in secunda electione priores non nominarit. Et quanquam id mallemus ab eo factum esse et magis nobis probaretur, quia tamen illorum examen adhuc pendebat, et interea contigit *Augustinum* se ante tempus abdicare ministerio, iudicamus honestam fuisse excusationem *Valerando* pergendi ad novam electionem.

Quae eadem ratio apud nos valet ut super tertio et quarto articulo iudicemus *Augustinum* non exspectasse opportunum tempus quo desisteret a suo officio, sed magis festinasse quam utile esset in ecclesiae aedificationem. Itaque excusabilis erit *Valerandus* quod studuerit abrumpere eius sermonem: sicut hac in parte eum exoneramus culpa.

Similiter, quod ad quintum articulum, ubi ei exprobratur quod pro suggestu dixerit, se prohibuisse *Augustinum* a loquendo, quia id in media prophetia[5]) faceret, pronunciamus quaecunque audivimus testimonia non sufficere ad convincendum *Valerandum*

2538. 1) *Venerat ergo et hic cum Calvino et Quercetano. De Horno vide seq. Hotomani. Crispinus iam bibliopola saepius in nundinis aderat et statum rerum apprime nosse poterat. Pierium ignoramus. Nam de Pierio Valeriano Veneto, non est quod cogites. Waletus ex Wallonum numero a.* 1554 *Vesalia Francofurtum venerat, cum nonnullis aliis et a parte strictioris observantiae erat. (Riverii Memor.* 280.)

2) *N.* 2536. (*?*)

3) *Glastonbury ubi olim Protector regnante Eduardo* VI. *textores e Belgio profugos receperat, quorum minister fuerat Pollanus.*

4) *Tam accusator quam iudex obliviscitur quantum ecclesia Pollano debebat de eius receptione Francofurti satagenti.*

5) *Sic Puritani et Presbyteriani appellabant sermonem et interpretationem S. S.*

calumniae in cuius crimen trahebatur. Quare pro absoluto habendum decrevimus.

Super sexto articulo, ubi arguitur dixisse publice e suggestu, bis se ab ecclesia fuisse confirmatum in ministerio, pronunciamus in voce confirmationis fuisse excessum. Nam quamvis ultra approbationem ab initio factam scheda, quae anno proxime elapso post pacificationem lecta fuit, possit ita accipi ac si tacite populus ratum habuisset *Valerandi* ministerium, tamen forma loquendi, quod bis fuerit confirmatus, eo usque non potest extendi. Itaque satius fuisset *Valerandum* ab eo verbo supersedere vel aliter moderari.[6])

In septimo articulo ubi arguitur M. *Valerandus*, in diaconis eligendis, quum schedas scriberet, quaedam nomina suppressisse, alia supposuisse, pronunciamus quod *Valerandus* tam negligenter se gesserit ut schedas falsas obsignaret, in quibus partim omissa partim addita fuerint nomina, praesertim vero quod eorum operam repudiaverit qui schedas in aliis electionibus scripserant, deinde quod passus non fuerit a diacono, qui vitia haec vitare et corrigere poterat, obsignari, sed mutuo sumere maluerit sigillum D. *a Lasco*: ad haec quod iam ante fuisset de illis vitiis admonitus, saltem in una scheda fuisset deprehensa falsitas eique monstrata, vel cavere attentius debuerit, et tamen promiscue schedas quae merito suspectae esse debebant obsignaverit: in hac incuria fuisse gravem et latam culpam. Quia tamen de fraude nobis non constat, pronunciare etiam nolumus, nec eum etiam subiicimus huic crimini.

Quantum ad octavum articulum, ubi mendacii et inconstantiae arguitur, quia dixerit, [*si*] ex articulis contra se a D. *Sechelio* productis exacte fuisset cognitum, potuisse cognosci *Sechelium* ipsum mentitum fuisse, quamvis tamen utrinque polliciti fuissent de his rebus se nunquam verba facturos, pronunciamus non liquere nobis tale probrum ipsi *Secelio* inustum sermonibus *Valerandi*. Hunc ergo tam calumniae quam violatae fidei culpa liberamus.

Super nonum articulum, ubi queritur *Augustinus*, quum eligendi ministri causa ad petendam schedam cum aliis venisset, se repulsam fuisse passum, nisi seniorum electioni subscriberet, pronunciamus: quum *Augustinus* ipse palam improbasset seniorum electionem, et quum privatus esset non haberet in suo arbitrio mutare vel labefactare publicum ordinem, tunc autem quod a populo factum fuerat recusaverit suo suffragio probare vel in eo acquiescere, non fuisse factam illi iniuriam in repulsa.

In decimo articulo, ubi accusatur *Valerandus* quod post oblatas sibi quinque pacis conditiones ab *Augustino* promulgaverit tamen pro suggestu *Augustinum* in causa esse quominus pax fieret: postquam sciscitando comperimus id accidisse antequam causae cognitio D. *Glauburgo* mandata esset, iudicamus melius facturum fuisse si supersedisset ab his publicandis. Nam ut aliis temporibus iusta excusatio ei fuerit quod per ipsum non staret, tunc videri *Augustino* facta iniuria potest, qui nuper ad istas leges descenderat quas putabat aequas sibi esse.

Super undecimo, ubi accusatur *Valerandus* quod duriter quosdam repulerit qui ad eum rogandum venerant ne *Augustino* colloquium negaret, unde palam fieret penes quem resideret culpa de schedis publicatis, pronunciamus: quia certis testimoniis probatum nobis fuit illos ipsos consilium inter se et cum aliis captasse de vocando in templum populo, idque sine publica autoritate, praesertim quum eiusmodi conventus mali sint exempli et pariant saepe graves turbas ac multa pericula secum trahant, eius conventiculi habendi autores peccasse et inconsiderate egisse, ut eorum factum reprehensione dignum sit, et tamen *Valerandum* seditiosos vocando modum excessisse, nec se tam placide et humaniter gessisse quam decebat, multis praesertim circumstantiis additis quas notavimus.

Super duodecimum articulum ubi recusasse dicitur *Valerandus* oblatam a tribus senioribus rationem concordiae, pronunciamus: quia nobis liquet, non simpliciter vel praccise recusasse, sed quia *Augustinus* ordinem seniorum qui tunc erant noluisset agnoscere pro legitimo, fuisse aliquam excusationem, et quanquam omnibus expensis videtur voluisse colorem obtendere, neque nobis plane satis faciunt quas adducit rationes, iudicamus tamen non ita gravi culpae esse obnoxium.

In tertio et decimo articulo *Valerandum* accusat *Augustinus* quod quum ambo ipsi coram octo delectis suas controversias exponerent, *Valerandus* bonam partem criminum quae sibi obiiciebantur confessus est, alia silentio transmisit, ut duo e coctu dicerent longe aliter se prius edoctos fuisse a *Valerando*, pronunciamus: id minime fuisse nobis probatum, itaque *Valerandum* absolvimus.

In quarto et decimo, ubi *Valerando* exprobratur, noluisse eum acquiescere in illorum octo hominum arbitrio coram quibus disceptatum fuerat, quia excipit *Valerandus* se illos nunquam tulisse arbitros, neque etiam de eius consensu nobis fides facta est: in eo culpam nullam nostro iudicio contraxit, quia liberum erat eorum sententiae non parere, quum nulla erat submissio.

In quinto et decimo, ubi accusatur *Valerandus* quod coram populo dixerit *Augustinum* simulare

---

6) *Inde ab initio Pollanus se ducem fugitivorum senatui sistebat, et cum ministris lutheranis negotia tractaverat quasi ecclesiae caput. Praeter illum ministrabant Io. Murellius et Lud. Castellio Hispani. Geo. Maupas ludimagister erat.*

tantum pacem, iudicavimus, quum promulgatio haec non ab uno *Valerando* seorsim profecta esset, sed ex communi sententia seniorum qui id mandaverant, non pertinere ad nostrum arbitrium, sicuti etiam ex compromisso nobis potestas data non est.

In decimo sexto, ubi arguitur *Valerandus* quod pro suggestu quoque dixerit *Augustinum* nihil in se iam comprehendere excepta electione seniorum, postquam nobis retulit D. *Glauburgus* quid *Valerando* dixisset, quia citatus in hanc rem fuerit testis, iudicamus sermonem hunc inconsiderate apud plebem fuisse habitum, et *Valerandum* debuisse de *Augustini* animo diligentius inquirere, antequam pro sua defensione id iactaret.

Quantum ad 17. attinet, ubi arguitur *Valerandus* mala fide se gessisse in loquutionibus aedium, tam erga *Valerium* quam erga matrem Roberti *du Val*, post testes utrinque examinatos iudicavimus *Valerandum* non sincere versatum in his loquutionibus ut decebat. Et quanquam non pronunciamus fraudandi cuiusque animo fecisse, quia non apparet de eius consilio, vellemus tamen non fuisse deprehensum in his rebus varium, quia immunis a culpa non est.

Quod ad 18. et 19. ubi obiicitur *Valerando* puellam quondam eius consilio virgis caesam esse a Georgio *Maupas*, deinde etiam manu eius, pronunciamus: quia non fuit hoc nobis legitime probatum, *Valerandum* extra culpam nobis videri.

Super 20. ubi accusatur *Valerandus* quod, postquam conviciatus esset quibusdam, sine reconciliatione sacram coenam celebrare non dubitaverit, pronunciamus: quum obscura adhuc sint quaecunque de hac re audivimus et confusa, *Augustino* nunc supersedendum esse ab hac accusatione, ut tamen postea seorsum inter partes et *Valerandum* plenior fiat diiudicatio.

Super 21. articulo, ubi accusatur *Valerandus* quod coenam interdixerit quatuor hominibus, qui idonei futuri erant ad obeundum munus seniorum, idque arguitur astu fecisse ne in electione locus illis daretur, nos quia videmus factum commune esse seniorum, in quo nihil *Valerandus* separatum habet a reliquis, de eo cognoscere et iudicare in hoc arbitrio noluimus. Poterit tamen res alibi discuti, sicuti nos D. *Glauburgus* hortatus est.

In 22. ubi *Valerando* obiicitur lectas fuisse ab eo plures schedas mendaciis refertas, quia generalis loquutio confusa est, deinde supervacuas repetitiones continere earum rerum quae prius decisae sunt, decrevimus totum hoc pro non dicto habendum esse et expungendum, quia nullam cognitionem meretur.

De 23. ubi arguitur *Valerandus* iusiurandum violasse, quod Basilea furtim discesserit, ubi vadimonium promiserat et retentus iam fuerat, quanquam in eo asseverando perstabat *Augustinus* probationem offerens, quia tamen nobis non liquet, hoc quoque omittendum decrevimus et a praesenti accusatione M. *Valerandum* absolvimus.

In 24. ubi dicitur *Valerandus* Antwerpiam literas misisse ubi indigne traducit pios et innoxios huius ecclesiae homines, addidisse exemplaria quae huc illuc spargerentur, pronunciamus: quum id communiter a seniorum collegio actum fuerit, hanc accusationem non debere in hoc arbitrio comprehendi. Verum si operae pretium fuerit de hac iniuria inquirere, in alium locum reiicimus. Interea *Augustinum* admittere visum non est ad eius facti reprehensionem, in quo communiter aggreditur omnes seniores quum ita suo compromisso repugnaret.

Super ultimo articulo, ubi graviter inculpatur *Valerandus* quod praeter iuris rationem se immiserit testamento et bonis M. *Richardi*[7]) et domicellae de *Mericourt*, pronunciamus: examine habito nullam in *Valerando* deprehensam fuisse culpam quod perperam iniecerit se in bona M. *Richardi*. Quod tamen testamentum scripserit *Richardi* ipsius nomine, cui recitando nullos adhibuerit testes, domesticos qui quotidie visebant aegrotum accersere neglexerit, in eo ipsum iudicamus se onerasse sinistra suspicione. Ad haec, postquam Ioannes *Magueron* alterque collega eius creati fuerunt tutores liberis M. *Richardi*, iudicamus inique recusasse tradere in eorum manus quae ex haereditate apud se habebat, et quidquid tunc coloris praetexuerit a tergiversatione non abesse: praesertim quum pro suggestu denunciasset ipse ut quisquis ex haereditate illa aliquid haberet restitueret ipsis tutoribus, idque fieri curasset in ecclesia Anglorum. Quantum ad 40 talleros attinet quos hodie adhuc detinet, mallemus statim fuisse solutos ut murmuribus et offendiculis occursum foret. Quantum ad domicellam de *Mericourt*, quia liquido nobis apparet voluisse omnia sua dare et legare Stephano *Mignot* eiusque uxori, et octo ante mortem diebus idem coram testibus asseruisse, ut satis cognita sit eius voluntas, iudicamus in forma testamenti prorsus frivola (sicuti primo intuitu conspicuum est), et ubi nomen eius qui fraudatus eo modo fuisset cernitur inductum et deletum, et ei sub pauperum nomine incertum legatum assignatur, vehementem esse suspicionem fraudis et malae versationis. Quanquam consilii nostri non est *Valerandum* damnare, ac si data opera vel consulto falsi crimine se obstrinxisset.

Postremo statuimus et decrevimus, sic ratum utrique parti debere esse hoc arbitrium, ut se contineant in eius tenore et pacati ambo maneant,

---

7) *Vallevillii*.

nec *Augustino* liceat novam aliam actionem intendere, controversiam movere, aut querimoniam contra M. *Valerandum*, tam de criminibus quae semel apud nos obiecit et a quorum prosequutione depulsus est, quam de aliis quibuscunque usque ad hunc diem commissis. Nam quum data ei fuerit libertas proferendi in medium quidquid vellet, merito ab aliis quae praetermisit in posterum videtur depulsus. Rursus M. *Valerando* non liceat *Augustinum* in ius trahere, vel ullis litibus implicare, quod temere et iniuste de rebus non compertis accusatus fuerit. Denique consilii nostri non esse pronunciamus, praetextu vel occasione huius sententiae utrumvis eorum ad alios iudices trahi, vel alibi agitari quae a nobis hic fuerunt cognita, sed partes nostro decreto debere contentas esse.

Haec sententia pronunciata fuit partibus 21. Septemb. et postridie promulgata toti ecclesiae anno 1556 et partes rogatae pollicitae sunt se fore obsequentes. [8])

His peractis M. *Valerandus* exposuit se sponte et absque alieno coactu petere, quia multi sinistri sermones hactenus volitaverant, ut dubitari posset an gradum pastoris occuparet contra consensum ecclesiae, quo his murmuribus obviam iretur, aliquam declarationem fieri unde liquido pateret quaenam esset populi voluntas: simul tamen testificans, quamvis populus eum retinere cuperet, sui consilii esse studio publico * pacis resignare munus suum et ecclesiam rogare ut si hanc resignationem probaret prospiceret de successore. Quamvis autem statuisset huic actioni proximum diem dominicum, visum est nobis fore satius si extemplo cognosceretur populi voluntas. Quod ipse quoque amplexus est. Itaque eo egresso rogavimus et hortati sumus populum ut sponte et libere animum suum ostenderet. Tandem cognovimus maioris partis suffragiis eum retineri in ministerio, et maiori parti placere ut maneat. Quod postquam ei indicavimus, rursum testatus est se persistere in sua testificatione, nempe ut loco cedat, ideoque ecclesiam rogare ut ab onere eximatur, idque ad sedandos omnes susurros, qui forte alioqui non quiescerent. Nos quoque pro parte nostra censuimus dandum esse consilium populo, utile id esse ob multas causas quas apud nos perpendimus: sic tamen ut maneret intacta libertas iudicandi pro sua conscientia. Nam hanc in partem noluimus longius progredi quam ut patefieret nostrum consilium, ut sibi quisque prospiceret. Quia tamen res magni erat momenti et iam tempus effluxerat, deinde ultro citroque multa dicta erant, ut periculum esset a confusione si voluissemus statim habere statutum, rem suspensam reliquimus, donec ecclesia dato ampliore spatio mature deliberaret. In quo ut Dominus singulos suo spiritu dirigat precamur.

Huic vero actioni non interfuit clarissimus D. Ioannes *a Lasco*, quod ex morbo decumberet. Porro quia post latam sententiam quae hic descripta habetur sedare cupiebamus quod residuum est turbarum in hac ecclesia, unde magna dissipatio tandem oriri poterit, nisi Deus pro sua ingenti misericordia occurrat, et quia etiam ad hoc onus suscipiendum nos hortatus fuerat D. *Glauburgus*, ut eius mandato nobis cognitio mandata esset, hac ratione supra reiecimus quidquid communiter pertineret ad concilium seniorum in aliud tempus opportunum, ut seorsum de his rebus aliquid certi statueretur, non compromissi virtute sed pro munere nobis iniuncto: nunc, ne videamur spem quae de nobis concepta erat frustrati esse, vel noluisse, quoad in nobis situm foret, ecclesiae necessitatibus opem ferre, pronunciavimus: per nos non stetisse quominus etiam controversiae istae decisae sint. Sed a *Valerando* et senioribus responsum fuit, fore hoc mali exempli si alieno arbitrio se submitterent. Et quanquam non recusabant cum Ioanne *Calvino* et Roberto *Horno*, quia verbi ministri sunt, conferre, hac tamen lege ut *Calvinum* se didicisse [9]) ex eius scriptis ecclesiam unam alteri non esse subiectam: quia tamen nobis simul omnibus partes istae mandatae fuerant, ambo illi recusarunt seorsim a nobis quidquam agere. Quum itaque manus in hac parte nobis ligatae forent, ut nulla ratio nobis pateret ad sanandas discordias quae adhuc suspensae haerent, idque quantum recusatio illa seniorum, quam diximus, nobis viam praeclusit, profitemur ac testamur nos officio nostro defunctos esse. Quare hanc ecclesiam Deo commendamus, sicuti necesse est, ut pro sua ingenti misericordia inordinatis excessibus subveniat, quos hic relinquimus.

Huic actioni non interfuerunt D. *Glauburgus* et D. Io. *a Lasco*. Nicolaus autem *Walet*, quia a seniorum collegio erat, se a nobis disiunxit.

8) *Frankf. Rel. Handl. II. N.* 14. *Gegenbericht der Predicanten v.* 1563. *Hic legitur §.* 64. Was Calvinum zur Reise nach F. bewogen, können wir nicht eigentlich sagen. Es hat aber doch das End solcher Handlung beweiset das es fürnemlich umb Valerandum zu thun gewesen den der ist dasselbig mal durch raht Calvini vom Predigampt abgesetzt worden, darumb er darnach bis an sein end Calvino deste feinder gewesen. Gleichwol haben wir nach Calvini abscheid von etlichen vernomen das V. were angeklagt worden als hette er mit den gemeinen Allmosen vnd mit ettlicher seiner Leut Hauszzins, denen er die Heuser bestellt, vntrewlich gehandelt. Aber dem sey nu wie es wölle, da ligt vns nicht hoch an.

9) *Haec manifeste corrupta.*

2539.

HOTOMANUS BULLINGERO.

Pertinet ad Acta Calvini Francofordensia eiusque per Argentoratum transitum.

(Ex Hotomani epp. impressis p. 9.)

Clarissimo et praestantissimo theologo, D. Henrico Bullingero, pastori ecclesiae Tigurinae prudentissimo.

Tiguri.

Fr. Hotomanus S. D.

Francofordia reversus,[1]) quo una cum D. *Calvino* profectus eram, reperi domi res duas mihi gratissimas, literas tuas et Institutiones,[2]) quas tam avide exspectabam. Sed nihil aeque mihi iucundum aut acceptum fuit, quam insignis ista tui erga me amoris significatio, vel testificatio potius, qui mihi in re sane non levi gratificari voluisti. De omnibus gratiam tibi, venerande pater, habeo quam possum maximam. Institutiones quam celerrime ac diligentissime potero cum libro meo conferam, easque tibi, Deo volente, sartas tectas remittam. —

— D. *Calvinus* intra quatriduum rediturus est.[3]) Francofordiae *Velsius*[4]) quidam, qui anno superiore Coloniae captivus fuit, homo loquaculus et satis audax, Anglicae ecclesiae pastori D. *Horno*[5]) denunciavit paulo ante D. *Calvini* adventum, se propheticas quasdam revelationes habere, de quibus publice disputare vellet. Quum idem audisset, D. *Calvinum* adventare, eum praeesse voluit. Summa propositionum erat haec: aut esse liberum arbitrium, aut Deum tyrannum esse. Biduum ita disputavit, ut summo omnium ordinum hominumque consensu, si quid reliqui haberet quod de existimatione deperderet, id ei totum sit abiudicatum. *Calvinus* contra ab omnibus Germanis, non tam propter eruditionem, quae iampridem nota est, quam propter acumen ingenii, et in disputando dexteritatem quandam admirabilem in coelum laudibus est sublatus. A senatu gratiae actae,[6]) et vinum per tres apparitores honorifice missum. Quid in ecclesiae Gallicanae negotio gesserit, adhuc incertum est: nam infecta re mihi redeundum fuit. A nostris professoribus, collegis meis, convivio est exceptus,[7]) ingressus in *Sturmii* lectionem, item in meam tum ab ipso, qui e suggestu descendit, tum ab omnibus auditoribus assurgentibus amplissime est consalutatus. Concionator noster[8]) postulans, ut illi concionandi locus praeberetur, repulsam tulit.[9]) Causam Deus novit, neque enim plura nunc licet. Peto ab eo, ut ecclesiae ac reipublicae Argentorensis misereatur, tuosque labores benedicat. D. *Martyri*, et patri et compatri meo venerando S. D. *Sleidanus* iam 40. dies aegrotat, sed leviter.[10]) Vale 22. Septemb. 1556.

2540.

PANCUS[1]) MINISTRIS GENEVENSIBUS.

Rationem reddit ministerii sui apud Pictavos et Iuliodunenses.

(Ex autographo Cod. Genev. 197a, fol. 8.)

F. Pancus ecclesiae Dei ministris gratiam et pacem a Deo patre per Iesum Christum plurimam.

Quum superiori mense Septembri Pictavi * essem,[2]) ut mensae Domini accumberem et cum fra-

---

2539. 1) *vel antequam Calvinus urbem reliquerit, vide infra, et cf. quoque N.* 2532.

2) *Fortasse novam editionem codicis Iustinianei quae Par.* 1555 *cum Accursii glossis prodierat, et quam e Turico sibi ad tempus concedendam expetierat. Ipse a.* 1560 *commentarium edidit in quatuor Institt. iuris civilis libros Basileae, quem tunc praeparasse videtur postea saepius typis exscriptum.*

3) *Abire voluit d.* 24. *Sept.* (*Fresenius ref. KG. v. Frkf.* 115 *sq.*) *redux fuit Genevae d.* 12. *Oct. testibus Actis Senatus.*

4) *Cf. N.* 2531.

5) *Rob. Horne, dean of Durham, postea episcopus Vintoniensis* (*Strype, Parker* I. 133, III. 283) *resident at Frcf.* (*Idem, eccl. mem.* III. 1, *p.* 231. 404) *ibique: lectured in hebrew* (*ib.*, 543).

6) *Qua de re tacent Frankf. Rel. Handlungen et Fresenius.*

7) *In primo itinere quum Francofurtum peteret.*

8) *Alexander.*

9) *Illi ipsi, quem olim inviti Genevensibus concesserant, nunc suggestus negatus! O quae mutatio rerum! Anguem sub herba latentem vides Marbachium.*

10) *imo gravissime. Vide N.* 2546.

2540. 1) *De nomine ambigimus. Non occurrit, neque apud Lièvre, neque in Hist. eccl., neque etiam in Commentariis ministerii Genevensis.*

2) *De ecclesiis in partibus occidentalis Galliae iam saepius dictum. Hic addimus quae habet Hist. eccl.* I. 198 *de viro Scoto,* Gemmes (*James*) Hamilton, Comte d'Aran et duc de Chatellerault, *qui a.* 1559 *in hoc oppido ecclesiolam congregavit.* (*Lièvre, hist. des prot. du Poitou* I. 69.) *Pridem M. Maio* 1555 *e Geneva missus fuerat Iac. Anglus* (*Langlois*) *ad Pictavos, eodem anno Petrus Chrestien ad Andegavos, a* 1556 *Claud. Chevallier, alii seqq. annis.*

tribus pane potuque coelesti esurientem animam reficerem, redditae sunt mihi literae quas D. Carolus *Passelius*, vestro omnium nomine, ad *Anglum* et ad me communiter scripsit, et prudentissime ad priores meas ad vos literas, quibus orabam facultatem mihi dari hinc migrandi atque alio divertendi, respondit discessum meum non aliter illi probari, nisi prius libere meos admoneam, adhibita etiam obiurgatione, mihi in animo esse alio migrare. Iubebat etiam commemorare rationes mei discessus, atque ita consensum obtinerem, ne quererentur se fuisse desertos. Haec omnia absolveram, nihil horum praetermiseram, antequam vestras literas recepissem, ornatissimi viri, omnesque causas ac rationes, quae animum meum ut hinc abirem permovebant, scripto, non solum viva voce, significaveram. Non tamen destiti a suscepti muneris functione, donec ad coenam Domini fuit mihi properandum. Tum publica in concione valedixi Iuliodunensi gregi et ad Pictonas veni qui me laeto hilarique vultu susceperunt. Ibi vero mansi dies decem et octo in contubernio et consortio D. *Angli* pastoris fidelissimi, qui me humanissime tractavit. Fui vero apud eos non omnino inutilis nec otiosus. Quum enim privatis, tum maxime publicis exhortationibus ecclesiae Dei aliquem fructum adferre studebam: sed non licuit in hoc opere diutius desudare. Non enim potuerunt Iuliodunenses absentiam meam ferre et coelesti alimonia destitui. Ideo assiduis precibus D. *Gaucherianum* humanissimum hospitem meum pulsarunt ut me per literas revocaret, affirmantes se facilius corporis alimentis, imo et elementis, quam pabulo spirituali divini verbi posse carere. Nobiles quoque Scoti, milites praesidiarii, summo desiderio nostri reditus tenebantur nec quieverunt eundem hospitem meum sollicite orare, donec exorarent ut me accerseret: id quod fecit diligentissime et a me facile impetravit ut redirem, neque enim optime de me merito viro repugnare aut quidquam denegare mihi integrum fuit, propter summam illius in me autoritatem et mutuam inter nos necessitudinem. Adveni igitur desideratus et exspectatus, et confestim coepi susceptum munus obire et quam mihi mandastis provinciam administrare. Nunc ergo gregem meae fidei creditum pasco, et avidiores et ardentiores quam antea Iuliodunenses conspicio. Placida hic pace Christi beneficio fruimur quamvis non cesset Satan comminisci novas artes ut ordinem hunc nostrum interturbet et dissipet. Sed optimus maximus princeps pacis pro sua in omnes potentia et bonitate hunc conteret sub pedibus nostris, nec deseret pusillum hunc gregem, sed sua ipsius manu resarciet, custodiet et corroborabit fortiterque proteget in gloriam suam et Antichristi exitium. Huius ope suffultus alacrius in coepto itinere pergam, quandoquidem multos verbum Domini unicum animarum pastum esurire et avide illud suscipere videam, gaudeo sane oblatam mihi occasionem excolendi vineae * Domini ex qua fructum ampliorem spero. Quamvis iure queri liceat de ignavia, stupiditate et socordia quorundam, qui sibi sapientiores et aliis prudentiores videntur, qui nostram sodalitatem deserunt, non ob aliam rationem, ut aiunt, quam quod in nostrum consortium Scotos milites admiserimus, etsi non passim neque omnes, sed eos tantum qui vitae integritate christianam religionem non verbis modo sed ipsa re etiam profitentur. Facit eorum sedulitas ut talentum mihi creditum in ecclesiae utilitatem libentius collocem. Quando autem incertum est quamdiu Gallorum rex hic eos in his bellorum tumultibus esse patietur, optarem eam a vobis obtinere facultatem, ut mihi liceat ecclesias, quos Dominus in his regionibus fundavit, visitare et in verbo Domini confirmare. Hac vero potestate non me aliter usurum polliceor, nisi quatenus videro id in ecclesiae utilitatem cessurum: quemadmodum vobis referet harum nuncius, fidelis Iesu Christi servus, qui viriliter pro Christo et eius sponsa decertavit et in agro Domini excolendo in urbe Pictavorum et aliis compluribus locis evangelium annuncians desudavit. Huic consilium ac mentem meam aperui, et oravi ut eam vobis indicaret. D. Carolo *Passelio* consueto more scripsissem, nisi eum abesse Germanosque invisisse [3]) religionis gratia a fide dignis testibus accepissem. Deum patrem per Iesum Christum illi et vobis omnibus propitium esse oro, qui vos coetumque universum suo spiritu illustret, gratia confirmet et corroboret in perpetuum. Amen. Valete felices et Deum pro nobis in summis agentibus periculis precemini. Ex Iulioduno [4]) 5. nonas Octobris.

Vobis obsequentissimus filius et servus
F. Pancus.

2541.

BEZA CALVINO.

Frater natu maior Lausannam venit, ipse propediem cum patre sene congressurus est. Commendat quendam qui cantoris munus Genevae ambit.

(Ex autographo Cod. Genev. 117, fol. 99.)

---

3) *Hinc annum* 1556 *facile elicimus.*
4) *Loudun.*

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino patri mihi in primis observando.

Genevae.

S. Puto te audisse, mi pater, de fratre meo natu maiore qui praeter spem ad me venit ut mecum velitaretur. [1]) Ac mihi quidem, Dei gratia, in hac velitatione ita successit ut magnum mihi aditum patefactum putem ad ea obtinenda quae nunquam ausus fueram sperare. Nunc mihi iustum certamen imminet cum patre, quicum spero me congressurum intra quinque dies in comitatus finibus.[2]) Utinam det mihi Dominus, quod sane confido eius bonitate fretus, ut non modo illius impetus sustineam, sed etiam eum, si fieri potest, Domino meo expugnem. Paternum illum vultum, blanditias, lacrymas, et patris et senis, multo magis metuo quam ullas minas. Sed hic quoque non dubito quin me respiciat clemens Dominus, ut omnia in gloriam ipsius cedant.

Quod attinet ad caetera, constitui revertens istac iter facere ut te amplectar et profectionis tuae [3]) summam ex te praesens cognoscam. Interim hunc tibi commendo qui has tibi literas reddit. Cupit, si modo satis id commode fieri potest ac debet, in demortui cantoris locum subrogari. Musicen egregie callet, ingenio est moderato ac tanquillo, quod rarum esse nosti in eiusmodi hominum genere. Haec autem eo certius possum confirmare quo melius illum novi, ut qui iam olim Lutetiae triennium apud me fuerit. Sed hic tamen dispicies, non quid petam, sed quid expediat. Neque enim alia lege tibi eum caeterisque fratribus commendo.

Bene vale. mi pater. Dominus Iesus salvum te ac incolumem domum usque perducat, ecclesiae suae misereatur tibique indies magis ac magis benedicat. Lausanae octavo Octobris, quum iam ad iter essem accinctus, alioquin tibi obviam iturus. Iterum vale et me precibus tuis iuva.

Th. Beza
filius tibi in Domino addictissimus.

2541. 1) *Constat a.* 1556 *Ioannem de Bèze, Theodori fratrem, Lausannam venisse, ut hunc ad suos et simul ad pristina sacra reduceret.* (*Baum.* I. 234.) *De ipso itinere et congressu cum patre nihil memoriae proditum est.*

2) *Franche-Comté.*

3) *Hoc quoque facit ad annum scriptae epistolae definiendum. His ipsis diebus Calvinum Genevae appulisse scimus.* (*N.* 2539, *not.* 3.) *Beza scribere potuit vel iam advecto vel proxime redituro. Cf. quod dicit in fine.*

2542.

LE SÉNAT DE BERNE A CELUI DE GENÈVE.

Des sujets de Genève sont accusés de voies de fait commises sur la personne d'un sujet de Berne sous prétexte de paroles injurieuses prononcées contre Calvin revenant avec eux de Francfort. Berne réclame leur extradition pour être jugés par le chatelain de Coppet.

(Archives de Berne, Welsches Missiv.-Buch. D. fol. 86.)

Jenff.

Nobles etc. Nous ayant *Moderne* chastellain de Coppet adverty de la procedure par luy a linstance de Iehan *Michollet* contre certain personnaige nomme Robert *Ynfim* faicte, a cause de certainne agression par ledict *Robert* et autres françois bourgeois et habitans de vostre ville, revenantz de la ville de franckfourt d'accompaignier vostre ministre maistre Iehan *Calvin*, riere nostre jurisdiction en la personne dudict *Michollet* (combien quil ny ayt heu aulcune vulneration ny effusion de sang) faicte et perpetree, et de la lettre missive que sur ce jl vous a escripte, de voulloir jnduyre les aultres participans dudict exces a reparer la faulte par eulx commise, vous avons bien voulu advertir que de telle responce ne nous scaurions contenter ny telles jnterprinses endurer, car nous vous laissons penser et consyderer quelz et combien d'jnconvenients pourroient survenir dung coste et daultre entre voz et noz soubjectz sy telz exces avoyent lieu et les promoteurs djceulx nestoyent chastiez, dont pour aultant que ces choses la sont totallement contrevenantes a bonne amytie et voysinnance, Nous vous prions tresacertes que pour entretenement djcelle, aussy de bon paix et tranquillite, jl vous plaise jnduyre les susnommez autres françois et habitans de vostre ville sestans trouve en dicte aggression avecq le predict *Robert*, de pource respondre audict chastellain de Coppet en droict et justice, et faire condigne reparation de loffence par eulx commisse comme de rayson, car lobjection et excuse par eulx alleguee par laquelle jlz veullent jnferer que ledict *Michollet* est promoteur du debat dont est question, pour avoir profere certainnes parolles jniurieuses contre lhonneur de vostre predict ministre, ne les peult a nostre advys relever ny moings servir pour eschapper le droict et la reparation par nous regle par eulx estre faicte, daultant que silz heussent voulu soubstenir la querelle de vostre dict ministre a cause des parolles jniurieuses susmentionnees, sy aulcunes auroyent este par le-

dict *Michollet* contre lhonneur djcelluy proferees, jls debvoyent jmplorer layde de la justice sans user de force ny viollence, comme encore a present vostredict ministre, se sentant charge daulcunes parolles par ledict *Michollet* contre son honneur dictes, cela pourra faire, ou aultres a son nom, et jcelluy prendre par le droict devant le prenomme Chastellain, lequel en suyvant nostre commandement pource luy administrera bonne justice, cependant vous prions comme dessus que les delinquantz susmentionnez soyent jnduyctz a respondre audict Chastellain a rayson de lexces et offence par eulx commise et que reparation condigne en soit faicte. Surce attendant vostre bonne responce . . . . Datum 13ª Octobris 1556. [1])

L. et C. de Berne.

2543.

PERRUCELLUS MELANCHTHONI.

Iussu senatus Wesaliensis exponit ei fidem ecclesiae exsulum Gallorum maxime quoad eucharistiam, in eum finem ut ex eius arbitrio a magistratu hospitium prius concessum ipsis deinceps continuetur.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 136. Desideratur in Corp. Ref. et ap. Bindseil. Habet vero Wolters in Ref. Gesch. d. Stadt Wesel. p. 443, qui tamen de fonte suo tacet.)

Gratia et pax per Iesum Christum.

Reverende domine, non dubito quin prudentissimus et honestissimus noster senatus ad te scripserit de compromissione inter ipsum et me facta in tuum arbitrium super articulo de coena Domini. [1]) Quare supervacaneum esse existimavi totam actionem in iis meis literis repetere. Satius autem duxi diserte tibi explicare qualis sit nostrae ecclesiae de ea re sententia. Credimus itaque coenam Domini esse ritum qui non habet rationem sacramenti extra usum. Item credimus esse pignus et testimonium gratiae, quod de promissione et tota redemptione commonefacit et ostendit beneficia evangelii ad illos pertinere qui eo ritu utuntur. Credimus etiam esse vinculum et notam publicae congregationis, qua Deus suam ecclesiam ab aliis discernit. Reverenter autem ad eam accedendum esse dicimus, quum ibi testimonium exhibeatur mirandae societatis Domini et sumentium, et in ea inclusa sit promissio de conservanda ecclesia, quum iubemur annunciare mortem Domini donec veniat. Item credimus eam prodesse ad propagationem et conservationem memoriae beneficiorum acceptorum a Christo, et per eam nos confirmari, ut statuamus ad nos pertinere beneficia evangelii, et Christum hoc foedus nobiscum facere: Manete in me et ego in vobis. Item credimus esse confessionem qua ostendimus quod doctrinae genus amplectamur et cui coetui nos adiungamus, et est etiam vinculum mutuae inter nos benevolentiae. Credimus etiam oportere accedentes adferre conversionem et ibi quaerere confirmationem suae fidei, ita tamen ut non existimemus propter hoc opus remitti peccata. Item credimus recte utentes hoc sacramento verum corpus et sanguinem Christi sumere, mente non ore, et quod scriptum est animas nostras carne et sanguine Christi pasci, non intelligimus transfusionem substantiae fieri sed virtute spiritus sancti eas vitam haurire ex carne et sanguine semel pro nobis oblatis: ipsum vero Christum, quatenus homo est, non includimus elementis, sed fide in coelo intuemur, nec in eo admittimus confusionem naturarum, sed propositionem illam: Christus est ubique per communicationem idiomatum, intelligimus secundum naturam quae est infinita, velut illam: Christus est mortuus, videlicet secundum naturam quae erat mortalis. Nam si ubiquitatem seu infinitatem gloriosi corporis Christi fingamus, idem erit dicendum de corporibus nostris post resurrectionem, iuxta illud Pauli: Conversatio nostra in coelis est, unde et servatorem exspectamus omnium, Iesum Christum,

---

2542. 1) *Nous ne trouvons pas d'autres renseignements sur cette affaire. C'est chose digne de remarque que cette réclamation ait suivi de si près le retour de Calvin.*

2543. 1) *Vide Riverii Memor. in Frankf. Rel. Handl. I. Beil.* 190 *p.* 283. *Wolters p.* 177. *Ibi Perrucellus narrat ministros lutheranos, quo tempore ipse Francofurti erat, senatum magis magisque contra peregrinos excitasse, ita ut ab his confessionem postularet quantum ad causam eucharistiae, de caeremoniis interim verbo nullo facto. Anglos suam exhibuisse patriam, ipsum propriam et quidem d.* 8. *Oct. Quae ad Melanchthonem missa est, vel ipso Perrucello rogante ut Wolters habet p.* 177, *vel ex proprio senatus motu, ut ille refert. Haec nostra epistola senatui resignata tradita est ut Witebergam mitteretur; cui senatus quatuor aureos addidit, ut viri summi pristina officia remunerarentur. — Exstat ep. Perrucelli ad Antwerpianos in Archivis eccl. Wallon. Amstelod. d. d.* 28. *Nov. in qua narrat Melanchthonis responsum senatui traditum fuisse paucis ante diebus per Thomam Plateanum v. d. m. Vesaliensem. Coram ipso et Anglis ex ea epistola fragmenta tantum lecta esse, de baptismo, coena et caeremoniis, et autorem ibi usum esse vocc.* realiter et substantialiter. *Tum senatum conditiones proposuisse duas: iisdem vocibus utendum esse et oralem manducationem confitendam, quod nisi fieret peregrini omnes initio Martis anni proximi solum vertere coactum iri. Epistola Mel. legitur in Corp. Ref. VIII.* 908 *ubi tamen falso ad* 19. *Nov. refertur. Exstat quoque in Riverii Memor. p.* 284.

qui transfigurabit corpus nostrum humile et conforme reddet corpori suo glorioso. Tantum abest autem ut nostra hac confessione damnemus eorum coenam qui bona conscientia de praesentia corporis a nobis dissident, ut etiam eos tanquam fratres amplectamur et cuperemus nunquam esse motam istam controversiam quae progressum evangelii impedivit et magnarum calamitatum in ecclesia causa fuit. Verum quum noster senatus a me peteret ut quid de ea re sentirem diserte proferrem, vocatus ad confessionem in tam celebri loco non putavi mihi quidquam dissimulandum, ne conscientiam meam sauciarem.

Sunt etiam quaedam inter nos controversa de baptismo et caeremoniis. Nam in baptismo nostrorum infantum relinquitur mihi ministerium verbi, tantum elementa retinet sibi minister germanicus. Quamvis non ita contendam de ea re, tamen istam divisionem ministerii verbi et elementi non possum probare. Item nos dicimus promissiones ad semen Abrahae pertinere, nos autem et nostros filios semen Abrahae esse, ergo bene sperandum esse de filiis sanctorum qui moriuntur ante baptismum. Nam licet natura nascantur filii irae, tamen videntur sanctificati eo quod nascantur ex sanctis, iuxta id quod habetur 1 Cor. 7: ministri vero huius urbis illos condemnant. Item quum in administratione coenae valde multum caeremoniarum retineant, videtur esse minus aequum nos adigere ad earum observationem, quum nunquam antea iis in nostris ecclesiis usi simus, et nostri maxima ex parte infirmi iis offendantur, et etiam ii qui cum nobis contendunt fateantur esse indifferentes. Haec habui, reverende Domine, quae nostri senatus iussu tibi proponerem: quibus ut benigne respondere velis te per Christum, de cuius gloria agitur, obsecro. Vale in crucifixo Iesu filio Dei, qui te semper suo spiritu regat. Amen. Wesaliae 15. Octobris 1556.

Tuae praestantiae addictissimus
Franciscus Perrucellus
minister ecclesiae gallicae exsulantis Wesaliae.

2544.

PERRUCELLUS CALVINO.

A senatu Wesaliensi de doctrina interpellatus, quum iussus fuerit Augustanae confessioni subscribere nisi sibi et suis hospitium denunciari vellet, hoc pacto evasit ut iudicium Melancthoni deferretur. Qua occasione Lutheranorum caecam rabiem exemplis illustrat.

(Ex autographo Cod. Paris. Collect. Dupuy Vol. 268, fol. 50.)

Clarissimo viro insigni pietate consilio ac doctrina ornato ac ecclesiae Genevatium pastori vigilantissimo Iohanni Calvino praeceptori meo perpetua observantia colendo.

Genevae.

Gratia et pax per Iesum Christum.

Clarissime domine, putarem mecum felicissime agi si quandoque mihi daretur occasio animi mei erga te gratitudinem et observantiam aliquo officio testandi. Nam ut nihil dicam de multis aliis tuis erga me beneficiis, ne agere quidem unquam potero gratias dignas illo pio et prudenti consilio, quo nuper anxio ac sollicito animo meo magnam consolationem peperisti.[1]) Sed non me pudet esse in aere eius quem pretiosissimarum mercium creditorem totus orbis agnosceret, si non prorsus insaniret. Quum enim sciam te nullum aliud virtutis pretium quam virtutem ipsam existimare, ac beneficia non ut ineas gratiam sed tantum ut prosis conferre, minus angor si nihil praeter animi gratitudinem praestare possum.

Postridie[2]) quam redii Francfordia illud tuum consilium et literas nostris omnibus proposui et eos admonui ut una mecum cogitarent de ineunda aliqua ratione qua istis turbis mederi possemus. Dum in hanc rem intenti sumus feliciter accidit ut me senatus accerseret. Quum in consessum venissem senatus modeste commemoravit suam erga nos humanitatem in praebendo nobis hospitio cum magna offensione multorum, et dixit nos non satis gratos esse, qui eorum ritus et doctrinam, nulla habita ratione tantae humanitatis, damnemus. Se vero nequaquam posse aut velle ferre istas dissensiones, ne in suis quidem civibus. Non tamen credere, me ex eorum numero esse qui doctrinam eorum damnent, et propterea petere ut hoc diserte in eo consessu ac demum meis in templo testarer. Respondi, me ante

---

2544. 1) *Francofurti.*

2) *Ipse paulo aliter in Mem. p.* 283: Wesaliam itaque reversus ubi has literas communicavi fratribus me rogarunt ut instarem adhuc semel apud concionatores Germanos. Quod eis denegare nolui. Sed quum in id omne meum studium conferre volebam, revocavit me istud quod ex concionatoribus unum (ob id quod D. Velsius se ei opposuisset provocatum) ingentes in concionibus suis in peregrinos tollere clamores inque eos complures ex senatu concitare intelligerem, tum quod concionatorem civitatis natu maximum erroris accusatum esse quantum ad doctrinam eucharistiae, adeo ut eum senatus de fide sua examinaret parumque abesset quin ministerio privaretur. Quae res occasionem praebuit quibusdam adversariis nostris, ut in senatu proponerent peregrinorum quoque fidem examinari debere, *caett. Mireris Perrucellum de his h. l. tacuisse.*

biennium, quum huc venirem, professum esse ante ministros ecclesiae huius oppidi,[3]) quid de unaquaque parte doctrinae sentirem, et ministros probasse illam meam confessionem in qua persistam. Ad haec senatus: Multa ab eo tempore mota esse, et propterea esse consultius, quo tollatur omnis dubitatio, ut in aliquod scriptum cum ipsis consentirem, et mihi proposita est Augustana confessio. Dixi, me quidem legisse Augustanam confessionem, sed non tanta attentione ut statim possim proferre quid in ea probem aut improbem: meminisse tamen mihi in ea quaedam visa fuisse duriuscule scripta. Non esse autem aequum me cogi in illud scriptum iurare, quod eius autor visus sit non ita probare, edita postea confessione quae Saxonicarum ecclesiarum nomine concilio Tridentino exhiberetur. Ubi animadverterunt me hac via capi non posse, tunc non amplius dissimulata causa ob quam vocatus eram interrogarunt an ego cum nostra ecclesia in opinionem eorum de coena Domini consentire vellem: quod si nollem, aliud hospitium mihi et ecclesiae quaererem. Tunc praefatus, mihi esse gratum quod in tam celebri loco daretur occasio Deum nostra confessione glorificandi, protuli ea quae iam ad te mitto de causis effectibus dignitate et usu coenae dominicae ac praesentia corporis Christi in ea. Non ita multi ex illis visi sunt intelligere quid sentirem, et (meo iudicio) ministri minime omnium. Nam quum dimisso senatu totam rem apertissime eis explicarem, dixerunt se nobiscum sentire. Quod scio nequaquam esse verum.

Tandem quum senatus difficulter se ex hoc negotio extricare posset, eo deventum est ut in D. Philippum *Melantonem* compromitteremus. Quare mandato senatus literas (quarum exemplum ad te mitto) ei scripsi. Necessitas coegit hoc nos facere: iam enim lata erat in nos sententia exsilii. Confirmavit me multum tua autoritas. Nam in scripto adversus *Westphalum* videris eius arbitrium in hac re non abnuere. Angli approbarunt nostram confessionem et avide D. *Philippi* responsum exspectant. Aliter ad eum scripsissem, si senatui non fuissent ostendendae literae. Verum hoc praestitit Hubertus *Languetus*,[4]) qui veniens Vitemberga te salutavit Francfordiae. Is enim diligentissime totam actionem, cui perpetuo interfuit, ad eum et alios amicos perscripsit, et hortatus est ad aliquid audendum data tam pulchra occasione. *Hubertus* dicit se certo scire eum non condemnaturum nostram confessionem, sed dubitat an aperte sit probaturus. Sperat autem eum saltem scripturum ad senatum ut nos etiam dissidentes ferat. Quod si fiat bene spero de nostra ecclesia. Nam qui nobis bene cupiunt audacius se adversariis nostris opponent, si ipsis autoritate *Philippi* niti liceat.

Quum nobiscum loquuntur ministri ecclesiae huius oppidi, probant omnia quae dicimus: postquam vero a nobis discesserunt, spargunt multa quae a nobis nec dicta nec cogitata fuerunt. Vanitatene an malitia hoc faciant nescio, sed tamen scio in eis non esse tantum iudicii ut intelligant quis sit status controversiae, et quantum coniicio, etiamsi illis in omnibus assentiremur, nihilominus tamen a nobis dissentire vellent. Quid facias istis hominibus? Quas blasphemias reformidabunt proferre, qui, ut sua deliria et suam insulsam ubiquitatem tueantur, dicunt corpus Christi fuisse ubique, etiam antequam nasceretur ex virgine Maria? Quid non audet adversus Deum mens humana, quando eius acies fulgore veritatis perstringitur? Quum ante aliquot dies vicino oppido decumberet honesta matrona, accessit ad eam minister deliramentum exhibiturus, et eam interrogavit an crederet in pane et vino verum corpus Christi esse? Negavit illa se credere. Mortua iussu ministri tracta est ad patibulum et ibi sepulta. Tam rabiose et furenter grassatur diabolus in cordibus eorum qui mansuetudinis exemplum aliis praebere debent. Non potest dici quantis calumniis nos onerent, et quanto odio prosequantur, ex nulla alia causa quam quod semel iniuste odisse coeperunt, quod genus odii solet esse acerbissimum.

Haec ad te scripsi tum ut nobiscum ecclesiae calamitatis indoleas, tum ut nos tuo consilio et precibus iuves et consoleris. Nos literas *Philippi* eo animo exspectamus[5]) ut, si nos condemnet, (quod confidimus eum non facturum) eius iudicium etiam centies expetitum reiiciamus. Interim temporis usura fruimur et de migrando exsilii loco cogitamus si quid nobis praeter opinionem accidat. *Hubertus* hinc discedens petiit ut te reverenter suo nomine salutarem. Idem cupit tota haec nostra ec-

---

3) *Plateanum et Herm. Stein, qui adversariorum acerrimus erat.* (*Wolters.*)

4) *Vir nobili genere natus in Burgundia a.* 1518, *studiis operam dederat Pictavii Lipsiae et Patavii. Fuit Camerario et Melanchthoni familiaris* (*ideoque Vitebergam domicilium sibi elegit*) *altera ex parte Mornaeo et Thuano coniunctus. Multis itineribus et scriptis epistolis inter coactaneos insignis, nunc quoque ab historicis eam ob causam frequenter excussus, maxime de rebus gallicis accuratius indagandis. Obiit* 1581. *Vitam eius scripsit De la Mare P.* 1852. *cf. Gillet, Crato* I. 272 *et passim. Haag* VI. 264. *Casu tunc Vesaliae fuisse asserit Wolters p.* 185. *Perrucellus vero l. l.* 283: Vocati sunt peregrinarum ecclesiarum docti homines. Ex Anglia praesto fuerunt D. Trehernus, Wilfordus, Bois et alii, ex gallicana vero ecclesia Petrus Gandensis, Adr. Treselius, Hub. Languetus et alii.

5) *Respondit* 13. *et* 18. *Nov. senatui commendans benignitatem et mansuetudinem erga peregrinos vide praeced. in not.*

clesia. Vale in crucifixo filio Dei, qui te benedicat et diu ecclesiae suae servet. Amen. Wesaliae 20. Octob. 1556.

Tuae praestantiae addictissimus
Franciscus Perrucellus
minister exclesiae gallicae exsulantis Wesaliae.

2545.

LANGLOIS MINISTRIS GENEVENSIBUS.

Statum rerum apud Pictavos exponit.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 95.)

[*Exi*]miis viris ecclesiae Christi doctoribus ac vigilantissimis pastoribus I. Anglus [1]) S. prec.

Quum satis superque mihi constet, pastores fidelissimi, vos plane quidquid hic geritur iam a quibusdam ex nostris carissimis qui nuper hinc ad vos migrarunt accepisse, superfluum prorsus hoc rude scriptum addere videretur, nisi eo animum meum vobis semper obsequi paratissimum testari malim quam silentio pigritiae ingratitudinisve suggillari. Quando enim certo sciam vos nihil vehementius optare quam ut identidem audiatis pusillum gregem inter truculentissimos hostes mirabili Dei providentia servari, improbus essem omnino si flagrantissimis votis vestris non responderem. Proinde quae digna sunt ut scribantur summatim duntaxat attingere volui, quandoquidem hic copulatissimus frater et collega, [2]) qui nostris rebus non interfuit modo sed etiam strenue huic ecclesiae aedificandae operam navavit, fusius (ut spero) omnia vobis narrabit.

Primum minime vos latere coniicio, adversarios nostros nullum tumultuandi finem facere: attamen suis conatibus obstare nondum potuerunt quominus nos divina virtute suffulti assueto nostro tramite decurramus. Itaque quum ex Dei benedictione uberior quam antea messis appareret, unum adhuc operarium eligere curavimus, virum pium et sacris literis optime eruditum, qui suum candorem vere christianum testari videbatur, qui etiam mox atque cooptatus fuit, non segniter suum agressus est munus, opereque suo monstravit quanto desiderio promovendi regni Christi teneatur. Unde Deo favente speramus nos eius adminiculo feliciores posthac progressus facturos.

Praeterea audistis perniciosum illud dissidium quo Satan coetum Iuliodunensem [3]) dissipare conatus est, ita ut dilectissimus noster *Pancus* coactus fuerit apud nos paulisper dum revocaretur commorari. Qui etsi tempus interim minime tereret incassum, quin potius alacri animo utramque manum operi nostro admoveret, ut tamen non nobis tantum verum etiam suis [4]) iterum prodesset, placuit Domino spiritum suum piis quibusdam fratribus afflare, qui repente pastorem revocarunt, ipsumque rursus humanissime exceperunt. [5])

Caeterum quum quotidie hic graves arduaeque difficultates oriantur quibus interdum vix satisfacere possumus, libenter istuc proficiscerer ad D. *Passelium*, vosque de his consulerem, ut etiam vestris sanctis exhortationibus et lectionibus aliquod tempus animi effoetae propemodum vires roborarentur. Ob id iam ab ecclesia mihi vos adeundi facultas hac lege concessa est ut quoties me evocarit protinus reversurum me pollicear. Superest igitur, pastores clementissimi, ut vos exorem huic facultati suffragari. Valete, doctissimi domini. Christus suo spiritu vos gubernet semper virtuteque tueatur et protegat. Amen. Rogamus ut assidue vestris sanctis orationibus iuvemur. Omnes fratres D. *Passelium* vosque omnes salutant. 13°. Cal. Novembris.

Vester obsequentissimus discipulus
Iacobus Anglus.

2546.

HOTOMANUS CALVINO.

Argentoratensia. Mors Sleidani. Pfarreri consulatus et quid ab eo exspectetur. Schola frequens. Alia minoris momenti.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 22.)

2545. 1) *Jac. Langlois m. Maio* 1555 *a Genevensibus ministris ad Pictavos missus fuit.*

2) *Fortassis is fuit Simon Brossier qui a.* 1556 *ecclesiam Biturigensem condidit. Postea magnam partem provinciae Pictaviensis evangelista peragravit et supplicio affectus est a.* 1562. En 1555 l'ordre de l'Église fut dressé à Poitiers par Pierre Chrestien. (*Hist. eccl.* I. 101. 764.)

3) *Loudun. Cf. N.* 2540.

4) *Iuliodunensibus.*

5) *Quae hic dicit ea epistolae natales indubitato sistunt, quum Panci relatio modo laudata annum* 1556 *prae se ferat.*

Clarissimo et praestantissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo.
Genevae.

Fr. Hotom. S. D.

Meus morbus [1]) levissimus fuit et confido Deum incolumitatis tuae curam habiturum, quam scit ecclesiae suae nunc ut quum maxime opportunam esse. Verum alius est optimi et sanctissimi amici nostri exitus, *Sleidani* inquam. Qui quo tempore maxime cupiebat amicitia uti nostra propter febriculam meam non potuit. Quam tamen facile contempsissem, nisi medicus, qui utrumque nostrum curabat, semper aliud eventurum confirmasset. Obiit 5. Cal. Nov. [2]) hora secunda mane placidissime sese ad mortem quasi ad sempiternam quietem comparans. Quam ego quietem illi beneficio Dei tributam sane confido. Animum enim hominis novi sincerissimum, et quod sancte affirmare possum, ea modestia praeditum quantam nunquam in homine tam erudito maiorem animadverti. Puellas tres reliquit, quae nunc in avi materni [3]) manum et disciplinam (nosti autem hominem) incident. Sed de *Sleidano* hactenus: cui sane continuandae historiae egregium argumentum dabas. Lubenter sane fecisset ut eos quorum culpa et socordia superstitionum fontes istic emanant perstringeret. Saepenumero enim de illorum erga te humanitate disserentem illum audivi.

Sturmius valet Dei beneficio. *Sevenus*, [4]) biduo postquam a nobis [5]) Francofordiam discessisti, Lutetiam et alio profectus nondum rediit. Aegrotare dicitur. Interea summum silentium. *Conradus* [6]) te apud D. *Farrerum* excusabit. Rogo ne hanc tuendae amicitiae vestrae occasionem praetermittas. In aegroti scribae locum qui suffectus est hoc praestare poterit. Intra dies aliquot *Farrerus* [7]) consul, ut omnes aiunt, creabitur: sic enim ordo postulat. *Sleidanus* tamen verebatur ne aetatem excusaret. Si consul fiat (et ut non fiat, nihil enim interest) peto abs te ut idololatriae totiusque papisticae sentinae deiectionem literis illi copiosissime et accuratissime scriptis commendes. Si convertendas istic curares, consultius opinor esset. Omnium spes ab illo pendent. Nisi quid eius consulatu fiat reliqua spes admodum tenuis est. D. *Marpachius* rediit, ait messem esse uberrimam, plane maiorem quam exspectabat, sed operariorum magnam penuriam. D. *Zanchi* uxor confecta morbi diuturnitate *Sleidanum* paucis diebus interiectis subsequuta est. [8]) Nunc videtur fore aliquid cum socero negotioli, qui sane veteratorie cum imperito iuris egerat. Poloni hic quam plurimi, et Viennenses, studiorum causa confluunt. *Rex Polonus*, aere episcopali obstrictus, quo se vertat non videt. Religionis curam, ut aiunt, non magnam habet: itaque spes sunt omnium bonorum perquam exiguae. Deum oro ut ecclesiam suam bonis et fortibus praesidiis muniat et spiritu suo sancto pastores eius adversus omnes Satanae insidias confirmet, teque diutissime incolumem conservet. Vir clarissime et integerrime, vale et salve, tuaeque valetudinis maiorem quam adhuc fecisti curam suscipito. Argent. viii. Cal. Nov. 1556. *Cokus* et *Vrottus* [9]) caeterique Angli te reverenter salutant. Idem facit concionator noster, qui nondum ex morbo gravissimo recreatus est.

2546. 1) *An forte hac de causa citius e Francofurdia rediit?*
2) *Vide tu quo pacto id conciliari possit cum subscriptione epistolae. Quid quod vulgo Sl. obiisse dicitur pridie Cal. Nov. Cf. Edit. am Ende* III. 558. *Paur, Sleidans Commentare p.* 19, *qui dicit illum diem primum in ed. Basil. Thomae Courteau* 1559 *indicatum unde in sequiores transiit. Schadaeus in vita Sl. suae translationi praemissa de die tacet, ut Reusnerus in Iconibus. Adami vitae philos. ultimum mensis praebet.*
3) *Uxorem duxerat filiam Io. Braunii a Nydbruck M. D.* 1546. *De filiabus Schadaeus quaedam tradit.*
4) *Cf. N.* 2539.
5) *i. e. Argentorato, nam ipse Hotomanus se Calvino comitem addidit.*
6) *Hubertus.*
7) *Matthias Pfarrer, Altammeister, senior senatorum, Iac. Sturmii amicus, saepissime cum eo legationibus functus. Quos Beza in Iconibus dicit* non Argentinensis tantum reipublicae verum etiam totius Germaniae lumina. *Is Marbachii et Lutheranizantium conatibus fortiter usque resistebat.*
8) *Schmidt in Studien u. Krit.* 1859 *p.* 638.
9) Sir Tho. Wroth, one of the principal gentlemen of the privy chamber of Edward VI. with whom the king used to play. (*Strype, Mem.* II. 2, *p.* 164, I. 388, III. 1, *p.* 226. 232.) *Argentoratum se recepit post mortem regis.*

2547.

LE SÉNAT DE GENÈVE AUX AMBASSADEURS DES LIGUES.

Response a messieurs des Ligues sur la requeste quilz avoient faicte pour les condamnez de Geneve. [1])

(De la main de Jonvilliers. Bibl. de Genève. Pièces diverses. Portef. A. Lettres fr. II. 106. Trad. angl. III. 296.)

Magnifiques, nobles, saiges et treshonorez Seigneurs, bons voisins et seigneurs amyz, nous avons receu vostre lettre datee a Bade du 15. d'octobre, par laquelle vous nous priez, a la requeste d'aucuns

2547. 1) *Inscription au dos de la pièce. Voyez Reg. du Conseil* 25. *Oct. N.* 2505. 2511.

iadis noz bourgeois, lesquelz ont esté condamnez par nostre iustice, que nous leur veuillions donner saufconduit pour se venir purger des crimes a eux jmposez.

Pour responce nous vous prions avoir telle estime de nous, attendu la bonne amytié et voisinance que nous avons avec les magnifiques et puissans signeurs des Ligues, l'humanite que tousiours jlz nous ont monstree, les biens et plaisirs que nous avons receuz d'eux et que nous en esperons encores a l'advenir, que nous vouldrions entant qu'il nous seroit possible leur complaire en tout et partout, et tant que nostre petit pouvoir se pourra estendre, nous tascherons de monstrer par effect qu'ilz ont en nous des voisins qui ne demandent qu'a leur faire service, et se monstrer amyables envers eux. Parquoy nous eussions bien desiré que quelque bonne occasion se fust offerte de nous requerir d'une chose plus favorable, et laquelle nous eussions peu accorder sans nostre grand preiudice.[2]) Car nous n'eussions pas esté difficiles a satisfaire a leur desir, et sommes bien marriz destre contrainctz de nous excuser envers vous sur la demande presente que nous avez faicte. Combien que nous esperons tant de vostre humanité et prudence, qu'aians ouy[3]) les raisons qui nous empeschent, vous ne serez point offencez de nostre responce, mais la recevrez benignement et en serez contentez. Car nous ne doubtons point que vous, et en general les magnifiques Signeurs des Ligues, n'aymiez que l'estat de nostre ville soit maintenu et conservé en son entier, et ne vouldriez estre cause qu'il nous advint troubles ne fascheries, mais plustost nous vouldriez aider et secourir[4]) en tout besoing. Or est jl ainsi que d'ottroier un tel saufconduit a ceux qui pour fuyr la punition de leurs crimes se sont rendus fuitifz, ce seroit faire ouverture a une trop grande licence, et par trop amoindrir l'authorité de iustice. Surtout, d'aultant que ceux qui vous ont requis d'interceder pour eux, nous ont long temps faict de grandes confusions en nostre ville par leur audace et temerité, en sorte qu'on peult bien juger qu'ilz ne pretendent pas a se justiffier, comme aussi il leur seroit jmpossible, mais plus tost a essayer s'ilz pourroient esmouvoir quelque sedition pour nous mettre en ruine. Et defaict nous apercevons par voz lettres qu'ilz vous ont mal informez, disans qu'ilz ont esté dechassez de nostre ville. Car sachans que leur cause se traictoit en nostre Conseil, appellé des deux cens, n'estans pressez que de leur mauvaise conscience, ilz s'enfuyrent. Et apres avoir esté proclamez plusieurs fois, non seulement ne sont comparuz, mais ont oultragé de faict et de parolles tous les nostres, se declairans ennemyz de nostre ville et communaulté. Et ont continué en telles jnsolences, apres avoir faict les poursuyttes[5]) vers vous, dont vous pouvez juger qu'ilz ont par trop abusé de vostre bonté et doulceur, quant ilz se sont ainsi eslevez contre ceux ausquelz jlz vous prioient de porter requeste en leur faveur. Et puis qu'ilz vous ont faict a croire qu'aians obtenu saufconduit par vostre moien, jlz feroient en sorte que chacun se contenteroit d'eux, ne fustce que pour la reverence de vous, ilz se devoient porter plus modestement, attendans l'j[illegible]ie. Mais Dieu qui les a endurez en longue patience, les descouvre telz qu'ilz sont. Et de vostre costé, esperons, nobles et sages Signeurs, qu'estans advertiz de cecy, vous jugerez qu'ilz ne sont pas dignes que moindres que vous s'empeschent pour eux. Mesmes nous pensons bien que les magnifiques Conseilz des Ligues, aians n'agueres esté par nous informez de la verité du faict, en auront telle reputation, et ne vouldroient que pour leur avoir obtemperé en ceste demande, nous souffrissions aulcun dommage ne trouble. D'aultre part, puis qu'on leur a donné assez bon terme de se representer en iustice, et pource qu'ilz ne sont comparuz, ilz ont esté condamnez par contumace. Nous vous prions de penser si maintenant les sentences donnees se pourroient retracter, les admettant a nouvelles procedures, sans violer tout ordre de iustice. Parquoy nous vous prions derechef de nous tenir pour excusez si nous ne pouvons introduire en nostre ville un exemple qui n'y a iamais esté veu,[6]) et donner licence a gens que nous congnoissons estre desbordez du tout, de venir attenter de faire quelque confusion, veu que les malefices pour lesquelz ilz ont esté condemnez sont assez notoires et ont esté publiez, et leur estoit licite de respondre s'ilz ne se fussent sentiz coulpables. Au reste nous vous prions aussi d'advertir les Magnifiques Signeurs des Ligues voz superieurs qu'en ce qu'ilz leur plaira requerir de nous, et qui sera en nostre faculté, ilz nous trouveront tousiours prestz, comme nous avons protesté, a nous emploier a leurs faire tous services, et obtemperer a leurs bons desirs.

Surquoy nous desirons d'estre humblement recommandez a leurs bonnes graces et aux vostres, prians Dieu qu'il luy plaise vous tenir en sa saincte garde et vous augmenter en tous biens et prosperité. De Geneve, ce xxv^e^. d'octobre 1556.

2) prudence *Bt.*
3) veus *Bt.*
4) servir *Bt.*
5) prophestes *Bt.*
6) bon *Bt.*

2548.

CALVINUS MUSCULO.

Narrat quid Francofordiae egerit tam in ecclesia Gallicana de Valerando Pollano, quam cum Velsio et ministris Lutheranis. Item quid Argentorati gesserit.

(Ex autographo Cod. Bern. A. 30, fol. 4.)

Ornatissimo viro et Bernensis ecclesiae doctori fidelissimo D. Wolpgango Musculo fratri et symmystae observando.

Bern.

S. De profectionis meae successu coram tibi in reditu narrassem plus quam literae ferant, nisi visum esset eorum oculis parcere, quibus nomen meum magis odiosum esse nosti quam ut praesentia sit tolerabilis. In sedandis ecclesiae Gallicanae discordiis molestissimus labor, qui nos totis quatuordecim diebus velut constrictos tenuit. Quum omni genere supplicii dignus esset *Valerandus*,[1]) clementer ob certas causas pepercimus eius vitiis. Quod tamen unicum pacandae ecclesiae remedium erat, ministerio se abdicavit, et simul ingenue apud ecclesiam, licet verbis paulo mitioribus, sumus professi, eum probi pastoris officio non ubique functum esse. Traducta enim palam vitia fuerant, quibus si notarer abderem me in aeternas latebras. Coactus sententiam amplecti non destitit tamen qua solet improbitate iactare, se fuisse absolutum.

Interea *Velsius*, cuius tibi opinor non ignotam esse vesaniam, bidui disputatione nos exercuit. Tuebatur liberum arbitrium et praedestinationem oppugnabat.[2]) Quanto cum dedecore atque etiam totius auditorii ludibrio discesserit homo mira arrogantia turgidus, ex aliis te scire malo. Quasdam etiam turbas in ecclesia anglicana composui.[3]) Denique uberem quantumvis laboriosae operae fructum ex illa urbe mihi retulisse videor. Ministri germanicae linguae colloquium meum fugerunt.[4]) Unus, quem reliquis doctiorem existimant, *Matthias*[5]) semel pransus est mecum. Eram titulo reverendus praeceptor: ille re ipsa discipulus nimium pervicax. Quum iussisset senatus mecum saltem ante discessum colloqui, dixerunt sibi non esse tutum, quia suspicio erat me captare disputationis occasionem, se vero homines esse indoctos neque pares ad respondendum. Accidit paulo post ut in me simul omnes inciderent. Aggressus sum: dixi mirum esse quod in re non dubia tantopere essent perplexi: fuisse quidem mihi propositum aliquam rationem consensus tentare, verum si non admitterent me non esse tam importunum ut invitos capillis traherem. Exposui quae dicturus fueram, attonitos reddidi, nisi quod unus in ridiculam vocem erupit: me illis futurum fuisse numinis divini instar (sic enim loquutus est) nisi errarem pertinaciter: itaque iam non licere me pia mente excipere. Tractavi hominem ut dignus erat, et a suis etiam stomachose explosus fuit. A senatu omnia benevolentiae et humanitatis signa mihi exhibita fuerunt, ut non potuerit magis honorifice mecum agi.

Argentorati Theobaldum *nigrum*[6]) et paucos alios ex pastoribus vidi. Nam *Merbachius*, ut facete

---

2548. 1) *Heus, quid hic audimus post perlectum iudicium N. 2538. Haec certissimime non de electionum dissidiis dicta sunt, sed de peculatus fraudibus Pollano exprobratis.*

2) *In margine lacera:* Est qui ante annos . . . . . Bucerum in eodem [*gen*]ere disceptationis . . . . . cavit.

3) *De his nihil in libello:* Brief discourse of the troubles at Fr., *ubi de anno* 1556 *tacet autor.* — *In margine Codicis:* . . . . . ntem celebris . . . . ntus.

4) *Fresenius* (*KG. der Ref. in F. p.* 111) *autor est, peregrinos Calvini adventum celasse usquedum in eo fuerit ut abiret et testem adducit* den Gegenbericht der Predicanten §. 64. *Ibi vero haec tantum legimus*: dass die fremden jmer der Geschicklichkeit gewesen das sie was sich vngeschickts unter jnen zugetragen so jnen zur schand vnd vnglimpff für vnser Oberkeit vnd Gemein mögen gereichen allzeit in grosser geheim gehalten. *Tum vero pergunt:* Als Calvin den 24. Sept. widerumb heim zu reisen gesinnet sind den nechsten tag davor 4 Herren die zum theil der Fremden Patronen waren in die Castenstube zusamen komen, nach vns geschickt vnd erstlich vns ein geschrieben Buch so H. Ioh. v. Laski gestellet genant *purgatio ministrorum in ecclesiis peregrinis Francofurti* etc. zugestelt mit befehl das zu ersehen vnd zu widerlegen. Demnach haben sie weiter angezeigt das H. Joh. Calvin fürhette den folgenden tag wider heim zu reisen. Nu wolte er doch so grob vnd vnfreundlich nicht sein das er vns nicht zuvor anspreche vnd gesegnete: da wirs denn leiden möchten wer er willig daselbst hin zu vns zu komen vnd were im Römer, da wartet er auf vnser antwort. Das nu H. Calvin ein solche sach durch Personen des Rahts an vns werben lies vnd in derselben gegenwertigkeit ausrichten wolt, das must vns wunder nemen vnd machten vns gleich gedanken es würde ein angelegte sach seyn, gaben derhalben ohn weiter bedenken diese antwort: C. were nicht vmb vnsert willen herkomen vnd wiewol er für einem halben Jar an vns geschrieben v. sich solches erbotten, hetten wir doch geantwortet das wir vns nicht versehen das er vmb vnsert willen herkomen solte. Auch hette er vns nachdem er ankomen nicht begrüsset. Derhalben wir jm nicht könnten für übel nemen ob er auch vns vnbesprochen wider heim zöge, als der vns noch vnbekannt vnd sein eigen geschefft, davon wir kein wissens hetten hie auszurichten gehabt hette. Da er aber aus freundschafft mit vns zu reden begerte möchte er dasselbig anders als auf diese weise fürgenomen haben. Mit solcher antwort haben wir zwar nicht grossen dank verdient, doch sind wir darauf beharret, vnd endlich also v. einander geschieden. Da hat sichs doch begeben das H. C. mit einem oder zweien seiner Mitgesellen eben daselbst fürüber gegangen, da wir bei einander an der thür gestanden vnd vns also angesprochen vnd freundlich gesegnet hat.

5) *Ritter.*

6) *Nigri* (*Schwartz*), *qui eo tempore senior ministerii erat.*

Sturmius dicebat, ubique erat in comitatu Palatino. *Rabus* [7]) simulavit morbum. Schola me convivio excepit. Severe exprobravi Matthiae *Pharero* quod erga *Beatum* [8]) tam molles et remissi hactenus fuerint.

Haec ego, ut tibi obsequerer, nunc pro temporis angustia leviter attingere malui quam otio meo servare. Quod de libris tuis scripsit *Hervagius* [9]) vanum esse arbitror: non quod finxerit ipse, sed fieri potest ut quispiam metum astute incutere voluerit. Diligenter scisci[*tatus*] sum: nihil reperio. Severe tamen denunciavi, si quis hoc tentaret, me causam suscepturum tuo rogatu. Caeterum in negotiis omnibus, quae a[*d*] te pertinere ducam, non exspectabo dum me roges. Admonitus vero dabo operam ut intelligas nihil esse mihi abs te separatum. Tu pro iure tuo quidquid putabis in me esse positum velim famili[*ari*]ter exigas. Vale, eximie vir et frater ex animo colende. Saluta diligenter D. *Hallerum*, D. *Mauricium* et reliquos symmystas. D. *Zerkintem* semper cupio salvum esse. Dominus Iesus vos omnes sua virtute sustineat et spiritu gubernet. Genevae 7. Calendas Novembris 1556.

Ioannes Calvinus tuus

2549.

CALVINUS WOLPHIO.

Literae commendatitiae.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 146, in quo inscriptio ex parte, subscriptio vero tota abscissa est. Habent quoque Epp. Bern. VI. p. 563 et Simlerus Vol. 88.)

Ornatissimo viro et symmystae mihi apprime [*colendo Ioanni Wolphio*].

[*Tiguri.*]

In praesentia quod scriberem nihil erat, nisi ut literas remitterem, quae nuper, quum isthic essem, [1]) comitis mei apud quem eas deposueram inscitia vel oblivione tibi redditae non fuerunt. Vix memini a quo acceperim nisi quod a *Zanko* nostro [2]) profectas esse arbitror. Hunc errorem nobis ignosces. Caeterum adolescentes istos Gallos tibi et reliquis fratribus commendo, non ut molestiam exhibeam: sed quo facilius reperiant probum ac commodum hospitem. Sunt ex honestis familiis nati, neque alia de causa patriam fugiunt quam ut propius accedant ad Christum. Sed quia urbis nostrae habitatio magnae invidiae et periculo obnoxia fuisset, recessum apud vos eligere visum est, ubi tutius vel quietius lateant. Quisquis eos excipiet, futurum confido ut eum humanitatis bene locatae non poeniteat. Quia perinde tibi scribo ac si D. *Bullingero* communes essent literae, seorsum eadem de re cum ipso agere supervacuum duxi. Ergo eum et D. *Gualtherum* et reliquos diligenter mihi salutabis. Dominus vos omnes semper tueri regere ac benedicere pergat. Genevae 7. Cal. Novembris 1556.

2550.

BLAURERUS FRATRI.

Calvinus Francofordia redux spem facit conventus theologorum quo tandem aliquando dissidium sacramentarium feliciter sepeliatur.

(Ex autographo Cod. Sangall. MSS. Tom. 37, Epp. VIII. fol. 112.)

D. Thomae Blaurero germano suo plus quam carissimo fratri.

De publicis istis piorum etiam ac eruditorum hominum simultatibus conciliandis utinam summus ille pacificator noster Christus praesentissimo numinis sui spiritu omnium pectora sic conglutinet ut idem dicant ac sentiant, solliciti semper servare spiritus unitatem in vinculo pacis. Cuius rei spem nonnullam mihi fecit *Calvinus* qui sexta Octobris huc me salutatum venit [1]) deflectens nonnihil a recto itinere quum Francofurto rursum Genevam rebus feliciter confectis rediret. Is enim inter caetera istuc * etiam clam me esse noluit, semel constitutum ab insignioribus Germaniae nostrae theologis, ut principum

7) *Lud. Rabus Memmingensis natus* 1524 *a Zellio, cuius successor fuit, olim educatus, patrono perquam dissimilis et superbus fanaticusque Lutheranista. Paulo post Argentoratum reliquit.* (*Roehrich.* III. 91.)

8) *Gerungium continuo cum collegis disceptantem, quum Interim servare voluerit.* (*Marb. Diar.* 54.) *A.* 1557 *a magistratu dimissus est.* (*Roehr.* III. 93.) *Obiit* 1559.

9) *Typographus Basileensis. Musculi scripta plurima ex eius prelo prodierunt.*

2549. 1) *Francofurto Genevam rediens.*

2) *ex Argentorato.*

2550. 1) *ex Turico Neocomum versus. Vides eum in hoc itinere Francofurtensi amicos invisisse quotquot poterat.*

ac magistratuum suorum autoritate alicubi conveniant, idque ad proximum Martium [2]) quo de coenae Christi negotio tot iam annis tam infeliciter controverso tandem simplex aliqua et dilucida sententia, quaeque pro tanti mysterii dignitate genuinum Christi sensum proprie signateque iuxta fidei analogiam explicet, ecclesiis proponatur. *Philippum* quoque in eo conventu adfuturum, seque omni posito metu libere quid hic sentiat declaraturum. Precemur igitur, mi frater, communem servatorem Iesum Christum, ut sit piis ac vere christianis conatibus felicissimus successus, ne tantis adversariorum calumniis obnoxii tantisque inter nos intestinis dissidiis miserabiliter laborantes ipsi nos perpetuo conficiamus, interim etiam Christi regnum, quod communi summoque studio et labore propagatum nostro ministerio oportebat, horrendis modis devastantes — — — 5. novembris 1556.

Ger. T. F. Amb. Bl.

2551.

PERRUCEL A L'ÉGLISE D'EMDEN.

Il leur fait part de la vocation qu'il a reçue de Francfort et au sujet delaquelle il s'en remettra à l'avis de Calvin.

(Archives de l'église wallonne d'Amsterdam. Communication faite par M. le pasteur Gagnebin.)

Aux ministre senieurs et Diacres de l'Eglise francoise qui est cueillie

A Emden.

Grace et paix par Iesus Christ.

Mes freres, il semble que nostre Seigneur veille bien tart me donner repos d'esprit et ce pendant me donner angoisses de toutes pars. Car aprez que je cuidoie tout estre en paix par mon colloque avec monsieur *Calvin,* [1]) et ses letres aux freres d'ycy, est survenu le different entre le senat de ceste ville et les ministres alemans d'une part, et nostre eglise et moy de l'aultre en la cause de la foy de la Cene [2]) comme je vous ay mandé par nostre frere maistre *Hermez* pour lequel different lesdicts senat et ministres alemans ne se portent pas candidement comme ilz doivent Car aprez le partement de nostre commun messager a Vittenberg, [3]) ilz y en ont envoie un aultre a scavoir maistre *Thomas* ministre, pour (comme je suis adverti) soubs couleur d'une necessaire paix publique entre les bourgeois, et danger de noises siviles, impetrer de monsieur Philippe *Melanthon* quelque sentence envelopee laquelle ilz interpreteront a leur plaisir et ainsi mettront tousjours nos pauvres freres d'ycy, a, * je ne scay, qui est ce qui me trouble plus en l'issue de ceste cause, et non l'estat des alemans ny le mien Car quant a eux, puis quilz veulent estre en ordure, y soient encore, De moy, je n'auray jamais scrupule que je n'ayie faict tout mon pouvoir et ainsi de ce costé je demeure libre en ma conscience. Mais elle a este de nouveau troublee quant est ycy arrive Maistre *Jaques* Espagnol [4]) de Francfort qui m'a signifie que ladicte Eglise repete sur moy l'election et vocation quelle en fist y a un an solemnellement, par une aultre nouvelle et solennelle election en laquelle l'Eglise de Genefve estant proposee premiere pour y pourveoir, elle a eu dix suffrages. puis maistre Jehan *Garnier* estant second propose a eu huit suffrages. puis moy estant tiercement propose ay eu cent dix huit suffrages. Ceste avenue sans doubte nulle me rend moult perplex pource que (encore que je ne me congnoisse assez idoine ne pour vous ne pour eux) je ne puis veoir ou plus Dieu vouldra glorifier son nom par moy. Car je ne m'ose fier en mon propre advis lequel si j'eusse osé ou osois suivre, jo seroie tost assis, et l'eusse ja de long temps esté mais je crains que mon cueur me trompe encore qu'il ne desire que glorifier Dieu comme le mesme Seigneur le congnoit. Or mes freres je vous diray a quoy sest finalement resoult mon cueur aprez avoir longuement esté veillant conseillant practiqueur cest de suivre le conseil et advis de nostre frere monsieur *Calvin* [5])

2) *Wirtembergensis et Palatinus iam m. Oct.* 1555 *cum comitiis a.* 1556 *conventum theologorum habere voluerant qui de coena, praedestinatione et bonis opp. disputarent, dissuadente tamen Melanchthone. Interim Christophorus et Otto Henricus nequaquam consilium suum irritum fuisse volebant. Huc spectat noster. Revera Wormaciae colloquium institutum est, sed demum Augusto.* (*Schmidt Mel.* 600.)

2551. 1) *Perrucel s'était rendu à Francfort pour voir Calvin.*

2) *Dès le 9. Janvier Perrucel avait demandé la permission de célébrer la cène dans sa communauté. On ne lui permit que la préparation qu'il fallait faire en langue française. Le 21. Août le magistrat enjoignit aux étrangers de suivre les mêmes rites que les indigènes, et le 25 il leur prescrivit l'usage du catéchisme luthérien. C'est à ce propos que Perrucel présenta une confession le 8. Octobre, qu'il désirait faire examiner par Melanchthon.* (*Wolters, Wesel.* 172.)

3) *Vide ad N.* 2543.

4) *Nous avons déja rencontré plus haut plusieurs Espagnols membres de la communauté française de Francfort.*

5) *River. Memor. p.* 285 *l. l.*: At ego ut venirem nunquam assentiri volui, nisi prius scissem quae esset D. Calvini

par lequel je m'attens en Dieu, que mon cueur flotant sera mis a port reposé Le susdict frere n'ignore point l'estat de vostre Eglise par les longues devises que nous en avons eu. Je vous prie donc (mes tres aimez frere *) que joigniez vos priaires avec les miennes demandans au Seigneur quil me revelle par ceste voie ce qu'il veut mieux que je suive en ce doubte et qu'il me donne grace de m'y consentir volontiers. A tant je prie mon Dieu mes freres qu'il vous donne et a moy son esprit pour ne cercher que la gloire de son nom et nous emploir de tous nos cueurs a l'advancement d'icelle et du royaume de Jesus Christ Amen. Je salue de bon cueur vostre Eglise et ceste cy aussi avec moy. De Wesel ce 14. de septembre 1556. [6])

Vostre humble frere
Francois Perrucellus dict de a riviere.

2552.

BUISSONIUS CALVINO.

Felicem reditum et itineris suscepti successum ei gratulatur. Sui loci res ancipites et periculi plenae ministrum novum flagitant.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 76.)

A Monsieur Monsieur DEspeville mon singulier seigneur.

S. Multis nominibus iucundissimae nobis fuerunt tuae literae, quod eiectus sit lupus [1]) qui tacite in Christi gregem invaserat, quod cum summo suo dedecore sit refutatus, qui veritatem in causa praedestinationis et liberi arbitrii oppugnabat, quod domum incolumis redieris, quod ecclesiam optime affectam offenderis. Nobiscum vero sic agitur ut cum iis qui in dies atque in horas ancipiti certamine dimicant. Non quod in dubium nobis veniat Christi erga nos fides: sed quia in tantis terroribus et tam frequentibus periculis non tam saepe salus affulget quam desperatio et ingentes moles calamitatum. Nos tamen praeter spem in spe credimus fore ut perdantur omnes qui oderunt Sion. Nostri vero miserebitur Dominus, ne perpetuo dicant gentes: Ubi est Deus eorum?

Noster hic *Cheronus* [2]) de mea sententia ocyus ad vos proficiscitur quam fecisset, quanquam ante viginti dies discessum adornarat, quem interpellarant eius negotia. Mihi autem visum est ut quamprimum abiret propter causas gravissimas, quas ab ipso melius intelliges. Nostrum nomen magis ac magis in dies hic innotescit, adeo ut inter tot notos hostes diu versari sine certissimo discrimine non posse videar. Cura igitur, per Christum, ut brevi pius aliquis et doctus et prudens nobis succedat. [3]) Reliqua noster iste prolixius explicabit. Vale, eruditissime et praestantissime vir. Dominus te diutissime suis ecclesiis servet. L. [4]) 18. Novemb. 1556.

Tuos collegas communesque amicos nostro nomine velim officiosissime salutes.

Tuus observantissimus filius
Buissonius.

2553.

SULZERUS CALVINO.

Optasset ut ab itinere deflectens Wirtembergenses invisisset quibuscum fortasse facile concordiam iniisset. Hoc enim etiam Iacobo Andreae in votis esse videtur.. Addit nova quaedam ex Germania. [1])

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 101.)

Viro praestantissimo D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis antistiti domino et symmystae colendissimo suo.

S. Profectionem tuam qua Francofurtenses fratres visitasti multis modis frugiferam fuisse intelligo per Dei gratiam, qui operi in te suo benedixit. Repressa sunt discordiarum incentiva et con-

sententia, nempe ut huc venire deberem, siquidem Wesalia mihi abeundum esset, an vero Emdenam potius, quandoquidem et fratres illi adventum meum desiderabant, eamque ob rem tabellarium Genevam versus misi. *Epistola N.* 2544 *hoc non innui videtur. Calvini responsionem habebis ad* 21. *Decemb.*

6) *Luce diurna clarius est hanc d.* 14. *Sept. scribi non potuisse, quum ea narret quae Idibus Octobris demum facta sunt. Relegamus ad* 14. *Nov. ex coniectura scil.*

2552. 1) *Si de Velsio cogitandum est, inde colligere poteris Buissonium alicubi in Gallia septentrionali vel Belgio degisse.*

2) *Et hic et ipse epistolae scriptor nobis incogniti.*

3) *Scribit scil. ex urbe gallica nescio qua, quo Genevenses subinde novos ministros mittebant ut minus periculis expositi essent.*

4) *De Lutetia vix interpretaremur, quippe quo loco tunc alii ministri essent.*

2553. 1) *Ex hac epistola colliges Calvinum in reditu Basileam vel non attigisse vel ibi non commoratum fuisse.*

fusus rabula, qui caput religionis primarium impetere ausus est. Precemur Dominum ut fratrum conservet unanimitatem et pacem, et compescat linguosos contra veritatem. Caeterum dolet ex animo mihi quod per Ducatum Virtembergensem non transieris, sicut principio constitueras, persuasus nimirum alieniore a te et studiis pacis esse animo qui in iis ecclesiis serviunt Domino. Nam aequiores esse, tuique in Domino amantiores, hisce diebus cognovi ex clarissimo eodemque optimo viro D. Iacobo *Andreae,*[2]) seu (ut vulgatius appellatur) Fabricio, ecclesiae Gepingensis pastore et antistite generali, qui permoleste ferebat, non esse factam ipsi familiarius tecum colloquendi copiam, ut qui aliquoties eius rei gratia Genevam adire constituerit, sed impeditum fuisse occupationibus. De te tuisque lucubrationibus multa mecum pie et candide nuper in vicino nobis Marchionatu, cuius reformandi gratia aderat, multa item de ratione sarciendae circa eucharistiam concordiae, qua in re multa pie et graviter cogitasse videtur. Contulisse se aiebat cum D. *Frechto*[3]) et *Brentio*, quos συμψήφους habuisset: obdormivisse autem illum in Domino paulo post, hunc etiamnum a pio super hoc negotio conventu non abhorrere, ut aliquis saltem modus fiat importunis plenisque scandalo disceptationibus. Verum per literas tecum quem dixi D. *Iacobum* acturum esse existimo, posteaquam coram interpellandi praeteriit nunc quidem occasio. Haec te nolui ignorare.

Ratisbonae[4]) satis convenit inter principes Christum profitentes, et videntur ὁμοθυμαδὸν ursuri libertatem religionis, etiam sub praesulibus papisticis, et matrimonium iis ipsis liberum, salva dignitate et administratione. *Bavarus* iniquior est paulo, quod porco glandes sapiant etiam frugibus repertis. Sed et huius cor in manu Domini est, et pondus habebit forsitan reliquorum consensus. Civitatibus Germaniae datus est locus unus et communis suffragii in consessu imperiali. Itaque Argentinenses et Lindovienses cum aliis aliquot venerunt in spem optimam: quam precemur ut ratam velit misericors Dominus.

Bene vale in Christo Iesu cum tuis omnibus, et de fratribus ecclesiisque in Pedemontio, tum de statu rerum inter vestram et Bernensem rempublicam quaeso vel paucis scribe. Basileae 20. Novemb. anno 1556.

Salutant te reverenter
mei symmystae.

T. Sulcerus.

2) *Natus Waiblingae* 1528 *fabri filius* (*unde Schmidlin dictus*) *a.* 1553 *a duce Christophoro superintendens Goeppingae creatus, biennio post Oettingensem ditionem reformavit, postea a Marchione Durlacensi Carolo II. vocatus cum Dillero Heidelbergensi et duobus aliis in hac quoque terra ecclesias constituit Cal. Iun. huius anni, et in visitatione earundem m. Novembri in superiorem regionem Badensium pervenit.* (*Vierordt, Ref. in Baden* 428.)

3) *Obiit* 14. *Sept.* 1556 *Tubingae.*

4) *ubi comitia celebrabantur.*

2554.

CALVINUS BULLINGERO.

Adit eum denuo de negotio foederis cum Bernensibus renovandi, in quo Turicensium officia nunc quam maxime necessaria videntur.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 166, fol. 28. — Apographa exstant in Cod. Genev. 111[b], fol. 4, in Epp. Bernens. VI. pag. 523 et 565 unde quaedam excerpsit Hundesh. p. 368. Versio anglica III. 299.)

Praestantissimo viro D. Henrico Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae plurimum observando.

S. Quia scio non secus tibi curae esse urbis nostrae statum, venerande frater, ac si meo loco esses, foederis vero cum Bernatibus renovationem[1]) apprime cordi esse, non est quod accuratius laborem in eius causae commendatione, quam ipse agendam libenter ultro susciperes. Ex quo reversus sum sic quibusdam offensis saepius exasperati sunt nostrorum animi, ut in ipsis vel placandis vel fraenandis non parum fuerit negotii. Quum tamen admoniti essent, si iterum ad renovandum foedus se offerrent, animos partis adversae aliquanto fore propensiores quam antehac ad aequitatem, tentarunt quidnam hoc esset. Haec legatio responsione caruit. Cuius contumeliae indignitas quantopere nostros offenderit non dico. Certe ferendae repulsae metus in posterum eos absterret, ut non alia iam supersit ratio nisi ut altera legatio a vobis non modo Bernam sed huc quoque mittatur, quae utrumque senatum, et plebem quoque nostram, si opus erit, hortetur ad coeundam rursus societatem aequis legibus. Hoc quia nostris utile esse persuasi, optant quidem, sed vellent silentio tegi preces suas fuisse interpositas, sed tres civitates benevolentia magis et studio utriusque partis fuisse adductas ad mittendos legatos.

2554. 1) *In hoc negotio etiam in conventu Paterniaci habito inter utrorumque legatos a. d. VI. Non. Oct. nihil effectum est. Cf. Ruchat* VI. 187. 229. *Hundesh. p.* 304.

Hoc si impetratum fuerit, quod spero non fore difficile, pudebit forte vicinos nostros nihil concedere. Imo, nisi fallor, ultro rogari expetunt. Atque huius negotii cura me magis afficit quod subolfeci quosdam illecebris tentari ad petendum commune foedus quo nos implicari noxium esse iudico. Et certe senatus noster abhorret: praestat tamen antevertere ne rebus dubiis ianua pateat. Quo res esset occultior, optimum hunc fratrem, qui unus est ex meis collegis, elegimus qui te recta adiret, deinde consulem *Habum*. Etsi autem literae mandato senatus scriptae sunt, de nuncio sumus quatuor conscii. Imo quid literae contineant octo tantum sciunt, quibus iniuncta est provincia. Ut te vehementius rogem res quidem flagitat, sed quia me non latet quam sis voluntarius in re supervacua non laboro.

Quod de Italo [2]) sum sciscitatus, quia non fuit hactenus commodum, mihi nunc expedies. Quod de graecis Veteris Testamenti concordantiis te optare ex tuis ad scribam senatus nostri literis intelligo, mihi etiam maxime placeret. Sed quantum coniicio vix *Robertus* noster ut laborem hunc sumat poterit adduci, qui Novi Testamenti concordantias magna diligentia et non absque sumptu collectas tamen iam toto sesquianno suppressit, necdum ad editionem videtur se accingere. [3]) Vale, ornatissime vir et frater ex animo mihi observande. Dominus te et familiam tueatur ac omni benedictionum genere locupletet. Saluta meo nomine symmystas omnes et reliquos amicos. Genevae 24. Novembris 1556.

Ioannes Calvinus tuus.

2555.

LASCUS MINISTRIS TURICENSIBUS.

Narrat iter suum in Poloniam susceptum maxime quae Wittembergae cum Melanchthone egerit. Ex quibus hoc loco ea tantum excerpimus quae ad Calvinum spectant.

(Exstat autographon in Cod. 106, Plut. VI. Arch. Turic. olim Epp. II. fol. 681 et apud Simlerum Vol. 88. Integram ediderunt Gerdes. in Miscell. Gron. II. p. 736, Kuyper II. 733 et Füsslin. Centur. p. 387.)

Sanctissimis iuxta ac doctissimis viris ac reverendis in Domino fratribus ac dominis Henricho Bullingero, Petro Martyri, Theodoro Bibliandro, Rudolpho Gualthero ad manus reddantur.

Tiguri in Helvetiis.

Postridie mane adiimus collegium in quo *Philippus* praelegebat, ut illum docentem audiremus, ibique ipso nos deducente ingressi sumus auditorium frequentissimum, quod ad mille (ut minimum) et quingentos auditores habet. Ubi facta nostri honorificentissima mentione praelectionem suam nonnihil contraxit, ut plus otii ad colloquendum rursum haberemus. Post absolutam praelectionem sequuti sumus *Philippum* ad aedes ipsius, atque illic de rebus patriae meae nonnihil colloquuti de causa rursum sacramentaria mutuo egimus, egoque illi exhibui legendum scriptum nostrum de confessione Augustana, quod et D. *Calvinus* Francoforti legerat et quaedam in illo mutari volebat, quae etiam mutata ex parte protinus fuerunt: legitque illud *Philippus* et etiam approbavit. Iamque excuditur Basileae, opinor, apud *Oporinum*. Nam id negotii D. *Valerando* dedi. [1])

Lismaninus recte valet causamque eius publice coram Rege adversus episcopos actam esse iam puto. Tot enim patronos habet ut non dubitem illi fuisse liberum publice et libere causam suam agere. Sed rei successum nondum audire potui. De his omnibus vos, fratres in Domino observandi, certiores facere volui nullo quidem ordine, sed ut mihi sese offerebant, et valetudo permittebat. Interim vos oro ut D. *Calvino* nostro ea etiam omnia indicetis. Quod restat, oro vos diligenter ut causam nostram precibus vestris et vestrarum ecclesiarum supplices commendetis, ut nostro hoc itinere fructum aliquem in promovenda per meam patriam doctrinae sanae et cultus publici puritate, in pacificandis item quoad fieri potest dissidiis omnibus, adferre per Dei gratiam possimus: deinde ut communicatis cum D. *Calvino* consiliis me de vestra

2) *vide proxime sequentem Calvini ad Bullingerum.*

3) *Quid hoc sibi velit non bene assequimur. Stephani Concordantiae latinae in utrumque Testamentum prodierunt a.* 1555. *Fortasse tunc opus nondum absolutum erat. Concordantiae graecae in vers. alex. ante Conr. Kircherum* (*Francf.* 1607. 2. *t.* 4.) *nullae exstitisse videntur.*

2555. 1) *Titulus est:* Purgatio ministrorum in ecclesiis peregrinorum Francofurti adv. eorum calumnias qui ipsorum doctrinam de Christi Domini in coena sua praesentia dissensionis accusant ab Aug. Conf. autore D. Io. a Lasco barone Polono Bas. Oporin. 67 pp. 8. *Dicata est senatui Francof.* 21. *Oct.* 1556. *In fine:* Subscripsimus Io. a Lasco. Valerandus Pollanus. Gulielmus Houbraque. Robertus Hornus. Petrus Dathenus. *Recusa est in Frkf. Rel. Hdl.* II. 167 *sqq. et ap. Kuyperum* I. 243.

simul omnium voluntate, quod ad conventum nostrum attinet, unanimiter certiorem faciatis. — — — — — — — — — Raptim. Vratislaviae 28. Novembr. 1556.

Vestri istic omnium amantissimus
Ioannes a Lasco manu propria.

2556.

CALVINUS BULLINGERO.

Pro Italo quodam ius civitatis apud Turicenses obtinere cupiente. Andreae Badensium reformatoris laus.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. T. 24, fol. 29. Exemplar recentius habes in Cod. Genev. 111b, fol. 4 v. Simlerus inseruit Tom. 88 ex Bernens. Epp. VI. p. 524 et 567. Versio anglica legitur T. III. p. 301.)

Ornatissimo viro et fratri mihi observando symmystaeque integerrimo D. Henricho Bullingero, ecclesiae Tigurinae fido pastori.

S. Etsi novum scribendi argumentum non erat nisi quod tribus verbis mox intelliges, cogor tamen propter incommodam valetudinem literas quodammodo abrumpere. Nam hoc quatriduo dysenteria mihi perquam molesta fuit: et nunc parum relaxationis concedit. Rogavit me ante mensem Italus quidam qui huc cum familia migravit an ius civitatis apud vos possit impetrare, quamvis in ditione vestra non habitet. Neque enim vellet locum domicilii mutare: nec alia de causa civis vester fieri appetit, nisi ut fratribus suis obtemperet, qui sibi odiosum fore putant ut huc concesserit. Hoc ideo diserte testari volui, ne putares eum astute aliquid venari. Est autem vir integer, optimaeque existimationis. Peto abs te, venerande frater, ubi primum dabitur occasio, hac de re ut me certiorem facias.

Gaudeo nuper ad reformandum [1]) ducatum Badensem cum *Sulcero* vocatum fuisse doctorem quendam Iacobum *Andreae*, [2]) pium et moderatum virum, neque alienum a nobis. Certe ex ipsius *Sulceri* literis intelligo, valde utilem fuisse eius praesentiam. Vale, eximie vir, et mihi observande frater. Saluta meo nomine diligenter symmystas omnes. Dominus vos semper gubernet, tueatur, benedicat. Genevae 3. Calend. Decembris 1556.

Tuus Ioannes Calvinus.

2556. 1) *sic. Apogr. reservandum.*
2) *cf. N.* 2553. *not.* 2. *Ipse Sulzerus a Marchione de eadem re accersitus fuit, et in quatuor dioecesibus Röteln, Schopfheim, Müllheim et Hochberg, superintendens factus.* (*Vierordt, Ref. in Baden* 422.)

2557.

CALVINUS VIRETO.

Dysenteria laborans paucis tantum agit de negotio quodam Mombelgardensi et Sulzeri literas mittit de reformatione Badensi scribentis.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 147. Simler. Vol. 88.)

Eximio Christi servo Petro Vireto, Lausannensis ecclesiae fido pastori, fratri et symmystae optimo.
Lausannae.

Literis fratris nostri *Ribitti* sub tuo nomine respondeo, ne putaret nuncius aliquam esse inter nos alienationem. Ubi redierit qui Monsbelgardum missus est, homo nobis est ad manum qui cum illo ludimagistro proficiscatur. *Dommartinus* ante biduum literas a me accipiet. Nunc dysenteria magis infestat, quam ut epistolam longius extrahere commodum sit. Quartus hic est dies, nec adhuc multum relaxationis sentio. Adde quod mihi cum clysteribus negotium est. Quia de reformatione Marchionatus Badensis mihi scripserat *Ribittus*, vicissim mitto *Sulceri* literas [1]) ex quibus nonnulla intelligetis. Gaudeo doctorem illum *Iacobum*, [2]) hominem a nobis non alienum, cum eo vocatum esse, nec dubito quin piae moderationi studuerit. Collegis omnibus plurimam salutem. Vale, optime et integerrime frater. Dominus vobis semper adsit, vos tueatur ac gubernet. Genevae 3. Calendas Decembris 1556.

Ioannes Calvinus tuus.

2557. 1) *cf. N.* 2553.
2) *Andreae.*

2558.

KNOX TO MRS. LOCKE.

Now settled at Geneva he praises that town for its pious reformation.

(The Works of John Knox by D. Laing. Edinb. 1855. IV. 240.)

— — — — — — — — — — — — — — —

Wer it not that partlie ye ar impeidit be impyre of your heid [1]) and partlie be so gud occasioun as God hath now offrit yow to remane whair ye ar, in my hart I wald haif wishit yea, and can not cease to wish, that it wold pleas God to gyd and conduct your self to this place [2]) whair I nether feir nor eschame to say is the maist perfyt schoole of Chryst that ever was in the erth since the dayis of the Apostillis. In other places, I confess Chryst to be trewlie preachit, but maneris and religioun so sinceirlie reformat, I have not yit sene in any uther place: besides Sathan, I confess, rageth againis the ane and the other, but potent is He that hath promissit to be with us in all suche interprises as we tak in hand at his commandement for the glorie of his name and for mantenance of his trew religioun — — — — — — At Geneva the 9th of December 1556.

Your Brother to power
Johne Knox.

2559.

BLAURERUS CALVINO.

Conventum Germanorum theologorum de re sacramentaria celebrandum avide exspectat. Calvinum laudibus extollit de semetipso modestissime loquutus. Consobrini novum et perutile inventum circa calefaciendos caminos commendat.

(Ex autographo Cod. Genev. 110. fol. 142.)

Incomparabili theologo D. Ioanni Calvino suo unice venerando carissimoque fratri.

Genevae.

S. In solida salute nostra Christo iterum atque iterum salve, venerande mi carissimeque *Calvine.* Quanquam non est cur magnopere sanctissima studia tua et pro Christi ecclesia perpetuos labores interpellare debeam, oblato tamen adeo certo fidelique nuncio nolui committere ut non vel uno atque altero verbo nostro ad te scripto comitatus abiret, quum quod per se mihi longe iucundissima sit tui memoria quae scribentem ad te vehementius oblectat, tum vero ut ex tuis vicissim literis certius aliquid cognoscam, ecquid etiamnum de illo insignium theologorum Germaniae nostrae conventu, cuius nuper spem mihi faciebas, futurum putes. Sunt enim qui existiment longe graviores motus impendere Germaniae, quam ut sub appetens veris tempus integrum futurum sit delicatis theologis de suis controversiis velut in umbra disputare: alii, tametsi futurum istuc* et cupiant et sperent, de eventu tamen supra modum laborant, quod videantur adversarii semel constituisse veritati non cedere, quippe qui non veritatis studio teneantur, sed prodigiosae ambitionis et arrogantiae intemperie turpiter acti quidvis aliud quam errasse videri malint. *Philippus*, cuius maxima est apud omnes fere nostros autoritas, plus quam quisquam credere possit publicam tranquillitatem iuvabit, si et ipse paulo audentior factus a veritate fortiter steterit. Id quod ut faciat, ab ipsamet veritate Christo nostra impetrare flagrantibus votis maximopere contendemus, quo iunctis tandem copiis Satanam mendacii patrem feliciter opprimamus.

Ah mi suavissime frater, commenda cursum meum Domino in quotidianis illis et familiaribus tuis cum Christo nostro colloquiis, ut ne usquam spe supernae vocationis excidam, sed ministerium meum per omnia ei qui me vocavit me approbem, [1]) quandoquidem resolutionis meae tempus instare iam intelligo, quo utinam utinam cum Paulo mihi vere dicere liceret: bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi etc. Verum quum agnoscere hic merito me oporteat, quam inutilis Domino meo servus fuerim, quamque nihil illius regno et effusissima erga me benignitate dignum egerim, cunctum* me supplex ad pedes ipsius abiicio, sola gratuita optimi indulgentissimique patris misericordia in unigenito filio suo Iesu Christo nobis promissa et exhibita me servatum iri audacter confidens. Is te quoque viribus et aetate valenter etiamnum afflictae suae ac variis pressuris atque turbinibus agitatae ecclesiae incolumem, ac subinde te ipse* quoque spiritu alacriorem et robustiorem corpore quam

---

2558. 1) *husband.*

2) This wish was gratified a few months later, as on the 8th of May 1557 „Anne Locke, Harrie her sonne and Anne her daughter and Katherine her maide" arrived in Geneva. But also within four days we also find recorded the death of „Anne the daughter of Anne Locke and of Harry Locke her husband." (Livre des Anglois p. 9. 17.) *Laing. cf. M'Crie, life of J. Knox Edinb.* 1814. I. 197.

2559. 1) *sic.*

diutissime conservet. Symmystam tuum nostris verbis amantissime saluta, cum omnibus qui nos in Christo diligunt, quorum sacris precationibus iuvari apud Dominum unice cupio. Salutant te seque tibi reverenter commendant nostri quos nosti, inprimis *Funclius* meus.

Dabam nuper, multa licet festinatione circumactus, D. Stephano *Witembacho* [2]) ad vos proficiscenti id quoque negotii ut istic, te prius in consilium adhibito, cum primariis aliquibus viris, qui ad hoc tibi appositi viderentur, de inaudito hactenus sed omnibus fere mortalibus utilissimo invento conferret. Inventa enim a consobrino meo Conrado *Zwiccio* [3]) et paucis aliis mira quaedam certissimaque ratio ut porro caminis furnis et fornacibus calefaciendis duplo adeoque triplo propemodum paucioribus quam hactenus lignis sit [4]): cui rei non paucae quoque aliae commoditates velut appendices coniunctae sunt. Quod si ex *Stephano*, cuius reditum in horas nunc exspectamus, gratum istud et plausibile vestris fuisse cognoverimus, tum mox *Funclii* mei germanus frater *Hulderichus* ad vos se conferet, ita cum senatu vestro acturus, ut ipsi quoque in tam vere divini doni participatum conditionibus minime iniquis admittamini. Ingentes sumptus hic fecit consobrinus meus quos aequum est eum etiam cum lucro aliquo recipere. Sed iam iterum iterumque valebis. Bielis 12. Decembris 1556.

T. si quisquam alius
Ambr. Bl.

Si pars aliqua commentariorum tuorum in psalmos iam forte excusa est, [5]) per Christum te obsecro ut per hunc D. *Franciscum* pharmacopolam nostrum ad me mittatur. Numerabit is typographo quantum erit opus. Quod si quid aliud etiam a te profectum istic est, et ipsum quoque ad me perferri nunc velim.

2560.

LANGLOIS CALVINO.

Novae turbae et vexationes ecclesiam exagitant.

2) *Witenbachiorum gens Bielensis antiqua et insignis. Thomas W. a.* 1526 *defunctus primus ibi reformationem praedicavit.*

3) *fortasse Iohannis Zwickii Constantiensis* (*a.* 1542 *defuncti*) *filius.*

4) *supple: opus.*

5) *Prodierunt* 1557 *ap. Stephanum.*

(Ex Cod. Genev. 110, fol. 94.)

Monsieur Monsieur despeville.

Citius de nostro statu te certum reddidissem si licuisset, pastor fidelissime, at sane duo iam elapsi sunt menses ex quibus nullam fere relaxationem habuimus. Adeo enim nos oppresserunt acres hostium conflictus, ut ter uno die coactus fuerim locum mutare, et nunc quidem nec prorsus sedata est tempestas, quum ex nostris quidam adhuc in carceribus vincti sint, alii in fugam se converterunt. Collega meus hinc ad tempus discedere compulsus fuit. Cuius absentiam supplet carissimus frater Simon *Brossier*, qui alacri animo mihi dextram dedit. Rogamus semper vestris sanctis precibus adiuvari ut Dominus perficiat opus quod incepit. Ipse bene sperare nos iubet, quum videmus persequutionem non impedire quominus indies multiplicetur ecclesia, quemadmodum hic frater fusius enarrabit, qui aderat quotidie, qui etiam in ipsa congregatione legitimam uxorem sibi accepit quam secum ducit. Omnes fratres tibi salutem precantur caeterisque ecclesiae pastoribus. Dominus custodiat te et foveat semper sub tegmine alarum suarum, et dona sancti sui spiritus tibi augeat indies feliciter. Amen. 19. Decembris. [1])

Tuus Iacobus Anglus.

2561.

CALVIN A L'ÉGLISE FRANÇAISE D'ANVERS. [1])

Exhortations chrétiennes adressées à une église momentanément sans pasteur.

1560. 1) *De anno minime certi sumus. De Brosserio adeas Hist. eccl.* I. 103 *ss.:* Brossier vint trouver Langlois vers la fin de 1556 ou 1557 à Tours où ce dernier soutenoit alors l'eglise. *Quae si huc trahenda fuerint omnino Angli quaedam literae interciderunt quibus mutationem stationis suae* (*N.* 2545) *Calvino indicasse perhibendus est. Verum id potissimum nobis rem maxime dubiam facit.*

2561. 1) *La réformation eut des partisans dans cette ville dès les premiers temps. Il existe une lettre de Luther adressée aux chrétiens d'Anvers, de* 1525. (*De Wette* III. 60) *et une autre de* 1523 *aux chrétiens de la Hollande, du Brabant et de la Flandre* (*ib.* II. 362). *Riverii Memor. l. l. p.* 278*:* Anno 1554 D. Morellus et ego Wesaliam venimus publica et canonica electione fratrum peregrinorum loci illius et fratrum Antwerpiensium, qui simul tanquam una erant ecclesia, eo vo-

(Minute. Bibl. de Geneve. Vol. 107, fol. 108. Copies Vol. 108. f. 110. — Lettres fr. II. 110. Trad. angl. III. 302.)

La dilection de Dieu nostre Pere et la grace de nostre Seigneur Iesus Christ soit tousiours sur vous par la communication du S. Esprit.

Treschers seigneurs et freres, iespere que nostre frere M^e. *Francois* [2]) vous aura faict les excuses de ce questant a Francfort au moys de septembre, ie ne vous peus escrire. Depuis mon retour iay quasi tousiours este malade: non pas que cela maict en tout empesche, mais pour le moins quant lopportunite du messager soffroit, ie ny pouvois vaquer. Tant y a que si ieusse pense mes lettres estre fort requises, ie neusse pas si long temps attendu, car ie vouldrois bien memploier pour vous en plus grandes choses. Mais pource que vous avez gens plus prochains qui vous exhortent et sollicitent, il me semble que vous navez pas grand besoing de mes lettres, sinon affin que vous soiez consolez du soing que iay de vostre salut. Car comme vous maymez, ie ne doubte pas que la memoire que iay de vous ne vous resiouisse. Au reste ce que vous pourrez attendre et desirer de moy, vous le trouverez plus prest en le cherchant soigneusement, cest que si vous estes diligens a lire la saincte parole de Dieu, et vous exercer en la doctrine dicelle et exhortations qui en sont tirees, il y aura assez pour vous confermer en la crainte de Dieu, vous edifier en la foy de nostre Seigneur Iesus, et vous retenir en telle constance que rien ne vous face decliner du bon chemin. Seulement gardez de vous refroidir, car vous scavez a quelle condition nous sommes appellez. Daultre part vous experimentez quelz moiens a Satan de vous desbaucher ou vous esgarer, sinon que vous fussiez retenuz de ceste bride de la parolle de Dieu. Car quoy quon se face acroire, si on se retire bien peu de temps, toute congnoissance quon aura eue sesvanouit tantost. Car nous sommes si plains de vanitez et mauvaises affections, quelles ont incontinent corrompu toute la bonne semence que Dieu aura mis en nous, sinon quon soit tousiours apres a cultiver pour arracher le mal et constituer [3]) le bien. Sur tout vous estes en un lieu ou il y domine tant de corruptions, que si vous navez tousiours les remedes a la main, il vous seroit bien difficile de perseverer en la purete laquelle Dieu demande de tous les siens. Et ie pense bien que chacun sent assez en soy combien Satan sefforce a user de telles occasions. Tant plus donques avez vous a batailler au contraire.

Vray est que ce nest pas le tout de lire et douir, car nostre but est destre conioinctz et uniz [4]) a nostre Dieu en toute sainctete et perfection, et daultant que nous ny pouvons parvenir [5]) iusques a ce que nous soions despouillez de ceste nature corruptible, nous avons a cheminer en integrite de vie, et servir en pure conscience ce bon Dieu qui nous a choisiz a soy. Mais pource quen nostre foiblesse, et au milieu de tant de tentations, nous avons bien tost mis en oubly quelle est nostre vocation pour nous aquitter de nostre debvoir, et cependant nostre legerete nous transporte ca et la, il est bien mestier de faire valoir les aides que Dieu nous donne. Parquoy, mes freres, exercez vous non seulement a lire en prive, mais aussi a vous assembler au nom de Iesus Christ, affin dinvoquer Dieu et recevoir quelque bonne instruction pour profitter de plus en plus. Et par ce moien aussi, chacun incitera ses freres a prendre courage, et sera incite par eux. Et affin que rien ne vous destourne, pensez tousiours quel est ce thresor de lEvangile, affin de mespriser tout ce qui est du monde. Car combien que Satan aveugle les enfans de ce monde en leurs delices ou cupiditez, tellement quilz ne pregnent nul goust a la doctrine de salut, nous ne debvons pas nous abbrutir avec eux. Car a la verite cest une felicite inestimable de nous pouvoir reposer en la bonte de nostre Dieu pour obtenir mercy de luy, et quelques miserables creatures que nous soions, en attendant quil nous retire en son heritage eternel, de nous tenir icy bas soubz sa protection. Car puis que nous possedons ce tresor par lEvangile, gardons bien quil ne nous soit ravy.

Ie vouldrois bien, oultre ce que noz freres vous visitent, que vous eussiez homme resident [6]) avec vous pour vous enseigner, affin aussy davoir recours a luy en toutes voz difficultez, et vous prie dy tascher tant que vous pourrez. Au reste, mes freres, cheminez tousiours tellement au millieu de ceste generation perverse, que vostre vie monstre par effect que ce nest pas en vain que Dieu vous a separez, et desdiez vous plainement a nostre Seigneur Iesus, iusques a ce que vous soiez du tout reformez a son image pour estre participans de sa gloire, et que

cati ut gallicam eccl. instituueremus. *Aux archives de l'église wallonne d'Amsterdam il existe entre autres une lettre adressée à l'église d'Emden, datée du* 13. *février* 1555 *et signée:* la jeunesse de Capharnaum, *où les membres de celle d'Anvers protestent de leur attachement à la foi et au culte évangéliques.*

2) *Perrucel.*

3) confirmer *Bt.*

4) d'estre contraincts de vivre *Bt.*

5) perséverer *Bt.*

6) *En mars* 1557 *on désigna le ministre Evrard pour aller à Anvers.* (*Reg. de la Vén. Comp.*)

tousiours il vous souvienne que nous avons a passer par ce monde, et non pas y estre enveloppez.

Surquoy faisant fin, treschers seigneurs et freres, apres mestre recommande a vous et a voz bonnes prieres, ie supplieray nostre bon Dieu de vous gouverner tousiours par son esprit, vous multiplier ses graces, et vous fortifier en toute vertu et vous garder en la gueulle des loups. De Geneve ce 21. de decembre 1556.

Vostre humble frere

Iehan Calvin.

2562.

CALVINUS GLAUBURGO.

Francofurdiensis ecclesiae rebus rogat ut prospiciat usque turbatis a Pollano eiusque factione.

(De textu huius epistolae et duarum quae sequuntur haec accipe. Exemplaria foras missa non exstant, verum in Cod. Genev. 107a, fol. 148 et 149 veniunt bis descriptae a Ionvillaeo, primum currente calamo, scil. dictante Calvino, tum elegantiori forma, cui ipse autor propria manu in singulis adscripsit: *D. Ioanni Clawbourgo, G. Holbracho pastori, Francisco Perrucello.* Alia enim inscriptio non adest. Eaedem leguntur et in Cod. Turretini 111, fol. 91, in Epp. Bernens. Tom. VI. p. 661 seqq. et app. Simlerum Vol. 88.)

Nuper [1]) quum de Gallica ecclesiola quae apud vos est tibi scriberem, vir ornatissime, spem tranquillioris status ex *Valerandi* discessu conceperam.[2]) Nunc, dum intelligo locum non mutasse, vereor, ut est ardelio et factiosus, ne quid subinde clandestinis suis artibus moveat. Imo dum audio facinus nuper a senioribus editum, quorum stultitia toto biennio nimis licentiose abusus est, satis perspicio suo more hominem inquietum nimis satagere. Seniores, quorum prudentiam laudabat D. *a Lasco*, non minus tardos et hebetes quam superbos et praefractos expertus sum.[3]) Qui erat integerrimus, senex quidam surdaster, ad obeundum munus vitio illo ineptus erat et certe missionem coram me modeste petiit. Sed imbuti erant nescio quo delirio, usque ad mortem insolubili vinculo teneri adstrictum. Discedens quid miscerent inter se subolfeci et *Gulielmum*[4]) fratrem nostrum monui ut sibi caveret. Sed nunc eo impudentiae progressos esse audio, quo nunquam putassem. Violentam sententiam vocare ausi sunt qua scis ipse nihil potuisse moderatius concipi. Certe mihi videor, dum paci studeo, plus forte quam par erat, *Valerando* pepercisse.[5]) Quare haec stultorum hominum im[*probitas*] minime ferenda est, ut optimas quasque actiones suis calumniis impune pervertant. Et quia obscurum non est ex qua officina prodierit scriptum illud[6]) quod tumultuose recitarunt, cohibenda erit eius hominis importunitas, qui nisi severe increpitus ab audacia non desistet. Prudenter quidem non minus quam pie denunciasti ut a munere abstinerent,[7]) donec veniret novus successor,[8]) ut mihi gratulandi potius causa sit quam rogandi: me tamen non fore tibi molestum confisus sum, si in hoc sancto proposito meis te literis confirmarem. Ergo quod sponte facturum confido, ut mea causa libentius facias, me rogare cogit ecclesiae illius cura, ut tua autoritas ad ecclesiae consensum accedat, quo in ordinem cogantur qui hactenus fuerunt turbarum autores, et nutritii esse non desinent, donec ablata fuerit nocendi facultas. Vale, ornatissime vir et mihi honorande domine. 21. Decembris 1556.

2562. 1) *Literae non exstant.*
2) *Cf. N.* 2548. *Iam eius iudicium de homine severiorem induit formam.*
3) *Lascus de statu rerum omnino mitius iudicasse videtur. Cf. N.* 2555.
4) *Holbrachium.*

5) *N.* 2538.
6) *De Lasci scripto quod inscribitur: Purgatio etc.* (*N.* 2555) *haec dicta esse vix crediderimus, quippe quod Calvinus probasse ferebatur.*
7) *sic.*
8) *Perrucellus* (*Riverius*).

2563.

CALVINUS HOLBRACO.

Quoad nova impudentiae specimina a Pollani factione edita solatur eum spe meliorum. In Perrucelli electione peccatum est, sed ut nunc res sunt is suppetias feret.

(De exemplaribus MSS. vide praecedentem.)

Etsi mihi dolet ecclesiolam vestram novis adhuc certaminibus turbatam esse, una tamen illa tempestas, qua iam estis defuncti, plus tranquillitatis in posterum vobis, ut spero, pariet. Nam improbitas, in quam prolapsi sunt *Valerandi* asseclae,[1]) adeo non est tolerabilis, ut prorsus a diabolo fascinatos esse oporteat qui nondum sentiant hactenus pravis factionibus in ecclesiae perniciem fuisse addictos. Violentamne sententiam dicere ausi sunt

2563. 1) *minime numerosi, si audieris Holbracum N.* 2567.

in qua, ut publicae paci consulerem, tam humaniter *Valerando* peperci? Sed eo impudentiae quasi praecipites agi oportuit, ne fallaci quam hactenus praetexere soliti * gravitate amplius fallerent. Et certe eos ad virulenti illius scripti [2]) recitationem admitti non decebat donec legisses. Sed quum oblata ab ipsis esset conditio maxime optabilis, cam nimis cupide arripiens non satis ad cavendas quae latebant insidias fuisti attentus. Miror autem exemplar non fuisse abs te missum, quia rem totam probe tenere mea interest.

Electio *Francisci* [3]) hoc mihi nomine displicet quod ab ea statione, in qua nunc locatus est, [4]) abstrahi neque honestum est neque utile, donec exitum aliquem habuerit causa illa quam sustinet. Cuius pondus a vobis non satis expensum est, nisi forte vos latuit quod ipse mihi scripserat. Caeterum si expeditus fuerit hic nodus, minime tardandum esse censeo quin mox ad ferendas tibi suppetias accurrat. Fidum enim tibi adiutorem fore non dubito, et placandis multorum animis aptior erit quam incognitus quispiam. Tametsi D. *Clauburgo* nuper vestra causa scripseram, nunc tamen pravum illud seniorum facinus novam materiam mihi praebuit. Si quid apud eum valeo, posthac faventem et propitium senties. Vale, integerrime frater. D, *Hornum* saluta plurimum meo nomine, et roga ut suos quoque populares salutet. Dominus te semper regat suo spiritu laboremque tuum benedicat. Collegae mei tibi plurimam salutem precantur. Idem faciunt reliqui amici, praesertim totum sodalitium quod istic vidisti. Genevae 21. Decembris 1556.

2564.

CALVINUS PERRUCELLO.

Quamvis vocationem Francofordiensem inopportuno tempore factam esse constet, tamen ei autor est ut eam non refugiat, ipso statu ecclesiae id flagitante. Interim Melanchthon responso dato eius confessionem approbabit, sin minus, malae fidei cum poenitebit.

(Cf. quae annotavimus ad N. 2562.)

2) *vide praeced. not.* 6. *Etiam de Pollani Antidoto adv. Westphali pestilens consilium nuper scriptum ad senatum Francf.* (*recus. in Frkf. Rel. Hdl.* II. 217) *vix cogitamus quum id m. Maio* 1557 *demum prodierit, nisi statuere velis illud in manuscripto antea prolatum fuisse. Cf. proximam Holbraci.*

3) *Perrucelli.*

4) *ap. Vesalienses.*

S. De statu istius ecclesiae [1]) admoniti erant Francofordienses antequam te vocarent: neque recte neque considerate factum ab illis est quod inde intempestiva electione te abducere tentarunt. Nam ut nulla spes detur retinendae istic ecclesiolae, nihil tamen turpius quam tanti momenti causam prodere tuo discessu. Itaque nunquam tibi abeundi autor essem donec aliquid constitutum fuerit. Si quid respondeat *Philippus* [2]) (quod certe nisi libenter faciat pudore saltem cogetur) non audebit doctrinam tuam improbare: imo nisi confessioni tuae subscribat mirabor. Quod si mala fide se gesserit, sentiet acriori cum hoste sibi fore negotium quam hactenus expertus sit. Interea exspectare tibi necesse fuit quorsum res caderet. Verum quia iam haud dubie rediit nuncius, unde aliquid transactum esse coniicio, modo ab hac parte liber sis, non video cur tibi refugienda sit quae offertur vocatio. Te ecclesiae Embdensi obstrictum esse putas. [3]) Atqui pridem quid ego de pactione illa sentirem tibi exposui. Si futurae vocationis spes non teneat suspensos, nunquam quisquam stationem in qua locatus est fixo pede tuebitur: neque acquum fuit ab illis te rogari dum res eorum adhuc incertae erant, ne alibi tuam operam addiceres, neque tibi promittere licuit quod tibi remoram afferret si opera tua flagitaretur. Iam vero non est cur in tanta Francfordiensis ecclesiae necessitate sibi magis consultum velint. Qui eos doceat probus aliquis et idoneus minister reperietur. Si Francfordienses negligas magnus turbarum motus, imo certa clades impendet. Tantum vide ne locum tuum deseras nisi legitima ratione solutus ac liber. Eam vero libertatem perinde accipe ac si Deus laboranti ecclesiae Francfordiensi succurrere iuberet. Vale, eximie vir et carissime frater. Collegae etiam mei te plurimum salutant. Dominus tibi adsit, spiritu prudentiae rectitudinis consilii et fortitudinis gubernet, suaque benedictione magis ac magis augeat. Genevae 21. Decembris 1556.

2564. 1) *Vesaliensis cf. N.* 2535 *et* 2544.

2) *De Melanchthonis reponso vide ibid. et Corp. Reff. et Wolters ll. ll.*

3) *Cf. N.* 2551. *not.* 5. *Emdenae videtur pars aliqua ecclesiae olim Londinensis consedisse. Addit l. l.:* Necessitas huius (*Francofurtensis*) ecclesiae ac turbae requirebant ut quo ei succurrerem reditum anteverterem tabellarii mei. Veni itaque, idque ex consensu universorum fratrum Vesaliensium. Neque tamen me confirmari sum passus donec meus rediisset tabellarius qui biduo postquam id huic significassem ecclesiae D. Calvini mihi attulit consilium, quod erat ut huic ecclesiae ministerium dedicarem meum.

2565.

HALLERUS BULLINGERO.

Lausannenses synodum flagitant de praedestinatione tractandi causa. Quod eis negatur a senatu.

(Excerptum ex Cod. Arch. Turic. 115, Plut. VI. olim Scrin. B. Epp. Tom. VIII. fol. 2957. — Simler Vol. 88.)

— — — — — — — — — — — — — — —

— — Fuerunt hic hisce diebus Lausannenses postulantes synodum generalem in qua tractetur negotium praedestinationis. Sed nos totis viribus eorum conatui restitimus, non ignorantes, tractationem hanc maioris incendii initium fore. Itaque hoc illis a senatu nostro magnifico negatum. Decretum vero, ut proxima aestate classium denuo fiat visitatio. Eusthatius quoque *Quercetanus* [1]) ad suam et illorum omnium petitionem sua functione liber factus est. Bernae 26. Dec. 56.

Io. Hallerus tuus.

2566.

CALVIN A L'ÉGLISE FRANÇAISE DE FRANCFORT.

Au sujet du la vocation de Perrucel. [1])

(Minute. Bibl. de Genève. Vol. 107, f. 108 v. Copie Vol. 108, f. 111. Lettres fr. II. 114. Trad. angl. III. 305.)

La dilection de Dieu nostre Pere, et la grace de nostre Seigneur Iesus soit tousiours sur vous, par la communication du S. Esprit.

Treschers seigneurs et freres, aiant ouy les premieres nouvelles de lelection que vous avez faicte, ie fuz seulement fasche dun poinct, cest que vous avez mal regarde a la necessite presente de leglise de Wesel, pour le moins si vous en estiez advertyz. Car vous scavez que chacune eglise ne doit pas tellement chercher ce qui luy est propre, quelle naict aussi soing des aultres. Qui plus est en retirant nostre frere m^e^ *Francois* de ce lieu la, selon que les choses y estoient confuses, vous neussiez pas faict tort seulement au petit peuple qui est la assemble, mais a toute la Chrestiente. Car sil fust party ou quencores au iourdhuy il partist de la, devant quavoir attendu quelle issue Dieu vouldra donner a la cause quil demene, il feroit une plus grande playe que vous ne pensez. Mais ie croy bien que son estat vous estoit incongneu, quant vous lesleustes, et que depuis vous ne laurez point haste [2]) oultre mesure. Et quant a moy, ie ne luy conseilleray iamais de bouger devant quavoir gangne la cause pour laquelle il a combattu iusques icy, combien que luy et le petit troppeau soit dechasse par force et tyrannie. Mais iespere encores que la fin en sera meilleure, et quil obtiendra que non seulement il soit permis a noz freres dhabiter en ce lieu la, servans purement a Dieu, mais aussi que la verite de levangile, quant a larticle de la Cene quon a voulu ......, [3]) aura victoire. Ie vous prie donq de navoir point tel esgard a vous, que vous ne conferiez a vostre utilite privee un bien commun de telle importance. Ce cas excepte, ie seray bien dadvis, comme aussi ie luy mande, quil vienne bien tost vous secourir. Car leglise dAmbdem ne le doit pas empescher, et lobligation quil allegue nest pas telle quil ne soit en liberte de semploier ou Dieu luy offre meilleure occasion. Sil suit mon conseil, comme iespere, vous aurez de quoy vous contenter. Et de faict, ie croy que vous estes assez persuadez combien ie desire que vous soiez prouveuz. Et pource que ie me confie que nostre frere m^e^ *Francois* taschera de saquitter fidelement de son devoir, et que son labeur vous sera utile, ie ne vouldrois nullement le retarder, mais plus tost ladvancer tant quil me seroit possible.

Au reste, mes freres, ie vous prie mettre tousiours peine a reunir le corps de vostre Eglise qui a este si pauvrement dissipe. Et pour ce faire en oubliant toutes les querelles et contentions passees, supportez linfirmite de ceux qui ont este abusez. Quant a lacte quont fait vos Anciens, sil est tel que ie lay entendu, ilz meritent bien destre ostez du lieu auquel ilz se sont mal gouvernez. Seulement advisez, ie vous prie, que cela se face sans tumulte, mais dun accord paisible, et au lieu quilz ont voulu mettre confusion entre vous, que vous leur appreniez

2565. 1) *Quercetani historia aliqua obscuritate premi videtur. Ruchat* (IV. 436) *dicit eum anno* 1551 *Lausannam venisse et a.* 1557 *abiisse. Hoc quidem hac epistola confirmatur. Haagius* (IV. 479) *nihil certi habet. Cur vero abierit non liquet. Fortasse ministerium quaerebat apud coetum aliquem peregrinorum, quorum popularis erat. Cf. Riverii Memor. in Frkf. Rel. Hdl.* I. 278. *Anno* 1558, *quo tempore Holbracus munere abdicatus fuit, Quercetanus Francofurti Gallorum minister erat. Quando autem eo pervenerit nescimus.* (*Cf. etiam Freseniam p.* 136.)

2566. 1) *Cette lettre s'explique suffisamment par celles qui l'ont précédée N.* 2535. 2543. 2544. 2548. 2563 *suiv.*

2) festé *Bt.*

3) *mot illisible. M. Bt. propose:* opprimer, *ce qui est plus que douteux.*

que cest de renger les mutins par bon ordre. Jeusse pense me *Valerand* un petit mieux advise, et ne fust ce que pour son profict. Maintenant il verifie par trop ce quon a dit de luy. Tant y a quil a monstre un tour dhomme du tout desespere,[4]) en quoy ie voy que Dieu le precipite. Cependant portez vous tant plus modestement, et monstrez quen cherchant ledification de leglise, vous ne desirez la ruine de personne. Ie vous prie aussi saluer en mon nom le reste des freres.

Surquoy, ie feray fin apres mestre recommande a voz bonnes prieres et avoir supplie nostre bon Dieu vous tenir tousiours en sa garde, vous gouverner par son S. Esprit et vous augmenter en tout bien. De Geneve ce 27.[5]) de Decembre 1556.

Vostre humble frere
Iehan Calvin.

2567.

HOLBRACUS CALVINO.

Pollani tricae usque turbas movent in ecclesia Francofordiensi et calumniae a factione eius scripto consignatae sunt. Verum ut modum in his excesserunt ita res in melius verti videntur.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 64.)

Insigni verbi Dei ministro D. Iohanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori.

Genevae.

S. Nihil intentatum reliquit *Valerandus*[1]) quo nobis noceret, et ut, si fieri potuisset, in ministerio restitueretur quo semel se abdicaverat. Nec illius conatibus defuerunt sui seniores qui, etsi multa moverint, nihil tandem promoverunt. Nam singulari Dei erga suam ecclesiam benevolentia factum est ut iis ipsis laqueis quos nobis tetenderant irretitus sit pes eorum. Sic solet Dominus sapientes comprehendere in sua sapientia. Graves criminationes, aut verius calumnias, conscripserant adversum me nostri seniores, quas etiam toti ecclesiae praelegere sperabant, ut mihi invidiam conciliarent: sed praeter eorum spem in consulis manus devenit scriptum cuius rationem ab ipsis petiturus erat. Sed nostro rogatu et D. *a Glaubourg* autoritate impetravimus ut tota res differretur in adventum *Francisci*[2]) quem exspectamus arbitrum et iudicem fore in hac controversia. In duobus praesertim nobis facessit negotium *Valerandus*, quod videlicet apud D. *a Glaubourg* me traducit et immerito accusat, apud quem sane plus fidei obtinet quam par sit, deinde quod apud quoscunque potest se innocentem esse iactat, et calumniose accusatum queritur, atque adeo vestra omnium sententia absolutum. Quotquot autem illi fidem adhibent me ex adverso damnant, quia satis norunt mihi cum suo illo innocente nulla in re convenire, atque hac ratione fovetur schisma inter nostros. Sed, ut speramus, Deo bene volente cum tempore veritas patefiet. Nam maior populi pars iam oculis apertis intuetur et percipere incipit vestrorum laborum fructum: et certe semen a vobis iactum iam copiosam herbam protulit, unde etiam copiosam messem exspectare tuto possimus. In nostris mihi valde placet audiendi verbi diligentia et frequentia in concionibus cum attentione. Si ab errore revocari possent 25 aut ad summum 30, qui fascinati a *Valerando* et suis senioribus recta monentes ferre nondum possunt, bene nobiscum actum foret. Mihi interea, ut recte in literis tuis me admones, prudentia non mediocri est opus: cum impudentia namque est mihi luctandum, et nisi mei misertus fuisset Dominus, dudum moderationem excussisset adversariorum saevitia. Sed posthac, ut spero, non adeo frequenter congrediemur. Nam quum intellexit D. *a Glaubour* * seniores in sua charta scripsisse, se bona conscientia non posse mecum in disciplina convenire,[3]) et tali cum hypocrita ecclesiae negotia tractare, non ita urget ne sine seniorum assensu quidquam agam, quod antea faciebat. Nunc igitur sine senioribus tantisper, dum exspectatur *Franciscus*, sumus, post cuius adventum nova seniorum electio instituetur. Vale, et qua soles benevolentia nos prosequere. Dominus te diu suae ecclesiae servet incolumem. Amen. Francforti 29 Decembris 1556.

Gulielmus Houbraquius
tuus ex animo.

---

4) train d'homme désespéré *Bt.*

5) *Nous sommes presque convaincus qu'il faut lire* 21.

2567. 1) *Iam et Holbracus se cum Pollano committit et mox similibus dissensionibus implicatur, non solum cum illo sed etiam cum presbyteris. Infra videbis vel ipsum Glauburgum supectum habere, quo tamen unico fere in senatu patrono utebantur.*

2) *Perrucelli.*

3) *Hanc ergo novam discordiarum materiem secum ex Geneva attulerat.*

2568.

CALVINUS BIGOTIO. [1])

Virum olim sibi familiarem increpat quod solus ex sua familia veritatem evangelicam non amplexus sit.

(Ex ed. Bezae Genev. p. 188. Laus. p. 405, Hanov. p. 453, Amst. p. 117, Chouet p. 255.)

Quum tam familiari vitae usu atque etiam contubernio mihi olim fueris devinctus, nunquam fore putassem, mi *Petre*, ut mihi difficilis ac perplexa esset ad te scribendi ratio. Sed quia mundi illecebris implicitus praeter spem meam et magno meo dolore te a nobis subduxeras, ac si via mihi periculosa foret, a scribendi consuetudine abstinui. Citius forte quam oportuit: sed quia verebar, si literas non postulanti obtruderem, ne tibi ludibrio sedulitas mea esset, nolui saltem properare, donec signum aliquod melius dares. Amorem interea, quo te ac fratrem tuum semel complexus fueram, quamvis externis officiis non testarer, animo fovebam, sicuti nondum excidit vel excussus est. Iam vero fratrum tuorum adventu, quo nova occasio videri oblata poterat, ideo restrictior factus sum, quod vos suo exemplo comites non traxissent, quum duces fore sperassem. Certe tam insperata mutatione non modo perculsus sum, sed fere obstupui: quum tibi manum porrigerent, et migrationis adiutores forent ac socii, qui tibi prius erant obstaculo, et a quibus solis te retineri saepe conquestus es, nido tamen affixum suaviter quiescere. Verum ut querimoniis utrinque valere iussis placide tecum agam, quid sibi, mi *Petre*, vult haec mollities, ac ignavia, vel quo praetextu excusabitur? Non est hic mihi texenda disputatio de fugiendis superstitionibus, quarum odio et detestatione relinquenda potius erat vita, quam ut te amore patriae in illis sic pollueres. Te satis ac super, me tacente, convictum tenet conscientia, vix ullum effluere diem, quo non abs te Deus legitimo suo cultu honoreque fraudetur. Imo simulatio ista, qua impiorum gratiam foves, quid aliud est, quam obliqua defectio a confessione, quae praecipui sacrificii loco ab omnibus Dei filiis exigitur? Atqui centies mori praestaret, quam ita vindictam Dei quotidie provocare. Quod vero plus quam serviliter timidus, quantum in te est, lumen in corde tuo pridem divinitus accensum suffocas, vide ne quidquid residuum est usque ad minimas quasque scintillas exstinguat idem Deus, si torpori tuo ad finem usque indulges. Potius aliquando expergiscere, ne praetereat tempus illud acceptabile, quo Deum quaeri iubet Propheta dum inveniri potest. Me quidem non modo tuae tarditatis pudet ad piget, sed terret illa severa Christi denunciatio, ubi clausa fuerit ianua, frustra pulsaturos, qui occasionem neglexerint. Asperior sum quam vellem: sed ut tibi Deus parcat, parcere ipse non audeo. Saltem quod a sincera fraterni amoris sollicitudine profectum esse agnosces, non adeo morosus eris, ut repudies. Vale, eximie vir, Dominus te spiritu prudentiae et rectitudinis gubernet, instruat sancta constantia, virtute sua tueatur. 4. Calendas Ianuarii. Anno 1557.

2568. 1) *Viro aliunde non cognito. Omnino non agitur de illo quocum Baduello olim Nemausi res fuerat. Cf. Gaufrès in Bulletin du prot. fr.* 1874 *p.* 339 *sq. Fuit gens eius nominis apud Bituriges* (*Haag* II. 285) *Nicolai Bigot Biturigensis filiam duxerat Leo Colladonius.* (*Galiffe not. gén.* II. 568.) *Quum se Calvinus olim huic familiarem fuisse dicat patet eum illo potissimum loco quaerendum.*

2569.

CALVINUS INCERTO.

Ad coniugium minus recte institutum.

(Edidimus in Tomo Consiliorum Opp. X. Part. I p. 242 Pertinet ad 30. Dec. 1556 et incipit a verbis: *Etsi in tanto consultantium numero.*)

2570.

BULLINGERUS CALVINO.

Italo illi ius civitatis concedi nequit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 129, olim Scrin. B. Epp. Tom. 30, fol. 320. — Simler Vol. 88.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori, domino colendo et fratri suo carissimo.

S. D. Brevior sum, colendissime mi *Calvine*, frater in Domino carissime, quod optimus hic frater et symmysta noster omnia rectius possit narrare quam ego scribere. Ego pro meo in vos amore, observantia et studio, quae potui feci. Puto amplissimum D. Consulem una cum senatu non

imprudenter negotium aggressuros. [1]) Qua de re scribitur ad clarissimum senatum vestrae reipublicae.

Civitas Italo illi [2]) de quo scribis non concedetur. Nam tanta est hominum in hac civitate copia, ut cives postularint, ne qui recipiantur amplius aliquanto tempore: quod et decreto publico confirmatum est. Absentes minus recipiuntur. D. Consul uno verbo significavit frustra hoc vos tentaturos negotium. At literae tuae ea de re dudum scriptae non multas ante horas quam veniret *Macharius* mihi sunt redditae. Nescio ubi delituerint aut oberrarint in itinere. De rebus novis ex Lipsia ad me scriptis referet D. *Macharius*. Fama est brevi *Maximilianum* creandum Rom. Regem etc. Vive et vale. Dominus Iesus faxit ut hic annus tibi ac tuis sit felix et faustus. Tiguri ultima die anni 1556. Salutant te fratres omnes. Saluta tu fratres etc. Festinantissime.

Bullingerus tuus.

2571.

BLAURERUS CALVINO.

Ridiculum rumorem de Melanchthone a suo principe dimisso serio renunciat. Commentarium in Psalmos gratus et laetus accepit. Funclios utilissimae cuiusdam rei inventores commendat.

(Ex autographo Cod. Genev 110, fol. 144. Initium desideratur.)

Clarissimo theologo Ioanni Calvino domino ac fratri suo praecipue colendo longeque carissimo.

Genff.

. . . . . ineuntis iam anni felicia faustaque auspicia tibi tuisque omnibus ego meique totis tibi animis fidelibus votis ab eo impetrata cupimus, qui in hoc ut acceptum Domini annum praedicet missus est Iesus Christus.

Tiguro ad me nudius quartus scriptum est *Philippum* a principe suo missum factum, [1]) ab Argentoratensibus receptum: quod ubi primum D. D. Ioannes *Marpachius* resciverit, resignato illic ministerio ab Ulmensibus operam suam conduci sustinuerit. Id quod singulari Domini consilio factum putant, ut magis nunc liberum sit *Philippo* suam de coena Christi sententiam ecclesiis declarare, nimirum nullo alio ex reliquis eius ecclesiae ministris pertinacius reluctari audente. Quod si forte istuc* ipsum *Philippo* quod clarissimo et magno theologo *P. Martyri* accidat, ut ab Argentinensibus contemnatur, adeoque eiiciatur etiam, post ingenuam fidei suae confessionem, tum vero Tigurum incomparabilem hunc virum summa gratulatione ac omnium plausu excipiet: et nos Deum precemur ut omnia ista sic moderetur, quo brevi ecclesias Christi sui, post tot molestissima alienatorum inter se animorum nubila et gravissimas intestinorum dissidiorum tempestates, serenatas rursum et tranquillatas videamus.

De carnifice vestro haec habet, postquam omnia mihi et unde occasio fabulae arrepta esse potuerit tanta diligentia exposuisti. Habeo enim nunc quo affectatas istas malevolorum calumnias . . . . . .

Quod excusam nunc partem luculentorum ac eruditissimorum commentariorum tuorum in Psalmos mittere non es gravatus, [2]) maxima maiorem tibi gratiam habeo. Nam supra quam credere possis in iis delitior. Ubi quod reliquum erit accepero, typographo abunde fecero satis. Dominus Iesus tantisper te ecclesiae suae superstitem servet, dum omnes bibliorum libros hunc in modum incomparabilibus et Dei spiritum per omnia resipientibus enarrationibus feliciter illustres.

Habes hic *Funclium* fidelissimum symmystam, adeoque etiam animam meam, cum fratre germano suo, qui inventi huius causa, de quo nuper ad te pauca, ad vos proficiscuntur, quo cum senatu vestro de hoc feliciter quod speramus agant: ubi te maximopere rogatum velim ut ipsis velut praesens numen quoddam adsis, quo negotium hoc, unde tam incredibilis omnibus fere mortalibus commoditas praeter exspectationem emerget, tua quoque diligentia et officiositate mature et cum fructu aliquo conficiant, hoc est, ut ad inventores quoque utilitas aliqua (quod minime iniquum iudicabis) redeat. Sed vale, sane mihi plus quam venerande carissimeque frater et amice et omnia. Biennae pridie Calend. Ianuarii 1556.

T. A. Bl.

2) *N.* 2559 *ubi etiam de novo fornace.*

2570. 1) *Loquitur de mediatione Turicensium in negotio foederis et fugitivorum.*
2) *N.* 2554. 2556.
2571. 1) *Falsus rumor. Fortassis ansam praebuit Sturmii propositum qui Melanchthonem in Martyris locum accersere cupiebat.*

2572.

INCERTUS IN CENALEM.

Quum Robertus Cenalis episcopus Abrincatuensis contra Calvinum scripserit, anonymus huius amicus et vindex, quem Bezam fuisse suspicamur, hunc lepidum libellum conscripsit ad modum Epistolarum obscurorum virorum, quem quum rarissimus sit et doctorum oculis se fere subduxerit omnino sepeliri noluimus.

(Exstat in Bibliotheca nostra Calviniana, et constat tribus foliis formae minimae, signatis A—C, paginis praeter titulum 43 non numeratis, praeter tres vacuas in fine. Titulus sic decurrit:

Cẽsura Decani et facultatis the- | OLOGIAE PARISIENSIS, | in librum reuerendi patris D. D. Ro | berti Coenalis, Arboricensium Episcopi, | *INTITVLATVM*, | TRADUCTIO LARVAE | SYCOPHANTICAE PETV- | lantissimaeque impietatis | Caluinicae. (*Insigne typographi*) M. D. LVI. —

Insigne illud exhibet literam Y, quae occupat dimidium totius paginae. Adstat senex cum baculo qui dextra monstrat adagium: *Intrate per arctam viam.*

Decanus et Facultas theologiae Reverendo in Christo patri et domino, D. Roberto Coenali Arboricensium Episcopo, [1]) bene agere, procedere et prosperare in omni tempore, Amen.

Reverende in Christo pater, nos recepimus librum vestrum, quem composuistis adversus Ioannem Calvinum, cum literis concomitantibus, quibus nos rogatis ut diligenter ipsum legamus et examinemus: et eo perlecto ad vos sententiam scribere nostram dignemur. Quod fecissemus citius, nisi magna fasce negociorum fuissemus onerati. Sed commisimus ipsum pro more legendum duobus bonis et doctis viris, ad quorum diligentem relationem omnia secùndum petitionem vestram diiudicaremus. Ipsi certis diebus toti collegio nostro, aut certe maiori parti, praesentialiter, aliquot puncta vel articulos proponebant discutiendos: eos scilicet de quibus dubitabant, aut ubi poterat remanere aliquis scrupulus: atque ibi examinatione facta, concludebatur ex pluralitate vocum et sententiarum, ut scitis: et quod conclusum erat, in scriptis summatim ponebatur per unum ex illis duobus, qui commissi fuerant pro legendo vestro libro. Vos cognoscetis illos vere esse vobis amicos, et totum collegium nostrum amore insigni, et favore vos prosequi. Et merito. Quia vos praecellitis honore et gradu, et estis de antiquissimis sodalitatis nostrae. Et etiam noverunt omnes, quam ardentem zelum habetis adversus istos haereticos: nec ulli fuerunt, qui non mirifice laetificati sint, legentes argumenta vestra, sententias, dicteria, scommata, quibus ad vivum ipsos tangitis: et credimus pro certo, quod cum ista legent, vos facietis ipsos insanire. Nos quidem librum vestrum bene approbamus, et subscribimus vobis in omnibus quae dicitis contra illum haeresiarcham et complices eius. Sed quia postulatis ut familiariter dicamus iudicium nostrum, ut possitis addere vel minuere, prout visum erit: vos in bonam partem accipietis omnia, quae dicturi sumus, reservantes omnia arbitrio vestro: quia de scientia, quae in vobis ingens et immanis est, atque etiam de omni sufficientia vestra, satis superque confidimus. Tantum hoc scriptum erit, ut sciatis nec collegium nostrum in generali, nec unumquemque nostrum in speciali, posse quicquam recusare, quod a nobis postulaveritis, nedum quod tam benigne et tam humiliter flagitatis.

Non ignorat paternitas vestra, quam nasuti sint hodie isti haeretici, nec levi lance trutinare, quae in ipsos dicuntur: sed ea adducere, quae vix quisquam somniare posset. Et nunquam sunt sine responsione aut solutione, unde fit ut perstringant oculos multorum, et nostras sermonicationes eludant. Quare fuimus semper in ea sententia, ut authoritate sanctae matris Ecclesiae et nostra potius damnentur, quam rationibus convincantur: quia est impossibile. Nam habent semper suas replicas, quibus nescio quis satisfacere posset. Et proculdubio vos habebitis bene cito unam, si eis liceat videre librum vestrum. Quare bonum esse iudicavimus praevidere vel divinare quid ipsi respondere possent: ut vobis caveatis, et provideatis de responso et bene parati sitis et muniti ad eorum ictus repellendos.

Primum ipsi dicent vos maturum aliquod et grande opus aedere debuisse, quia diu, nempe per totum quinquennium et ultra super ipsum incubuistis. Vos satis habuisse temporis ad omnia accurate limanda. Et tamen in priore Tomo videri quaedam mutila, imperfecta, aut non satis proprie soluta. Scimus vos tunc non habuisse librum Calvini, sed tantum fragmenta legisse, quae Cochlaeus sparsit in suo libro. Sed quum postea fateamini vos recuperasse integrum Calvini librum, certe dicent aut vos pigros fuisse, quia priora relegere vel corrigere noluistis, aut laborem illum perdere noluisse. Sed

2572. 1) *Robertus Cenalis* (*al. Coenalis, Senalis*) 1530 *ep. in Vence*, 1532 *ap. Abrincatuos* (*Avranches*) *obiit* 1560, *insignis sui temporis Sorbonista, teste Wernero, Gesch. d. apol. et pol. Lit.* IV. 293. *Scripsit hist. Galliae, hist. eccl. Normandiae, de vera ponderum mensurarumque ratione* (*in Graevii Thes. XI.*), *tum plura polemica c. g. Larvam sycophanticam in Calvinum; Antidotum ad postulata Interim* 1549; *de caelibatu, contra divortium*; *etc.* (*Joecher*).

dicant quod voluerint. Sat cito si sat bene. Satis est quod vos bene alloquimini reverentiam ipsorum.

Quantum ad nomen libri, dicent esse novam intitulandi formam: quia si modo intelleximus vestram intentionem, vos ponitis Traductionem pro Diffamatione vel propalatione, qua istos propines omnibus deridendos. Quod certe non diffitemur vos iure facere. Sed tamen nonnullis videbitur hoc non satis decorum, praesertim doctori et Episcopo, qui debet cum quadam gravitate et aliquo moderamine refutare adversarios. Possent dicere esse speciem charivarii, similem ei quod vos aliquando cum essetis iuvenis, fecistis, vos scitis bene ubi. Nolumus amplius dicere: quia putamus vos memores esse vestrae quondam vesperisationis.

Sed ad rem redeamus. Intitulatio nobis videtur optime convenire ipsi operi: quia decentibus opprobriis et omnifariam iniuriis ipsos convenienter traducitis. Nos mirati sumus ubi tantam diversitatem potueritis invenire: nec putavissemus in unius hominis capite posse reperiri tam mirificas species obiectionum, reiectionum, stropharum, antistropharum, apostropharum sive conversionum, (convitia et contumelias appellent ipsi si velint) sed vos egregie ipsos refellitis: ostenditis quid quinquennalis labor efficiat, et quod vos in ista senecta, quae deberet esse vobis tempus quietis, non semper dormivistis. Tantummodo voluissemus vos reservasse aliquid pro replica: ut si isti nebulones aliquid rescribant, statim haberetis tanquam unum baculum in manu, ad dandum iterum ipsis supra caput, si velint adhuc grunnire. Scitis enim quod non oportet statim omnia arma extrahere in hostem: sed reservanda esse aliqua pro extremo tempore necessitatis. Sed praecipue haec regula tenenda in hoc certamine, in quo defensio ponitur in iniuriis: quia est magna verecundatio ei qui nihil habet amplius quod dicat, nisi ad principium redeat. Reducemus vobis in memoriam rem gestam a Galerio illo fatista tam maledico, qui aliquando ex compacto vicit Harengiarias de parvo ponte, quae sunt valde iniuriosae et venenosae, quod eas aliquandiu patienter virus suum evomere sivisset, et postea ipse recens se proiecit et irruit in fessas et raucas, quae nihil amplius poterant exprobrare, quam quod antea dixerant: atque hoc modo fecit ipsas tacere, etiam invitas, et victoriosus reportavit unum bonum bombycinum de sacino, pro quo deposuerat nisi ipsas vinceret. Nolumus certe vos talibus mulierculis assimilare: absit. Quia scimus virum poetam qualis vos estis, non ita iniuriare sive ledoriare ut pistrices, sicuti ab antiquis dictum est, vel maenopolides, sive harengiarias, quia magna est diversitas: nec id paternitati vestrae conveniret. Solummodo vos admonere voluimus, quid bonum factu nobis videretur. Nec etiam putamus conveniens esse nostro ordini tam multiplicibus iniuriarum modis adversarios persequi: quia vix fieri potest, quin sit aliquid falsitatis aut deliquii in tanta multiplicitate. Et vos scitis quam opprobriosum esset, episcopum et doctorem argui mendacii. Praeterea cavendum est ne quadam animositate, et particulari zelo nostri honoris videamur id facere. Quod profecto facile suspicantur homines, (et vos scitis quam suspiciosi sint hodie et faciles ad credendum) quando vident nos nimium immorari in ledoriis et detractionibus, aut semper ad eas reverti, quasi nobis valde placeant, aut quasi nobis deficiant bonae et sufficientes rationes, quibus eorum argumentis satisfaciamus. Profecto audivimus nuper a quodam amico, qui nuper e Roma rediens cum Cardinali de Lotharingia transiit per Genevam, illos non multum curare diffamationes, quibus ipsos traducimus ad populum, vel in praedicationibus, vel in libris nostris: et dicunt esse crepitus et ructus, quos emittimus post epulas et commessationes: et quod talibus rebus (proh dolor) caninam impudentiam et asininam ignorantiam nostram ostendimus. Addunt etiam, quod dicere erubescimus, nobis idem evenisse quod quidam inimico suo optabat: nempe ut quoties vellet contra ipsum dicere, pro singulis verbis singulos bombos sive crepitus evibraret. Ita nos bombisare et crepitare quoties in ipsos dicere volumus.

Sed satis de his. Pro conclusione, nos iudicamus esse multo melius tenere aliquam mensuram, quia nos etiam damus eis occasionem inquirendi propius supra nos et supra vitam nostram et discoperiendi multa, quae melius esset latere. Possemus allegare quaedam de iis qui scripta sua adversus illos ediderunt. Sed ut iam diximus, haec sufficient pro nunc. Quod vocatis librum vestrum Traductionem Larvae Calvinicae, nobis videtur esse magis proprium magisque conveniens, si diceretis, ipsius Calvini. Quia ipsi dicent vos finxisse larvam quandam novam ad vestrum appetitum: et talem etiam ipsi personae Calvini non convenire. Dicent etiam vos semper esse vestri similem, et quod voluptatem capitis ad pugnandum cum larvis et umbris, quas vos ipsi fabricastis in vestro cerebro. Quia etiam fuit causa propter quam Calvinus vos morionem aut stultum vocaverat: quia scilicet faciebatis unam magnam tragoediam de falsis quibusdam postulatis de Interim. Erat autem mera fabula. Ideo dicebat vos pugnare cum umbra vestra. Et ita vos exprobrationem istam magis ac magis confirmabitis. Quod tres Tomos facitis de uno libro non multum magno, ipsi etiam ridebunt. Et Lectores antequam introspexerint, putabunt illic esse unum tantum, et petent ubinam erunt alii duo. Verum enimvero mirati sumus quod vocatis vos Doctorem Parisiensem ordine et origine. Ordine quidem fatemur: sed origine fieri non potest. Quia nemo, sicut vos bene

scitis, nascitur clericus, nedum doctor. Est enim qualitas superveniens, seu ascititia, sive adventitia. Nec est similis ei quam habebat Paulus, qui dicebat se civem Romanum esse natum. Qui vos non bene nossent, suspicarentur ex illis verbis vos non esse natum ex legitimo coniugio, sed esse filium alicuius Doctoris et presbyteri, a quo tanquam per manus Doctoratum accepissetis. Si ita esset, quod absit, quid fieret de vestro episcopatu? Vos scitis quod posset statim impetrare per incapacitatem, nisi essetis legitimatus. Nisi forsitan essetis de tribu Levi in qua filii poterant succedere patribus in sacerdotio et ministerio templi. Sed vetera illa transierunt. Quare videtur nobis, quod debetis cautius vel correctius sequi, et melius discernere ordinem, quem a facultate nostra habetis, ab origine vestra.

Nunc librum ipsum ingrediamur, in quo certe apparet aureus et mellifluus liquor vestri sermonis, et subtile ingenii acumen. Sed tamen aliquando (salvo honore vestro dictum sit) videmini oblivisci vestri. Nam dicitis vos non pluris facere quod Calvinus vocat vos morionem, quam si audiretis ridiculum asininae vocis strepitum: et vos non ideo posse vobis multis nominibus non placere. Et tamen postea intratis in magnam choleram, et multam bilem evomitis, debacchando adversus ipsum, et diffamando omnigenis opprobriis. Quod demonstrat vos non ita contemnere talem iniuriam: sed cor vestrum particulari affectu compunctum et commotum fuisse. Satius erat dissimulare talem affectum: et succinctius illa transire, nec toties repetere nomina moriae, morionum, et morionicorum, quia dicent vos velle ludere morisquas, aut portare marotas, ad movendum risum hominibus. Sed advertite bene, quod tacite fatemini vos esse morionem, quando vobis et Cochlaeo vultis tertium adiungere Calvinum. Dicent autem quod stulti cupiunt omnes sibi esse similes aut saltem existimari. Quod fueritis compuncti, et retaliandi animo procedatis, ex eo apparet, quod pro paucis iniuriis mille diffamatoria verba, (et saepe male ad propositum) in ipsum animose eructatis. Inter quae reperiantur multa, quae Calvini personae nullo modo conveniunt, si bene animadvertatis. Ridiculum certe est quod vos eum inter cucullatos et votifragos annumeratis, quia nunquam induit cucullam. Praeterea, quod comatulum, calamistra, et militari veste indutum vocatis. Quia scimus totum contrarium, et videmus vos dare aures aliquibus impostoribus, qui faciunt credere vobis quod volunt, et capiunt voluptatem ad vos fallendum. Absit enim ut suspicemur vos ista de capite vestro fabricare: sed bene voluimus vos monitum, reverende Pater, ut cogitetis quem risum estis moturus omnibus, qui sciunt Calvinum esse tonso capite, quum intelligent vos appellare ipsum calamistratum. Ipsi certe dicent vos affingendo illi calamistros, voluisse orationem vestram calamistrare. Semper autem laborandum est, ut si non vera, saltem probabilia et verisimilia in adversarium dicamus, nisi velimus effrontes existimari. Quemadmodum quum dicitis passim apud eos regnare scortationes et adulteria: quia certum est et vulgo notum, non ita permitti illic ut apud nos, ubi talia crimina levia et pro ridiculo habentur. Si ita punirentur a iudicibus nostris, episcopi multi, abbates, sacerdotes et monachi non ita alienas uxores et filias corrumpere auderent. Hoc dictum sit, non in laudem ipsorum, sed ad ignominiam nostram. Praeterea multum fallimini, quum dicitis Calvinum vernaculo usum eloquio, potius quam Latina phrasi: quia prius scripsit Latine quam Gallice. Et bene scimus quod multo plura ab eo scripta sunt Latino sermone, quam vernaculo. Quapropter ipse vos ridebit, nec non asseclae eius, quando legent librum vestrum. Item, quando in expositione verborum Malachiae dicitis eum transire a thesauris ad carbonariam, et relicto illo loco ad quem respondere debebat, transire ad interpretationem verborum Ieremiae, non satis advertitis animo, quod non habebatis integrum Calvini librum, et quod fragmenta solum ex libro Cochlaei delibatis, sicut etiam vos ipsi fatemini. Quando liber ipse integer pervenit ad manus vestras, ut postea fato quodam factum esse declaratis Tomo tertio, oportebat vos recurrere ad illum locum et similes, ne quam occasionem daretis istis haereticis illudendi nobis et libris nostris. Quia certe explicat illum locum Malachiae, et respondet ad obiecta. Verum est quod facit illud secundum suum sensum. Sed tamen non ita subito transilit ut vos dicitis. Fingitis etiam ipsum vocare nos Catholicos, quod certe nunquam legimus in ullo eius libro. Nam etiam si hoc fateretur, seipsum damnaret. Sed ipse est nimis cautus, quam ut hoc scribat. Quod autem suscipitis defensionem pro iis qui fabricaverunt Interim, nobis videmini multas bonas horas perdere, et rumpere incassum caput vestrum. Quia ipsi non valent tantum laboris, nec causa eorum. Voluerunt enim facere unum terribile mellingium de suo capite, non pro reparanda Christianitate, sed ad exaltandos seipsos, et generandam confusionem. Respicite, quaesumus, de bene prope, et cognoscetis fuisse homines prophanos, qui spectaverunt tantum politiam externam. Vos etiam bene videtis quod nullus inde fructus secutus est, sed mera prophanatio. Nec miramur, si dicantur fuisse homines exercitati ad abnegandum Christum. Non facit ad propositum quod allegatis de horripilatione quam patiebatur D. Ludovicus, quoties habebatur sermo de abneganda fide. Quia tales vulpes, qui modo aiunt modo negant, et claudicant in utramque partem, non sunt sancto illi Regi comparandi, qui fundavit tot monasteria, collegia, et capellas. Isti vero no-

runt se contrafacere et transfigurare ad placitum Principum, nec multum curant de religione, nisi in quantum servit eorum commoditatibus. Quod etiam est commune in curiis Principum, ut non ignoratis. Quia sequutus estis aliquando curiam. Et fuit vitium commune de omni tempore, sicut etiam Martialis, quem vos saepe legitis, bene notat, dicens,

Nemo suos (haec est aulae natura potentis)
Sed domini mores Caesarianus habet.

Quare non oportet vos tam fortiter impediri de excusatione aut defensione Caesarianorum, quos facitis magnos consiliarios Imperatoris. Alioqui dabitis suspicionem quod estis ipsis similis, aut quod habetis cum ipsis aliquam intelligentiam. Procul dubio non possumus dissimulare, quod facitis nobis iniuriam, quando vocatis illos catholicos. Sed transeat.

Quod ad probationes et solutiones vestras attinet, aliquantum nobis doluit, quod iniurias saepe et convicia vel exclamationes invectorias pro solutionibus et rationibus ponitis. Hoc enim non convenit stylo theologico, qui requirit bona fundamenta rationum, quae versentur circa rem: et quando dirigitur ad personas, hoc non nisi de necessitate et transeunter fieri debet. Quando vos studetis videri nimium eloquens, doctrina remanet in albis. Ut probetis Christum instituisse sacrificium in Coena, vos exponitis verbum facite, sacrificate. Quod quidem non improbamus: sed quia tales subtilitates non possunt vulgo recipi, nos mallemus semper recurrere ad probationes et distinctiones, quae usitatae sunt in schola: quia hoc semper est securius. Nam verbum faciendi tam generale est, ut omnibus actis convenire possit et exponi debet secundum subiectam materiam. Neque opus fuit multum Hebraisare, et allegare Ministerium qui stat a parte ipsorum: quia ubi Moyses accipit facere pro sacrificare, illic apparet ex aliis verbis, vel sacrificiis, vel holocausti, vel oblationis, qua de re agatur. Quod bene consideratum fuit ab omnibus, qui sunt inter nos docti in lingua Hebraica. Tunc vero temporis sacrificia fuerunt in usu. Isti autem haeretici praetendunt quod nunc omnino abolita sint per sacrificium Christi: et quod coena Domini sit commemoratio sacrificii, non sacrificium: et quod illud Facite refertur ad actionem illam et celebrationem sacramenti, et distributionem panis Dominici: quod de offerendo vel adorando pane nulla a Christo vel Paulo fit mentio. Ad hoc praecise et peremptorie respondendum erat: et utendum bonis glossis, et omnibus condituris, quibus panem transsubstantiare ac sacrificare solemus. Alioqui dicent sacrificia nostra esse similia sacrificiis Paganorum: nec erubescunt etiam dicere deteriora. Sicut ipsi allegant in derisionem nostram illud Vergilii, Quum faciam vitula pro frugibus, ipse venito: quod olim Clithoveus putabat multum facere pro nobis. Sed utinam de eo nunquam cogitasset. Est autem valde ridiculum et absurdum, quum volens probare transsubstantiationem ex verbis Domini, dicitis idem esse ac vulgo dici solet, Si quis pullum gallinaceum petierit: pullus quem ego dabo erit caro perdicis delicatissimae: quoniam videretur esse quidam lusus praestigiatorum aut magicorum. Nec vero ita voluit Christus fallere nostros sensus, aut ambigue loqui. Adhaec similitudines tales sunt prophanae, et sapiunt quandam gastrimargiam. Oportet nos multo reverentialius loqui de tam sublimi mysterio. Consequentia etiam, quam vos facitis, valde rudis et cruda est. Nempe, divus Paulus in Actis Angelo revelante didicit, Ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum. Valet igitur Missae sacrificium: non ei tantum qui offert, verum et iis pro quibus offert. Vos debebatis haec melius conglutinare pro rudibus, et ostendere, quomodo hoc sacrificium sit applicativum gratiae Dei, quomodo dantur animae sacerdoti, sicut Apostolo, et revelatio etiam specialis aliquando fiat. Quid si Apostolus cecinit Missam in illa navi, cum erat in periculo, et fuerit ei revelatum quando tenebat hostiam, quod propter ipsum nemo periret? Nam et sine dubio habebat secum aliquem, qui poterat fungi vice clerici. Sed haec omnia vos melius considerare, et pro data vobis gratia ferruminare poteritis.

Quod attinet ad ea quae probatis ab authoritate Doctorum, est certe bona probatio, et frequens in theologia.

Sed isti haeretici locum illum admittere nolunt, nisi ab authoritate Dei, hoc est sanctae Scripturae. Oportet igitur allegare Doctores bene authorisatos, et ex iis adducere veram interpretationem sacrae Scripturae. Quia tunc vos ponetis eos ad metam non loqui. Sed si Canonistas vel Quaestionarios tantum pro fundandis argumentis vestris allegatis, vos nihil facitis. Videmus bene paternitatem vestram evolvisse multos libros, et antiquos et modernos: sed allegatio tantae multitudinis nihil servit nisi ad farciendum chartas: quemadmodum legistae faciunt unum magnum apparatum in suis lectionibus vel in scriptis, de nominibus et authoritatibus suorum doctorum, et reliquunt interpretationem textuum. Si ita faciamus, dicent in nos quod Quintius ille Romanus in copias Antiochi facetiose dixit. Nempe idem esse, quod Chalcidensis hospes eius, homo bonae cherae, ut vulgo dici solet, respondit quaerentibus unde recuperavisset tantam venationem illo tempore anni, quia erat solstitium: videlicet omnes illos cibos ex porco domestico factos, sed ita diversificatos conditura. Ita etiam illas gentes extraneas et inauditas, Dahas, Medos, et alios de quibus se iactabat Antiochus, omnes Syros

esse. Sic verendum ne isti cauti et maledici Lutherani dicant Ivones, Cabasilas, Panormitanos, Speculatores, et caeteros tales fuisse omnes Syros, nec scivisse quid sit belligerare per gladium verbi, aut docere sanctas Scripturas. Fatemur quidem quod non debemus curare ipsorum irrisiones: sed tamen in quantum fieri potest, omnis occasio irridendi et maledicendi est ipsis auferenda. Quum autem vultis probare quod authores quos allegatis, sunt authentici, vos adducitis testimonium eorum qui multo minus habent authoritatis. Quemadmodum ad probandum, quod Damascenus fuit gravis author et magnus theologus, vos allegatis Suidam, qui fuit grammatista, et qui sine iudicio recitat multas fabulas. Praeterea testimonium quod ei reddit Suidas, magis pertinet ad philosophiam et musicam, quam ad intelligentiam Scripturarum. Et ita Calvinates dicent vos probare quod ipse bene scripsit in theologia, quia erat bonus musicus.

Longa narratio miraculorum, quam facitis, esset magis propria ad dicendum coram plebecula, quae multum gaudet talibus narrationibus, quam ad scribendum in libro, quem multi nasuti videre possunt. Est autem unum miraculum, quod inter caetera visum est nobis dignum notatu. Nempe, de una moniali, cuius corpus diabolus obsidebat, ob contemptam sacrae Eucharistiae religionem. Et illud profecto est dignum quod saepe recitetur coram monachis et monialibus, qui et quae hodie sic insaniunt, ut videantur esse diaboli incarnati. Nec non facile est ad credendum, quod hodie diabolus coeperit possessionem de monasteriis quia non solum non deferunt magnam reverentiam Eucharistiae, sed neque Christo ipsi, neque Deo. Sed restat unus scrupulus, quem facient isti cavillatores: videlicet quod diabolus qui possidebat illam monialem, reddidit ipse testimonium, cur omnes quae erant in illo monasterio tot annis a spiritibus malignis vexarentur: supradictam videlicet causam contemptae religionis in suscipienda Eucharistia. Diabolus autem est pater mendacii. Et testimonium eius semper est suspectum. Nam tametsi dicat aliquando verum, tamen semper tendit ad malum finem. Unde videmus Christum ipsius testimonium recusasse, etiam quando bene dicebat de ipso, et fatebatur esse Filium Dei. Sed cavillentur ut voluerint: oportet nobis facere servire omnia. In uno tantum (salvo honore vestro dictum sit) videmini errare: quod videlicet vocatis vestalem, quam monialem dicere debueratis. Nam periculosum est sic affectare elegantias, quae possunt dare occasionem calumniandi istis haereticis, qui comparant nostras moniales vestalibus Romanis, et dicunt ipsas servire daemonibus, sicut illae faciebant, et non Deo. Quare ad ostendendam diversitatem melius esset alio nomine ipsas vocare.

Sed nescimus quomodo allegatis locum Pauli Actorum 20. cap. qui dicebat, Non enim subterfugi, quominus annunciarem omne consilium Dei vobis. Quia isti Lutherani dicunt illum locum militari pro ipsis: quoniam si Paulus consilium omne Dei annunciavit, nihil amplius requirendum est, nihil etiam addendum: et dicunt eos qui iactant se habere aliquam novam revelationem, velle esse sapientiores Paulo. Quare maluissemus a vobis relictum illum locum, quem male applicatis vestrae personae. Nam vos facitis de eo praefationem ad narrationem miraculorum quorundam, quae pro fabulis habentur, et iactatis vos facere sicut Paulus fecit.

In Tomum secundum.

Quemadmodum zelose, et ferventer arguendi sunt adversarii, ita providendum ne ea quae ab ipsis bene dicta sunt, indifferenter persequamur, ac si mala essent. Quia sic faciendo, videremur insectari personas, et quicquid in ipsis est, sive bonum sive malum, nobis displicere, nec posse quidpiam ferre quod ab ipsis procedat. Finaliter omnes iudicabunt de nobis, quod ducimur potius affectu reprehendendi, quam inquirendae aut docendae veritatis: hoc deprehendimus in multis passibus libri vestri, sed imprimis in uno secundi tomi, ubi invectivamini contra Calvinum: quia fatetur mysterium sacramenti Coenae esse tam sublimius, ut* quam ut ingenio suo comprehendere valeat. Nam nemo est catholicorum qui non idem fateatur. Neque propterea illum arguere debebatis infantiae, et dicere quod istud ei accidit, propterea quod ambulaverit in magnis, et maiora se fuerit scrutatus. Esset potius arrogantia et temeritas, iactare se posse ad tantam sublimitatem penetrare. Quare videte ne vos ipsi faciatis vos reum praesumptionis. In reliquis tractatis multa argumenta, sed raro attingitis punctum, neque satis explicatis nodos quibus haeretici nos implicant. Veluti, cum distingunt symbolum a re ipsa, vos non bene ostenditis quomodo illa confundantur. Et quando fatentur symbolum coniungi cum rei exhibitione, vos additis de vestro, merum, quasi ipsi nuda et mera symbola esse doceant. Quare dicent vos agere Sophistam, et pervertere ipsorum sensum: aut certe vos non bene intelligere intentionem ipsorum. Quod certe non putamus. Quia estis nimis magnus doctor, et de antiquissimis nostrae facultatis. In alio passu vos dicitis merum esse somnium, quod effectus sacramenti coenae Domini tendat ad redemptionem, sanctificationem vitamque aeternam. Et ratio quam adducitis videtur nobis valde absurda. Nempe, quod redemptio praecessit iam mille quingentis annis, et vita aeterna nondum accesserit. Nam hoc modo

vos longe separatis redemptionem et vitam aeternam ab omnibus sacramentis et exercitiis, quae habemus in hac vita ad corroborandam fidem nostram. Si sic est, sacramenta erunt res ludicrae et vana erit fides nostra. Vos autem bene scitis quod sacramentum altaris habet suum respectum ad mortem et passionem Christi: et nisi esset ibi fundatum, inutile esset. Respicit etiam ad vitam aeternam, ad quam ducimur ipsa passione. Effectus enim passionis est redemptio et vita aeterna. Hic autem effectus est continuus, et durat usque in finem mundi. Vita autem aeterna, quam fingitis tam longe abesse, nobis iam data est: et quamvis non fruamur adhuc, tamen in possessionem missi sumus per spem. Et quamvis moremur in terra, tamen nostra conversatio in caelis est, sicut ait Paulus: unde salvatorem exspectamus, Dominum Iesum Christum. Phili. 3. Et Christus dicit se dare vitam aeternam iis qui dati sunt ipsi a patre, Ioan. 17. Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum. Ergo cognitionem Dei et Christi, sequitur statim datio vitae aeternae. Certe oportebat vos magis de prope respicere et melius trutinare illam sententiam. Si ita fecissetis, non dixissetis vobis opus esse augure aut Apolline, nec daretis occasionem istis schismaticis dicendi, quod vos estis asinus ad lyram, et quod putatis bene responsum a vobis, quando egregie rudistis. Est etiam unum animadvertendum, quod non deberetis quidquam tribuere aut improperare Calvino, aut aliis haereticis, quod non inveniatis scriptum in eorum libris. Nam alioqui dicent statim vos calumniari. Quemadmodum quum dicitis Calvinum velle Christum intelligentia ac imaginatione duntaxat concipi: quia bene scimus quod talis sententia non reperitur in scriptis eius. Nam, si putatis, sunt inter nos qui bene legerunt et evolverunt libros eius, et notaverunt errata, sed non reperiunt istud. Alio loco dicitis ipsum negare Apostolos Christum adorasse. Ipse vero non Christum, sed panem negat fuisse ab Apostolis adoratum. Quod autem remittitis ipsum ad philosophiam, quia arguitis ipsum in dialectica, ipse dicet philosophiam nostram esse inanem, et esse similem ei de qua dicit Paulus, Coloss. 2, Videte ne quis vos seducat per philosophiam et vanam fallaciam. Quare non remittitis ipsum potius ad theologiam? Et cur fatemini cum ipso dogmata quae protulerunt artifices curiae Romanae, ex eiusdem philosophiae penu prodisse? Profecto videmini nobis aliquantum oblitus vestri: et nisi bene vos cognovissemus, et de meliore nota, diceremus vos in illo loco praevaricari.

In Tomum tertium.

In tertio Tomo vos bene melius ostenditis vehementiam cerebri vestri. Quod putamus ideo factum quia librum ipsum Calvinicum legeratis. Nos bene vidimus verum esse quod dicitur, quod obiectum movet potentiam. Inde factum est ut bene praticaveritis quod consulunt boni convivatores. Nempe quod oportet semper servare meliora ad finem. O quomodo illi venenati perturbatores dicent, quod venenum iacet in cauda? Quomodo insanient! Quid poterunt amplius respondere? Vos dixistis eis totum punctum, et saepius redixistis. Vos iecistis fulmina, vos emisistis torrentes, quibus non possunt resistere. Sed quid dicent, quum videbunt se similes fieri antiquis haereticis, qui iampridem damnati fuerunt? An audebunt replicare unum verbum? Verum est quod dicent, se nihil habere commune cum Catharis, quibus eos comparatis: quando tractatis de gratia Dei et perseverentia finali, de quibus isti praesumptuosi Lutherani dicunt se certos esse, ac si fuissent in caelo, et loquuti essent cum Deo. Dicent etiam se nihil tenere de haeresi Valentinianorum, et eorum Syrigia,* et quod multa alia, quae vos allegatis ex antiquis Doctoribus ecclesiae, nihil faciunt ad rhombum. Sed non curamus. Quia non potest satis mali dici de ipsis, quum tot gentes seducant, et tanta mala quotidie faciant sanctae matri nostrae Ecclesiae Romanae. Vos certe multos laboras et valde taediosos exantlastis pro colligendis tot et tantis authoritatibus et sententiis veterum Patrum et mirati sumus quomodo in ista decrepita aetate tanta molestiarum molimina supportare potueritis. Sed materia vos tangebat de valde prope. Maledictus ille Calvinus vos punxerat. Hoc etiam non erat ferendum. Omnes dixissent vos esse leprosum, et nihil sentire, nisi acriter respondissetis: certe homo nihil valet, nisi habeat animum. Nos putamus quod nunc ter cogitabunt, antequam sic attingant honorem vestrum. Profecto sunt mali ribaldi, qui non parcunt aetati neque dignitati hominum, neque portant ullam reverentiam senibus. Et quomodo reverentur dignitatem nostram, cum oleum quo uncti sumus, afficiant tanto dedecore, ut non vereantur ipsum comparare arvinae putidae, et multo minoris nos aestiment quam sacerdotes veteris legis? Sed vos bene ipsis ostenditis, quanta sit dignitas olei sancti, et sacerdotalis ordinis. Rideant quantum volent, dicendo quod pugnamus pro conservanda pinguedine, quae impinguat offam nostram, et quod ideo plus ei tribuimus, quam aquae purae Baptismi. Quia ipsi loquuntur per invidiam, et vellent bene tam pingues esse. Multum eis dolet quod sunt tam pauperes et macri, et quod clamando contra nos non possunt fieri ditiores. Nos autem pro laboribus nostris melius recompensamur. Pro-

fecto sunt valde stulti, quum nihil fere ab omnibus praeterquam odia, vituperia et summam paupertatem, et omnes fere miserias pro suis clamoribus reportent.

Verum enim vero de aqua benedicta, quam ipsi etiam deridunt, rarum facitis mentionem. Allegastis bene Alexandrum qui edidit canonem de vi et energia aquae benedictae et dicitis eam authoritate Ecclesiae haberi pro amuleto adversus diabolicas insidias. Sed hoc facitis breviter et quasi per transennam, velut aliud agens. Cur non sitis prosequutus hoc propositum latius, valde mirati sumus, quum in caeteris plusquam copiosus sitis. An ideo factum est, quod aliquando non potuistis eiicere cum aqua benedicta diabolum, qui intraverat in corpus hominis, quem scilicet diabolum, vos coniurare et exorcizare voluistis? Non oportet vos propterea minus tribuere virtuti sanctae aquae, nec venire in ullam dubitationem de eius potestate. Quia vos scitis aliam fuisse causam, cur non potueritis daemonem eiicere. Quod scilicet non essetis in bono statu. Sicut etiam daemon ille vobis exprobravit, quod cubueratis illa nocte cum una meretrice. Et tunc volebatis facere ipsum tacere, sed noluit. Unde coacti estis recedere, et nihil fecistis. Et hinc sequutus est magnus risus in curia Regis, quam tunc sequebamini. Sed culpa erat in vobis. Quia vos debebatis prius esse praeparatus per poenitentiam, confessionem et debitam satisfactionem.

De causa principali, propter quam Calvinus tam male vos tractaverat nihil fere dicitis. Nempe, de postulatis ad Interim, et quis vobis ipsa dederat, an carebant authore vel non. Quia praesupponebat aliquem impostorem vel compotorem fabricasse illa, ad dicendum aliquid novi, ut faceret loqui homines. Sicut videmus quotidie multos redeuntes ex Italia vel Germania, seminare multa nova, quae sunt falsa, et frustra perturbant multos, vel concitant, praecipue in hac civitate Parisiensi, ubi non solum plebecula, sed multi inter divites et grandis status viros sunt satis leves et creduli. Et certe retinent adhuc de natura antiquorum Gallorum, qui levi aliquo rumore permoti, consulebant de rebus magnae importantiae, et in gravi periculo se et patriam suam saepe ponebant. Verum hodie non falluntur solum ab iis qui peregre redeunt: sed quotidie multi boni sodales capiunt magnam voluptatem ad seminandum aliqua bona nova: quia vulgo reputatur stultus, qui nescit aliquid dicere aut fabricare novi. Unde dici solet, quando reperiuntur falsa, quod sunt nova de palatio: ubi scilicet conveniunt ii qui sunt magis sapientes de tota urbe. Ad hoc profecto respondendum erat, ne dicerent vos commotum fuisse incertis quibusdam novellis fabricatis, ut vulgo dicitur, ad pomum pini, vel ad umbram vitri vinci: nec iactarent vos a combibone quodam vel ebrioso homine delusum fuisse. Hoc procul dubio non credimus. Sed tamen si ita esset, vos debebatis expectare parum, et propius rem ipsam et nova illa aut etiam scripta examinare, et communicare viris qui habebant aliquid iudicii. Quia vos scitis quod credulitates, sicut et incredulitates perdiderunt multos viros, ut vere inquit Hesiodus. Sed pro ista materia, vos poteritis aliquid addere. Nam certi sumus vos non omisisse illud defectu responsi, sed aliqua causa movit intellectualem et profundam rationabilitatem vestram, quam forte ignoramus.

Quod ad causam matrimonii sacerdotum, vos eam adhuc acrius et virilius sustinere debueratis in hac vestra traductione, quam in primo vestro libro. Nam tota vehementia principalis semper est servanda pro replica, ut iam alibi diximus. Vos autem fecistis contrarium: quia in primo libro vos invectivabamini graviter contra illos hostes coelibatus, et frendebatis ut leo, in isto vero videmini factus esse cervus, qui tantum vult declinare ictus venatoris. Verum est quod iacitis semper aliqua tela: sed sunt debilia et retusa et non satis faciunt pro pacificatione conscientiarum, pro qua semper boni theologi studere debent, vos autem non intenditis fere nisi ad feriendum hostem aut vulnerandum. Debebatis ostendere in promptu quomodo responsio Paphnutii, quam fecit in Nicena synodo, nihil facit ad nostra tempora, item num castiores sint hodie presbyteri, quam antiquitus. Item, quomodo possunt homines se castrare propter regnum coelorum: et an hoc sit in eorum potestate. Cur hodie potius permittitur sacerdoti habere concubinam, quam uxorem: et cur hoc gravius peccatum quam illud censeatur. Cur non sit tam periculosum replere mundum spuriis quam filiis legitimis. Quomodo sacerdos uxoratus sit semper in peccato mortali, concubinarius vero non. Quod illa sententia melius est nubere quam uri, non pertineat ad sacerdotes, qui debent esse castrati. Finaliter respondendum erat de puncto ad punctum ad obiecta haereticorum. Nam haec materia est valde lubrica, ut scitis: et nemo est fere tam parvus hodie, qui non sciat loqui de argumentis ipsorum. Audimus aliquando parvos merdosos decretistas, qui vix studuerunt uno anno, qui sciunt allegare quaedam decreta, in quibus fit mentio uxorum sacerdotum, episcoporum et aliorum ecclesiasticorum. Nescio quis diabolus ostendat eis illas paleas, et cur non retinentur potius in bonis granis. Non solebat ita fieri nostro tempore. Sed totus mundus hodie it se perditum. Erat etiam quidam nuper qui allegabat sententiam unius Papae, qui vocabatur Aeneas Pius, qui solebat dicere, sacerdotibus magna ratione sublatas nuptias, maiori restituendas videri. Mater Dei, nescimus ubi eant piscatum istas authoritates. Utinam tales curiosi essent in profundo maris, ad piscandum ibi suum satur. Unus e nostris ivit statim visum in Platina,

an reperiret talem sententiam in vita Pii, et profecto reperit. Sed ipse Papa Pius dicebat hoc per iocum: quod intelligeret sacerdotes aliquando nimis familiariter visitare alienas uxores. Et certe querelae sunt hodie maiores quam unquam alias, et timenda sunt gravia scandala, nisi de bona hora provideatur. Optanda autem est talis provisio, quae faciat cessare omnia murmura et scandala, et quae simul libertatem cleri conservet. Nam quae hucusque factae fuerunt super hac re reformationes, parum certe profuerunt. Nolimus tamen admitti quod a quodam propositum fuisse dicunt, qui tamen existimatus fuit valde sapiens. Nempe, ut tanta onera imponantur presbyteris, curatis, episcopis et monachis, ut non veniat eis in memoriam de scortando, ut scilicet labores et occupationes sint eis velut aqua ad extinguendum ignem suum. Sancta Maria, quid faciet pauper clerus, si ita ab omnibus partibus invadatur? Nonne iam satis habet onerum et incommodorum? Sed certe illius sententia non fuit valde sapiens: quia opus est longe alio remedio ad talem ignem extinguendum, qui haeret non in medullis tantum corporis, sed in animo ipso. Quod si magni labores ipsum extinguerent, profecto agricolae, operarii et baiuli, qui tanta ferunt onera, essent omnes casti. Et tamen videmus contrarium. Profecto debueratis aliquid dicere de hac materia, et refutare illos qui dicunt nos reputare adulterium inter levia peccata, et facere peccatum veniale de fornicatione presbyterorum. Enimvero de facultate matre vestra, et de Sorbona, quae graviter iniuriata fuit ab illo haeresiarcha, videmini parum curare. Exiguam enim mentionem eius facitis. Et tamen ipsa vos aluit in gremio suo et instruxit. Nec forsitan haberetis hodie istam mitram, nisi ipsa pileum vobis dedisset. Et tamen zelus personae et dignitatis vestrae magis vos comedit, quam zelus domus matris vestrae. Videte ergo, pro honore vestro, ut aliquid pro ipsa addatis.

Caeterum vos accipietis ista de quibus vos monemus in bonam partem, quia tenebamur id facere, etiam si vos non rogavissetis nos. Sed fecimus rogati, et obligati ad id faciendum. Satis novistis legalitatem et rondibilitatem qua utimur inter nos, quae pluris est quam familiaritas totius mundi. Forsitan invenietis in responso nostro plaeraque, quae vos antea non advertebatis. Sed plus vident oculi quam oculus. Et ideo magis de prope observavimus, quia habetis negotium cum uno de acutissimis omnium haereticorum, qui tametsi corrigatis illa de quibus vos monemus, tamen adeo est subtilis, ut plura adhuc inventurus sit, de quibus non putaretis. Et deinde vos non solum apud doctos viros, sed etiam apud mulieres et pueros traducet. Ita cavendum est ne fiat traductio traductionis, vel ne traductio vestra se ipsum * traducat. Ne ergo faciat vobis malum, quod multa cum libertate vobis scripsimus, et apperuimus sententiam nostram: videlicet propter importantiam negotii, quod nos etiam attingit. Igitur praevenire cupimus omnia opprobria, quae vobis fieri possent: sicut etiam melius est. Quia, ut scitis, turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum.

In reliquis nemo est de consortio nostro, qui non apprime laudet laborem vestrum, et ferventem zelum erga sanctam Romanam ecclesiam, quo permotus estis ad tantos labores supportandos: nec dubitamus quin si haec pervenient ad aures sanctitatis sacratissimi Domini nostri Papae, ipse vos recompenset et provideat adhuc, aut providendum curet de aliqua bona abbatia: ac tandem faciat vos tribeneficiarium teropimum. Nec enim debetis facere scrupulum de hoc, quicquid reclament et contradicant isti maledicti schismatici, qui ganniunt de iis de quibus neque provisionem neque gavisionem noverunt: et loquuntur de beneficiis tanquam clerici de armis: state ergo firmi in opinione vestra. Nam si fiet ut augeatur numerus beneficiorum vestrorum: et si non provideatur vobis (quia iam adproximatis ad tumulum) saltem erit pro nepotibus aut cognatis vestris. Nec profecto unquam dari potest vobis aut vestris satis digna recompensatio pro tanto opere. Quod si nihil aliud haberetis, vos tamen reportabitis bonam famam in sepulchrum. Quapropter vos debetis habere magnum gaudium et indicibilem consolationem, quod tam feliciter potueritis perducere tantum opus ad finem, et victoriosus esse de illis maledicis, illis ribaldis et zizaniatoribus, qui suis malevolis improperiis tormentaverant turpiter senectutem vestram. O sancta maria, o mater Dei, o bona Domina, defende nos, vindica nos, intercede pro nobis. Nos profecto saepissime fecimus pro vobis preces, quum sciremus vos esse in tantis sudoribus: et dicendo breviarium nostrum, semper eramus vestri memores: et etiam aliqui e nostris quoties dicebant Missam, habebant vos valde profunditer in suo memento. Videmus etiam quod Deus pro parte nos exaudivit, et beata Virgo nec non sancti et sanctae vos miraculose adiuverunt. Certum est quod vos estis victor, et quod campus liber vobis remanebit. Non timemus amplius, sicut prius, ne quis vobis respondeat. Quia occlusistis ipsis os suum, nec habebunt prorsus quid possint respondere. Quapropter nihil restat amplius, nisi ut posthac quiescatis, et refrigeretis pro una bona vice spiritus vestros. Quia in rei veritate nimium incalucrant et non oportebat nisi parum adhuc ad exportandum vos in alterum mundum. Non estis enim amplius sicut olim fuistis. Quia nunc estis Sicut fortis equus spatio qui forte supremo Vicit olympia, nunc senio confectus quiescit. Libet enim uti his carminibus, ut ostendamus quantum vestra

nobis placent et quantum probemus illa quae miscuistis de variis poetis. Quia sunt bonae sententiae et pregnantes, praesertim quum vultis finire clausulam per unum versum aut dimidium. Quia hoc melius ediscitur memoriter, et facilius retinetur quam textus prosaicus. Rideant illi quantum volent stylum nostrum, dicendo esse farraginatum, variegatum, semipoeticum, et quosdam, veluti vos, cadere in pedes. Nemo est boni iudicii qui non videat hoc provenire ex diversa lectione omnifariorum authorum, ex quibus vos ac similes vestri substantiam sugitis, quod praecipuum est, et non curatis multum de grandiloquio et elocutione. Et tamen quantum ad vos, certe vos hoc satis superque curatis, nec estis nisi nimium elegans pro tali materia. Non oporteret vos affectare tot elegantias, neque nimium poetisare: quia vos scitis poetas fuisse prophanos. Verum est quod quidam fuerunt Christiani, de quibus etiam bene ad propositum allegatis quaedam carmina. Sed loquimur de stylo, quod melius est uti theologico. Nos bene essemus Ciceroniani si vellemus, ut sunt inter nos qui satis studuerunt in Cicerone, sed nolumus. Quia hoc non esset magistrale, nec conveniret officio nostro. Nos bene existimamus verba nostra tantum valere, quantum verba Ciceronis, Titi Livii, et unum punctum supra si non valent in specie, valent in pondere. Praeterea non possunt alio stylo tractari et decidi quaestiones argumentosae et subtiles, nec etiam bene disputari in modo et figura. Unde videtis quod illi qui inter nos volunt esse magni humanistae et Ciceroniani, non sunt de magis promotis in schola, neque illis multum fiditur in decisione quaestionum et difficultatum, quia aliquando erubescunt loqui nostro more. Non decet autem artificem pudorem habere de arte sua, aut oportet ipsum (ut vulgaribus verbis utamur) mestierum quictare. Forsitan voluistis imitari magistros nostros Lovanienses, qui profecto sunt paulo elegantiores, quia legunt et sequuntur Erasmum in sua facundia. Sed non ducimur tali aemulatione. Unusquisque abundet in sensu suo. Non libenter assueta relinquimus: sed contenti sumus nostro more et usu, quem magistralitati nostrae magis conveniens esse putamus. Et quando vos magis conformavissetis ad nostram consuetudinem et nostrum stylum, iamdiu, ut scitis, usitatum, fecissetis nobis omnibus grande placitum, et ut vera dicamus, multo gratior fuissetis. Nam etiam ista aemulatio et affectatio elegantiarum non est multum conveniens gravitati senectutis vestrae. Sed videmus bene quid sit. Est corruptela huius seculi, quae facit etiam senes oblivisci mores veteres, adeo placent omnibus nova. Unum bonum verbum Sorbonicum sat bene applicatum in modo et figura, habuisset plus virtutis, quam decem millia phalerarum, quibus vos studuistis lenocinare orationem vestram. Magistri nostri bene meminerunt quod semper affectavistis quandam particularitatem ab omni tempore, et cupivistis videri habere aliquid quod alii non habebant. Nam si bene meminimus sunt fere quadraginta anni aut circiter, quod coepistis legere psalterium apud coenobium heremitarum sancti Augustini, ubi magnus concursus hominum factus est de tota urbe propter rumorem, quem incoeperant nonnulli vobis dare. Sed quum nihil audirent a vobis praeter sensum grammaticalem, et aliquas quaestiones parum utiles, dereliquerunt auditorium vestrum. Tunc magistri nostri observaverunt lectiones vestras propius, auscultando vos per cancellos, et invenerunt vos in omnibus sequi Cassiodorum. Quod certe approbare non potuerunt. Sic factum est, ut displicueritis omnibus. Tum enim auditores et clerici et laici, tum etiam magistri nostri eius opinionis fuerunt, quod eratis potius grammaticus, et Cassiodorita, quam bonus theologus. Ita etiam nunc cavendum est ne cum elegantiis vestris, et novo quodam modo tractandi materias per enthymemata Rhetorices, quae sunt nimis brevia, et aliis particularitatibus vestris, displiceatis non solum haereticis quos impugnatis, sed etiam catholicis, et praesertim magistris nostris, qui tamen vos amant de bono corde. Sed putamus quod credetis bonum consilium, et visa censura nostra et bene ruminata, omnia in melius reformabitis. Deus det reverendae paternitati vestrae per intercessionem Beatae Mariae semper virginis intemeratae nec non beatorum Petri et Pauli omniumque sanctorum et sanctarum septiformem gratiam Spiritus sancti, et illuminatione condigna vos impleat, ut congrue possitis pro sancta matre nostra militare, Nestoreos vivens annos, in despectum haereticorum, cum omni foelicitate. Deo gratias, Amen.

Finis.

2573.

CALVINUS INCERTO.

Cuidam qui se apud Calvinum traductum credit respondet in eum finem ut ipse sibi caveat ne suspicionibus ansam det, et modestus sit in exigendis confessionibus ab iis qui alibi iam probati fuerint.

(Ex edit. Bezae Genev. p. 177, Laus. p. 373, Hanov. p. 417, Chouet p. 239, Amst. p. 110.)

Si tibi minus prolixe respondeo, quam rerum de quibus ad me scripsisti ferebat copia et varietas, epistolae brevitati temporis angustiam obtendere non licet: satis enim superque ad scribendum fuit otii, si modo usus forem. Quod te moneri cupis, si quid in te desiderem, et tibi rursum anxie caves, ne delatoribus aurem praebeam: quid mihi agendum sit nescio. Nisi enim me fallit opinio, supervacua suspicione laborans quibusvis monitionibus ianuam praecludis. Ego vero, mi frater, sincere tibi assero, non fuisse periculum a quibus tibi metuis. Verum ut hunc vel illum repudies testem, vix unquam efficies quin duo in te notentur vitia: ostentatio et immodicus satagendi fervor. Quare si exstinguere cupis hominum sermones, danda opera est, primum ut purgatus omni ambitione animus ad veram modestiam spiret: deinde ne qua in vultu et verbis appareant fastus et confidentiae signa. Hoc tibi non ex unius amici mei sensu, ut tu suspicatus es, sed ex communi multorum iudicio familiariter denuncio: apud quos doleo minori in pretio esse tuas virtutes, quas istis maculis infici putant. Iam vero ut alteram notam effugias, quia invaluit opinio multorumque animos occupat, aliena negotia te non solum amplecti, sed cupide accersere, re ipsa ostendes nihil tibi esse optabilius, quam intra officii tui metas incedere. Cogit nos saepe hominum importunitas longius progredi quam vellemus (atque hoc ego nimium experior) nec vero fieri aliter potest, quin multis turbinibus involvar. Sed aequi iudices non tribuunt vitio molestias, ad quas me invitum trahi constat. Nec vero mirum tibi videri debet, si queruntur boni quidam, te imperiose magis quam iuste confessionem exigere a fidei probatae hominibus. Si quis eandem tibi legem imponat, negas te ducturum pro iniuria. Ut ita sit, quod tamen mihi nondum persuades, ego mihi aliter sentire permitto. Nam ut alia taceam, hoc inter ecclesias mutuum ius vigere debet, ut in probando grege altera alterius iudicio acquiescat. Et certe si tuo loco essem, non sine rubore audirem qui ad examen novum vocarentur, probatos iam fuisse in eo loco ubi sincera pietas colitur. Haec ego familiariter apud te: neque enim me alibi exagitare audies. Caeterum ea tacere quae vulgo sparguntur, ingenuum non esset. Non dico apud nos vulgari: quia paucissimi sunt qui te noverunt: et studemus vestro exemplo nostros potius stimulare in melius, quam praebere vel exigui offendiculi materiam. Sed quid conterranei, et quidem in patria, de te sentiant et loquantur, tibi incognitum esse nolo, nisi forte iam aliunde resciveris. Neque etiam dissimulabo quod pridem a multis animadversum fuit: quum fratrem nostrum N. saepe diaconum tuum vocares, nomen illud nescio quid inanis iactantiae spirasse. Plurima eiusdem generis eodem consilio omitto nunc, quo hactenus vel unum attingere distuleram, parcere tibi cupiens, ne recte agendi alacritas minueretur: et simul quia fore sperabam, ut sponte melior quaedam maturitas hos naevos deleret. Quod recipiendos non putas qui ab aliis ecclesiis sine testimonio ad nos veniunt, facile tibi assentior: quia et veteri usu inter pios receptum est, idque flagitat saeculi nostri malitia. Summam quoque prudentiam et aequitatem adhibendam esse concedo, ne quid de fratribus et symmystis in malam partem statim credatur. Sed modum tenendum censeo, ne syncretismus noster, quem tantopere commendas, ad fovenda vitia spectet. Neque satis assequor interea, quorsum toties repetas ne temere non solum de te, sed etiam de aliis quid credam: fateor me esse minus circumspectum quam deceret, sed cur me levitatis insimules nescio. Adde quod non minus praecise dictas quid sentire debeam, quam si tuo unius arbitrio standum foret. Nam de rebus incognitis sententiam proferens, me aliter sentire vetas. In Anglorum controversia [1]) moderationem tenui, cuius me non poenitet: si N. nostro succensuerim, mihi constat optima ratio: quam sanis iudicibus haud dubie probabo. Et tamen illam indignationem sincerus erga eum vereque fraternus amor expressit mihi, quia ipsum sibi nocuisse non secus dolebam, quam si in me recideret calamitas. Ac nunc quantopere me excruciet infelix quem semper timui eventus, verbis explicare nihil attinet. Haec mea libertas sic animum tuum pungat velim, ut tamen non dubites quidquid scripsi a vero amore profectum esse. Utinam sermone potius coram daretur quam literis: sed multi clavi trabales huic me loco nimis affixum tenent. Caeterum non aliud mihi propositum aspere scribendi fuit, nisi ut integra fama Domino solide servias. 1556.

2573. 1) *Num haec ad Francofurtenses pertinent?*

MDLVII.

2574.

FINCKIUS BULLINGERO.

Excusat diuturnum silentium. Consensui Tigurino cum collegis toto animo adhaerct, scripta contra Westphalum edita approbat, discordiis sacramentariis tandem aliquando finem imponi cupit. Quod synodo coacta fieri posse candide sperat. Denique queritur de Mylhusanis sub signis gallicis militantibus.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 109, olim Epp. Tom. IV. P. 2, fol. 510. — Simler. Vol. 89.)

Ornatissimo viro Heinricho Bullingero. Tigurinae ecclesiae antistiti summo ac christianae veritatis propugnatori fidelissimo domino ac maiori suo summe observando.

Salutem et pacem per Christum Iesum. Biennium iam erit veniente Februario, quando ad nos Milhusam [1]) datis literis una mittebas D. *Calvini* piissimam doctissimamque expositionem vestri in sacramentorum ratione consensus, doctissime D. *Bullingere*. Verum nondum nec tibi nec D. *Calvino* quidquam rescripsimus, unde maxime quum ingratitudinis, tum incivilitatis merito a vobis incusamur. Oro autem per Christum Iesum, uti hanc nobis incivilitatem condonetis. Non enim responsum intermisimus vel ex ingratitudine, vel ex contemptu, aut quod in sacramentorum negotio a vobis dissentiamus. Idem enim prorsus tum ego, tum etiam fratres ac collegae mei omnes vobiscum sentimus, ac gaudemus ex animo tam pia, erudita ac christianae veritati consentanea scripta consensui subsequuta, et a te et a D. *Calvino*. Exosculamur ac optimo pro thesauro retinemus tum tuum Apologeticum tum etiam utramque D. *Calvini* defensionem pro quibus scriptis non solum nostro, sed et totius ecclesiae Christi nomine vobis immortales gratias agimus. Quod autem nihildum rescripserimus in causa fuit, quod synergi mei querebantur, se iam admodum pertaesos esse huiusmodi altercationum, et licet simpliciter ac pie sentirent vobiscum, tamen se maxime abhorrere dicebant, cum quoquam de isto negotio rixari. Latebat enim nos omnes tam impios ac pessimis calumniis refertos libros a *Wiestphalo* * editos: ego tamen, licet vobis omnibus sim incognitus, me ad vos rescripturum recipiebam et praecipue ad te, vel eo nomine ut necessitudinem aliquam tecum contraherem, non quod tam magnifice de me aut sentiam aut alios sentire velim, sed potius quod in te singularem quandam pietatem, eruditionem, veritatem humanitatemque esse, ex libris tuis cognoscam. Sed inter caetera maximum mihi impedimentum fuit tabellariorum penuria, rarissime enim qui Tigurum petant nobis obveniunt. Optamus autem omnes ac admodum enixe Deum Opt. Max. oramus, quicunque Dominum nostrum Iesum Christum et agnoscimus et confitemur, ut eucharisticum illud dissidium quod nebulo ille *Wiestphalus* ab orco revocavit, tandem componi possit, quacunque pia iustaque ratione possit fieri, salva ac illaesa veritate.

Scripsit ad me hisce diebus optimus ac pius senex noster mihique carissimus frater Matthias *Erbius*, [2]) ac pium sui principis [3]) in eo negotio indicavit studium, qui et literas ad te dederit, ipsumque D. *Erbium* iusserit, ut te hortaretur, si qua forte concordiae via inveniri possit. Mihi vero non inconsultum videretur, si prius omnium Helveticarum ecclesiarum synodus fieret antequam quidquam in concordiae negotio attentaretur. In qua praecipui fratres ecclesiarum ministri antea inter se con-

---

2574. 1) *Mylhusani iam a.* 1515 *foedus cum Helvetiis inierant anno vero* 1529 *arctius cum pagis evangelicis se coniunxerunt postquam a.* 1522 *primum Krämerus et Prugnerus, post hunc Binderus ibi evangelium praedicarunt. A.* 1537 *confessioni Basileensi subcripserunt* (*Roehrich* I. 383. II. 236.)

2) *Richenvillanus.*

3) *Georgii comitis Monsbelgardensis.*

ferrent, ne unus ab altero dissentiret, unde hostes nostri denuo ansam calumniandi arriperent. Tuum autem esset fratres undicunque * in commodum aliquem locum convocare, interpellato prius uniuscuiusque magistratu, non solum ob coenae negotium, verum etiam ob res alias, Christi Domini nostri ecclesiae admodum necessarias ac utiles.

Praeterea est etiam aliud negotium satis arduum, quod meam maximopere urget conscientiam, in quo tuum et quaero et peto consilium. Non te latere potest foedus illud, quod ante aliquot annos inierunt cum Gallo,[4]) non solum papistici Helvetiorum loci, verum etiam hi, qui puram evangelii Iesu Christi doctrinam amplexi sunt, puto Basileam, Schafusiam ac plerosque qui illis foedere sunt coniuncti, ut Rhaeti, Sangallenses, et nostri Milhusani. Verum foedus illud apud nos, viventibus etiamnum consulibus ac senatoribus illis, qui primo evangelii doctrinam receperunt, ac christianam honestatem instituerunt, ita servatum fuit, ut paucissimi e nostris militatum abirent, et ii quodammodo occulte furtimque. Postquam autem optimi illi viri consulares, qui zelo divino praediti erant, naturae cursum absolverunt, res etiam apud nos in alium statum ducitur. Habemus enim Consulem, qui intra unum et alterum mensem Soloturni, ab eo qui Galliae Regis vicem agit, emendicavit, ut ipsius privignum susciperet ac crearet in caput et ducem militum. Is erecto signo Milhusa abiens iustum numerum optimorum civium secum abduxit, quod plus quam triginta annis Milhusae nunquam visum est. Caeterum quantum luxum, quantam impietatem, quantum denique contemptum Domini Dei nostri, ipsius verbi ac omnis pietatis honestatisque ista militia secum advectura sit, tu ipse facillime iudicare potes. De his autem omnibus illos summa qua potui fide admonui diligentissimeque illos ab instituto tam impio dehortatus sum, sed fideli mea admonitione non plus effeci, quam quod omnium fere in me concitavi odium. Illud autem certo scio, quum redierint illi, qui se in tam nefandum facinus dederant, illos continuo velle participes esse ecclesiasticae communionis, quasi nihil quidquam designarint: admittere autem illos nostrum esse non video, qui sumus ecclesiae praepositi ac ministri, magistratus autem omnino non feret, ut quisquam illorum a communione arceatur. Haec itaque ac multa huiusmodi alia mecum reputans, animus esset Milhusa discedere ac me alio conferre, tuum autem in isto meo instituto peto fidele consilium. Non enim quidquam sine piorum doctorumque fratrum consilio attentare volo. Vale, ac Ioannem *Hugonem* iuniorem, cum omnibus iis, qui (ni fallor) ante triennium Marpurgum cum illo proficiscebantur, meo nomine plurimum salvere iubeas rogo. Iterum vale. Milhusae tertio Nonas Ianuarii anno Domini 57 super sesquimillesimum.

Tuus ex animo
Conradus Finck
Ecclesiastes Milhusanus.

4) *scil. Soloduri 7. Iun.* 1549. *Soli Bernenses et Turicenses recusarunt, autore maxime ipso Bullingero* (*Hess.* II. 9.)

2575.

SINAPIUS CALVINO.

Tristibus suis et familiae et patriae fatis relatis gratias agit de libris sibi missis, ipse alium vicissim tradit, veterum Ferrariensium sodalium memoriam recolit et civem quendam Genevensem commendat.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 17.)

Clarissimo doctrina et pietate viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae antistiti domino et amico dignissimo, *εὐπράττειν καὶ χαίρειν.*

Felicem ac faustum ineuntem hunc annum tibi, vir integerrime, omnibusque sincere Christum profitentibus ex animo precor. Nam etsi me *μήδ' ἄξιον μήδ' ἱκανὸν* agnoscam, vel ad doctrinam de filio Dei servatore nostro propagandam, vel *πρὸς τὸ ἐπιστομίζειν ἀντιδίκους*, pie tamen ipse de Deo sentire et pie sentientibus sedulo inservire cupio, praesertim tot gravibus calamitatibus et aerumnis, quarum vel meminisse horreo, per hosce proximos annos aliquot exercitus *καὶ ἐξουθενημένος καὶ τῷ κόσμῳ νεκρούμενος.* Praeter enim dulcissimae consortis acerbissimam mihi mortem, praeter patriae direptionem et funestum exitialeque incendium, praeter patrimonii et facultatum longo tempore acquisitarum iacturam, totum biennium contumacissimis torminibus et intolerabilibus ventriculi atque alvi doloribus ita cruciatus fui, ut nemo spectator me evasurum sperarit. Nec sane sine magno crucis miraculo, quod praesentium lator narrabit, evasi. Unde iam aliis quoque commonstrare meo malo didici, *ὡς ὀλίγου καὶ μηδενὸς ἄξια πάντα τὰ τοῦ κόσμου θαύματα*, nec ullam esse solidam gloriam quam in cruce Domini: opes, honores, genus, formam, vires, voluptates, mera somnia in tenebris mundi huius versantium et irritamenta malorum esse. Ut heremita ergo vel passer solus in tecto vitam dego solitariam, senex viduus et valetudinarius, adhuc languida membra

vix, ceu vivum cadaver, trahens. Filiolam porro unicam nobili cuidam dominae educandam interim credidi, propediem fortasse Spiram transmissurus. Ibi enim agit advocatum meus frater D. Chilianus *Sinapius*, uxorem habens olim praefecti Werthemensis filiam, perprobe in gynaeceo piae illius comitissae viduae institutam. A qua mores, ut spero, bonos cum pietate discet. Siquidem bonas literas doceri commode nequit, id quod unice semper curae fuit matri. Et iactum sane iam erat aliquod in ea linguae latinae fundamentum a doctissima viragine *Olympia Morata*,[1]) quae itidem ut nos ex Ferrariense gynaeceo cum Andrea *Gruntlero* medico, marito suo, in Germaniam profecta Suinfordi (quae mihi cum *Gruntlero* patria fuit) degebat. Sed ea post excidium Suinfordianum supra quoque (proh dolor) memoratum (in quo plerosque omnes propinquos meos et unicam quae supererat e multis sororem amisi, ternis liberis orphanis relictis, ut ad reliqua infortunia mea hoc etiam adnumerem) profecta Heidelbergam (nam eo maritum eius ad profitendum medicinam *Palatinus* honorario satis honesto evocaverat) ibidem vij. Cal. ix^{bris} anno superiore[2]) tabe interiit. Et paulo post eam, duodevigesimo die Decembris, ipse *Gruntlerus* cum *Aemilio* adolescente fratre *Olympiae* peste periit. Quo factum est ut ab uxoris quantumvis seria et ultima voluntate filiam latine docendi discesserim, quanquam invitus hercle, sed citra piaculum, ut opinor, vel te ipso arbitro. Sed de his iam dudum satis, imo forte nimis, nisi scirem te minimarum quoque rerum quae ab amicis geruntur avidum percontatorem esse. Amicum autem te et meum et filiae non temere mihi, ut opinor, promitto, propter matrem quae te dum vixit summopere semper coluit et observavit et vicissim abs te germanae sororis loco habita fuit.

Ingentes vero et meo et defunctae nomine gratias ago pro libellis abs te missis. Apologia videlicet bibliorum *Roberti*[3]) et homelia tua *περὶ τῆς προνοίας ἢ εἱμαρμένης*,[4]) quamvis eheu prius fata ipsam sustulerant, quam tuus de fato libellus allatus fuit. Mitto autem iam vicissim ad te, non quidem *χρύσεα χαλκείων* sed *χάλκεα ἀντὶ χρυσείων ἀμείβων*, Apologiam videlicet in gratiam, ni fallor, *Canisii* Iesuitarum per Germaniam praefecti nuper editam, in quem nescio quis invectus esse fertur *σκώπτων καὶ μυκτηρίζων τὴν ἀλαζονείαν* novi Iesuitarum cognominis, et Iesuitas germanice diviso vocabulo in duas dictiones [*Iesu wider*],[5]) Antichristos interpretatus, praeterea *Canisii* nomen ad canes detorquens. Ex huius quoque libelli calce, si perlegere non piguerit, animadvertes quam uber huius segetis proventus brevi adeo tempore ubique terrarum excreverit. Patefactus autem huic campus est etiam Ingolstadii[6]) a Baioariae duce, similiter Viennae a *Ferdinando* rege.[7]) Mirum ni etiam apud Helvetios. *Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ταῦτα.*

Restat ut me et eum qui has ad te perfert humanitati tuae etiam atque etiam commendem. Is est Blasius *Boissonetus* civis Genevensis, ab aliquot annis mihi notus hospes. Qui dubitantem et cunctantem me, ne tuas arduas occupationes importunis et ineptis literis meis interturbarem, perpulit et ad scribendum impulit, efflagitans ut se in gratiam apud te ponerem, quo autoritate tua tanquam septemplici Aiacis clypeo tutus facilius recularum suarum iacturam, quam peregrinando fecit, resarcire queat. Hunc ergo virum, meo iudicio minime malum aut versipellem, et quia te vehementer diligit et a te diligi se confidit, eiusque dilectionis non leve apud me argumentum adfert, quod se aegrotantem domi suae invisere dignatus sis, protegendum, consilioque tuo, qua es prudentia, iuvandum tibi et me simul iterum atque iterum commendo, rogans ut nos ambos tibi caros antea commendatio haec cariores reddat. Bene vale, vir clarissime.

Rogo vero, si molestum non est, quia *Blasius* ad nos sub vernas Francofurdi nundinas redire cogitat, de Hieronymi *Bolseci*, vaferrimi quondam in aula Ferrariense (si diis placet) eleemosynarii conditione aut statu, si quid comperti habes, me certiorem facias. Interim vere doctos ac pios viros August. *Manardum** ecclesiasten Clavennae, si adhuc superest, et *Celium Secundum* vicinum tuum, quorum uterque me Ferrariae olim et *Celius* per literas etiam hucusque datas familiariter me complexus est, officiosissime, si datur occasio aut vacat, meis verbis

---

2575. 1) *De celeberrima hac muliere v. Nolten, Vita O. M. ed. Hesse; Bonnet, Vie d'Ol. M.*

2) *nempe* 1555 *ut ipse margine addidit.*

3) Ad censuras theologorum Parisiensium quibus biblia a R. Stephano excusa calumniose notarunt responsio. R. Steph. 1552. 8.

4) *Vide utrum loquatur de opusculo cuius titulus est* Congregation *etc. an potius de tractatu contra Pighium scripto. Utrumque habes in T. VIII. operum.*

5) *in margine m. pr.*

6) *Iam a.* 1542 *duce Guilelmo rogante duo Iesuitae Faber et Le Jay in Bavariam venerant sed ad breve tantum tempus. Anno* 1549 *Le Jay, Salmero et P. Canisius Ingolstadii praelectiones habuerunt. Tandem a.* 1555 *Albertus dux ibidem iis collegium erigere permisit et anno sequente duodeviginti eius ordinis adfuerunt et pedem ibi fixerunt.* (*Sugenheim Baierns Kirchen- und Volkszustände* 282 *ss. Lang, Gesch. d. Ies. in Baiern* 97 *sq.*)

7) *Idem Jayus et Canisius etiam Viennae ordini suo stationem procurarunt, et Bobadilla regi Ferdinando erat poenitentiarius.*

saluta. Iterum vale, vir integerrime. Pridie Non. Ian. anno M. D. LVII.

Sinapius
vetus et benevolus amicus integritatis tuae.

2576.

LEVERUS BULLINGERO.

Ab Anglorum coetu Vesaliensi vocatus, ut illorum pastor esset, hoc quidem munus suscipere recusat, verum eos adit ut pro virili iis docendo se utilem reddat.

(In Archivis Turicensibus olim a nobis praeteritam et neglectam iam repetimus e tomo Epp. a Societate Parkeriana editis p. 105; versionem anglicam invenies in ej. Tom. II. 160. Stili latini menda autori an editoribus tribuenda sint nescimus.)

Suo in Christo patri colendissimo D. Henrico Bullingero viro doctissimo et fidelissimo ecclesiae Christi pastori.

Tiguri.

Salutem plurimam in Christo Iesu. Quum essem Genevae sic incumbens lectioni in privatis studiis et audiens sermones concionatorum in publicis coetibus, ut nihil mihi pro eo tempore videbatur* posse esse optatius, tam ad meam institutionem quam ad ecclesiae aedificationem, tum nonnulli Angli conterranei mei, religionis causa ex Anglia profligati et Veseliae manentes, literas suas ad me miserunt, in quibus scripserunt, me maiori parte suffragiorum et communi atque unanimo consensu omnium in electione libera electum esse illis in pastorem. Itaque enixe per literas rogabant et in Christo obtestabantur ut nec munus recusarem quod Deus, exaudiens illorum preces et dirigens suffragia, mihi imposuisset, nec iter ad eos tardarem qui me sollicite exspectabant. Nam quum is qui fuit pastor iam antea sua sponte decesserat* et usus* sacramentorum magistratus illis interdixerat*, [1]) me veniente et pastorem habere et gratiam apud magistratum ad liberum usum sacramentorum recuperare, aut saltem consilium illis utile et necessarium audire posse se sperabant. Itaque huiusmodi literis perlectis Deum invocans, post D. *Calvinum* atque fratres meos pios et doctos ecclesiae nostrae Angliae* ministros consultos, nunc eo a Geneva versus Veseliam: sic illorum statum et conditionem atque meam tenuem facultatem reputans, ut nec munus pastoris suscipere, nec ullam diligentiam aut laborem docendi recusare me debere mihi habeam persuasum. Munus enim pastoris nec mihi nec aliis quos consului videtur posse exerceri apud eos vel inter eos quibus ministerium sacramentorum prohibetur, et sane quae Dei verbum docet debere esse in pastore adhuc in me ego non reperio: quae autem invenero mihi data esse a Deo, ea omnia fratribus in Christo rogantibus libenter diligenterque impendere Deo iuvante nunquam negabo. Iuxta igitur paternam tuam erga me benevolentiam, quam a primo nostro congressu hucusque saepe expertus sum, in visceribus Iesu Christi colende pater, te oro perseverare semper memorem mei in precibus tuis apud Deum, et aliquando etiam per literas tuas ad me monere et docere me ut filium tuum, quo melius discam Christo et ecclesiae eius humiliter alacriter et fideliter inservire. Ego autem non habens quod tibi rependam quotidianis precibus a Deo omnia bona tibi atque tuis impetrare sedulo conabor.

Oro etiam salutares* meo nomine D. *Petrum Martyrem*, D. Bernardinum *Ochinum*, D. *Gualterum* et reliquos ecclesiae vestrae ministros, quibus omnibus pro vestris in me et in alios Anglos meritis agnoscam me debitorem omnium quae unquam potuero vobis praestare. Dicas etiam, obsecro, a me salutem in Domino uxori tuae et toti familiae, ac denique honestae illi matronae quae nobis Anglis ancillavit, vel potius in unis* aedibus aluit*. Deus te diu nobis servet ad ecclesiae Christi aedificationem et ad Antichristi regnum oppugnandum. Vale. Argentorati, ut eram in itinere, 4. die Ianuarii 1557.

Tuus fideliter in Christo
Tho. Leverus.

2577.

CALVINUS VIRETO.

Agit de ministro Parisiensibus mittendo qui tamen difficilius reperietur. Fratris uxor in adulterio deprehensa.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 29. — Edidit Bretschneider. p. 44. Versio angl. III. 308.)

2576. 1) *Anglorum exsulum eadem conditio fuit atque Gallorum. De quibus supra saepius cf. Wolters, Ref. Gesch. v. Wesel.* 174. 191. *Utrisque, nisi Aug. Confessioni subscribere vellent, ad Cal. Martias exsilium indictum erat.*

Eximio Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae fido pastori, fratri et symmystae integerrimo.

S. Valde perplexum est Parisiense negotium. [1]) Electio quidem ad quam suo consilio adspirat *Christophorus* [2]) omnino fugienda est. Vulgo iam sparsus est rumor. Atqui nondum passim in cauponis Bernensibus resonat? quod fore praedico, si quis publice fuerit electus. Si privatim missionem petere *Farellus* volet a suo custode, [3]) tolerabilis erit ratio: quia eum pudebit de re fidei suae commissa maiores tumultus movere. Si recuset hoc *Farellus*, ad *Enardum* [4]) vel *Gasparem* [5]) redire necesse erit: quanquam placeret quoque *Tomassinus*, [6]) si provinciam tuo et *Farelli* hortatu suscipere velit. Si nemo illinc absque collegii suffragiis poterit extrahi, hic forte quempiam Deus nobis reperiet. Sed illud priore loco tentandum. Plura non sinit animi aegritudo. Nam quum domi meae habitaret lupa illa, [7]) quae tunc fratris erat uxor, deprehendimus cum *Petro* gibboso [8]) scortatam esse. Hoc tamen moerori nostro solatium speramus, quod iam saltem frater meus divortio liber erit. Vale, optime et integerrime frater. Saluta fratres meo nomine, domi uxorem et filiolas. Deus vos omnes tueatur, regat, benedicat.

Genevae 7. idus Ianuarii 1557.

Ioannes Calvinus tuus.

2577. 1) *In hoc definiendo Bretschneiderus erravit. Agit de novo ministro Parisiensibus mittendo, apud quos propter pericula quotidie imminentia saepius alter alteri sufficiendus erat.*

2) *Libertetus sane non ipse Lutetiam ire volebat, sed alium proposuerat, sed incaute nomen in publicum exire sinens, quod maxime secretum habere necesse fuisset.*

3) *a praefecto, sine cuius permissu nullus Neocomensium ministrorum abire poterat.*

4) *qui pridem iam Parisiensi munere functus fuerat.*

5) *Carmelum tandem delectum mox videbis. Erat minister in Traverso. Uxorem habuit Farelli neptem.* (*Hist. eccl.* I. 141, *Baum, Beza* I. 298.)

6) *minister in Corneaux.*

7) Anne fille de Nicolas Le Fert d'Arras femme d'Ant. Calvin, divorcée pour adultère, elle se remaria à Jean Louis Ramel avec qui elle habitait Aubonne. — Calvin se remaria en 1560 avec Antoinette Commelin veuve de Jean de St. André ministre (*Galiffe not. gén.* III. 112. 301) *Prior maritus ex ea duos filios totidemque filias susceperat.*

8) *Petrus Daguet Calvini famulus. Plura de his in Reg. du Conseil* 11. 18. *Ian.* 16. *Febr.* 1557.

2578.

HALLERUS BULLINGERO.

Genevenses die dominicae nativitatis publice de malefico quodam poena sumpta contemptum pietatis, et navigio in lacu constructo hostilem animum ostenderunt.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 232. — Simler. Vol. 89.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino suo et compatri carissimo et colendissimo.

— — — — — — — — — — — — — — — — — —

— — Genevenses (uti huius rei mihi autores sunt Cos. *Naegelinus* et Quaestor *Dilgerus*) in die Nativitatis dominicae quendam maleficum publice virgis per forum ceciderunt. Ex quo facto tam exacerbati sunt de novo nostrorum animi, ut nihil supra. [1]) Apparet enim illos sua quam iactant christiana libertate non secundum dilectionem et ad aedificationem, sed prorsus ad contemptum aliorum et destructionem multorum uti. Incredibile enim est, quantum ex eiusmodi factis abalienentur eorum animi, qui in Gallia et alibi adhuc in superstitione papistica haerent. Aiunt etiam ministrum (cuius tamen nomen nescio, *Calvinus*ne fuerit, [2]) an alius quispiam) qui eo die concionatus sit, quum vidisset frequentiorem convenisse ecclesiam, quam aliis diebus profestis consuetum erat, debacchatum esse mirum in modum, quod cerneret ex ipsorum frequentia, superstitionem et observationem diei huius adhuc illorum animis inhaerere. Quid haec tandem paritura sint, novit Dominus. Nemo reprehendit libertatem christianam in e[*iusmodi*] [3]) rebus, sed quod illa non videntur uti secundum [*regulam*] apostolicam. Hoc disiungit ab illis etiam illorum animos [*qui*] hactenus visi fuerunt illis quam plurimum favere. Construxere item navigii genus maritimum, quod Galeonem vocant, quo in lacu Lemano utantur. Cuius usus non poterit esse nisi contra nos, quum tota fere lacui ab utraque parte adiacens regio Bernensis sit ditionis. Accedunt et alia, quae me valde affligunt, quod metuam, ne illa simultas tandem erumpat in maius aliquod malum, quod Deus sua clementia avertat. Amen. Vale — — — — — — — — — — — — Bernae 8. Ianuarii 1557

I. H. tuus.

2578. 1) *nempe propter profanationem festi cf. Ruchat* VI. 143.

2) *qui tamen in huiusmodi rebus circumspectius et moderatius agere solebat.*

3) *deficit charta.*

2579.

VIRETUS CALVINO.

Agit et haec maxime de ministro Parisiensibus mittendo, tum etiam de uxore Antonii Calvini ἐπ' αὐτοφώρῳ ἐν μοιχείᾳ deprehensa.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ª, fol. 195.)

Praestantissimo Christi servo Ioanni Calvino fido Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae plurimum observando.

Genevae.

S. Paulo antequam mihi tuae literae [1]) redderentur, literas accepi a *Farello,* [2]) ex quibus aliqua ex parte intelliges quid iam in classis conventu deliberatum et statutum sit. Caetera fratres qui eas attulerunt, in quibus et *Sorellus,* [3]) prolixius exposuerunt. Summa est, *Casparem* electum esse, qui lubens hanc suscipiet provinciam, si a vobis non possit aut a nobis commodior inveniri. Quamobrem cupiunt a nobis, hoc est, te et me admoneri, quae sit nostra hac de re sententia, ad diem Iovis qui erit 21 huius mensis dies, quia iterum eo tempore conventus classis habebitur. Fac igitur ut, si quid habes consilii praeter id quod iam scripsisti, in tempore significes, ut de nostra sententia certiores fiant, saltem *Farellus.* Interea ego ad *Farellum* literas tuas mitto ex quibus intelliget quantum tuum dissideat consilium ab eo quod sequuti sunt caeteri reluctante *Farello*, qui nostrum magis probabat consilium. Existimant fratres qui huc missi sunt, rem totam hac ratione facilius sub silentio contineri posse, quam si tantum inter paucos transacta fuisset, quia omnes severa se adiuratione obstrinxerunt. Sed nos quotidie satis experimur quae sit in multis silentii fides. Quid nos praestare possimus in hac causa prius exposui. Nullum video nos sequi aliud posse consilium. Superest ut e duobus dispicias, utrum iudices consultius, aut *Casparem* mitti, aut a vobis alium eligi. Quia res tota iam in classe exposita est, minus vestrum quoque consilium celari poterit, si alium elegeritis. Vide tamen quid consultius fore censeas. Si *Caspar* mittatur, uxor cum liberis se recipient in aedes *Farelli*, ubi obversabuntur quotidie oculis Neocomensium. Quae res magis acuet inquirendi desiderium quonam concesserit *Caspar.* Porro conventus fratrum, qui futurus est, convocatur, nisi fallor, ad eligendum communibus classis suffragiis qui sufficiatur *Caspari,* quamdiu a sua aberit ecclesia. *Sorello* fuissent omnia multo expeditiora quia minore gravatur familia. Non sperat a suo custode facile abeundi veniam impetrari posse, nisi si ea lege petatur, ut alius substituatur *Sorelli* loco pastor. Haec una est causa, quia si quid contingeret parum ex animi sententia, non vult aliqua ratione suam turbari tranquillitatem, maxime molestia succurrendi fratri periclitanti. Sic sumus ad Christi evangelium promovendum comparati.

De rebus nostris nihil est novi. De *Tagotio* [4]) praefectus nobiscum consentit. Speramus felicem successum, quamvis non parum sit istinc quenquam evocari invidiosum. Nescio an audieris de persequutione quam aggrediebatur episcopus Augustensis adversus Augustenses illos qui Sabaudorum agnoscunt principem, et de impiis eius edictis: [5]) cuius rei gratia vallis illius incolae ad ducem legationem susceperunt. Hoc te nolui latere, legatos rediisse rebus satis ex animi sententia confectis.

Caeterum quod scribis de domestico luctu gravissime angit animum. Non satis erat lupae tam turpiter semel totam offendisse ecclesiam et tam sanctam familiam perturbasse et infamasse. Urget illam Domini iudicium. Nos interea sic vult Dominus exercere. Scis quibus stupris et a quibus contaminatae sint sanctissimae illae familiae Iacob et Davidis. Nos illorum exemplo Domino committamus. Nimis se venia indignam praebet quae prius lapsa non potuit a sua spurcitia revocari, eo in loco ubi nihil cernitur, nihil auditur, nisi quod ad pietatis studia excitet et in iis contineat. Dominus illius misereatur, quae tam multis tantos affert cruciatus. Tu pro tua prudentia animi tui aegritudinem moderare, quam mihi videor sentire. Salutat te uxor et nostri omnes. Salutem dico fratri, cuius mirum in modum doleo vicem. Vale optime ac diutissime. Lausannae 9. Ianuarii 1557.

Tuus ex animo Petrus Viretus.

2579. 1) *N.* 2577.
2) *quae desiderantur.*
3) *de quo vide N.* 2391 *et* 2497.

4) *Ruchat* VI. 201: En 1557 les Seigneurs de Berne établirent Iean Tagaut prof. en philosophie et en mathematiques dans leur académie de Lausanne, au mois de Ianvier (N. 2418). *Quod etiam servire poterat ad solvenda Haagii dubia.*

5) *Huc pertinent quae habet Hist. eccl.* I. 138: En l'annee 1557 au mois de Fevrier Nicolas Sertoire natif de Quiers fut pris et bruslé le 4. de May en la ville d'Augste (*Aosta*) non obstant l'intercession des Sgrs. de Berne ayans escrit en sa faveur, pour avoir esté iceluy Sertoire leur escolier à Lausanne.

2580.

HOTOMANUS BULLINGERO.

Propria quidem sua sorte contentus statum rerum qui Argentorati obtinet haudquaquam laudalibem habet, scilicet propter Lutheranorum crescentem potentiam, et Bullingero autor est ut filium suum alio potius mittat quam hic diutius stare sinat.

(Ex epp. Hotomani a Meelio editis p. 10.)

Clarissimo theologo praestanti virtute et doctrina praedito D. Henrico Bullingero parenti meo colendissimo Fr. Hotomanus S. D.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Superioribus diebus nuncius mihi quidam allatus est fore ut propediem Catechismus D. *Calvini*, quo adhuc usi sumus in ecclesiola nostra, mutaretur et alius nobis eiusmodi quem existimare potes traderetur. [1]) Idque ab iis pugnari, a quibus ego video universam religionem una hac in re collocari et quasi in gyrum contrahi ut opinio de sacramentis quae illis placet valeat. Hoc si impetrant, flagitiis omnibus post connivetur. Alii, si vitae sint et continentissimae et castissimae, tamen hanc unam ob causam pro monstris et portentis numerantur. Itaque Genevensis ecclesia, quam fateri coguntur disciplina severissima contineri et regi, nunc passim multis in locis pro exsecrabili et detestanda colluvie habetur. Quod ego nuper admodum quodam in negotio gravissimo et apud potentissimum virum [2]) agitato sum expertus. Res igitur huiusmodi causam mihi moeroris magnam afferunt, feceruntque ut tua mihi consolatio opportunissime acciderit. Nam privatae res meae nullo unquam Dei beneficio meliore in statu fuerunt. Schola nostra iuris civilis ita floret ut apud senatum nostrum eo nomine gratiosus esse videar. Denique, vigeret aliqua disciplina, beatum me et felicem iudicarem. Ex quo D. *Martyr*, praestantissimum et singulare ornamentum ecclesiae et scholae nostrae, discessit omnia etiam in deterius lapsa sunt. *Rabus* [3]) discedens dixisse fertur senatui, nolle se diutius ibi vivere ubi papistis, Anabaptistis et sacramentariis locus esset. D. *Zanchus* constanter et fortiter et animose perseverat in opere Domini, mihique de tali vicino gratulor. Si Dominus huius civitatis, quae iam patria mea est, misereri velit, dabit nobis pastores et theologos spiritu suo instructos, qui disciplinam aliquam in ecclesia defendent. Sed haec Interimistica societas [4]) puritatis omnis est hostis, ut mihi iam lubricus videatur adolescenti locus hic fore, nisi quid remedii propediem adhibeatur. Saepe etiam de carissimo vicino meo, tuo filio, cogito, cuius indoles eximia et singularis prorsus mihi videtur. Sed si mihi optio daretur et tuo loco essem, qui Lausannensis scholae disciplinam non ignoras, mallem eo loco illum aetatem istam agere ubi collucent undique religionis et virtutis exempla mirifica, quam hic, ubi propter papisticam sentinam et hominum languorem atque inertiam feruntur multa, quae si nosses non dubito quin iam pridem illum ab istis periculis eripuisses. Itaque te ut facias oro, certe ut hinc illum revoces, si minus Lausannam, at eo tamen ubi tanta vitiorum libertas non sit. Nam quod de Gallia mihi mentionem fecit vehementer improbo. Quum D. *Calvinus* [5]) hic esset, rogatu meo illum ad probitatem multis verbis est cohortatus, neque dubito quin exempla domestica sit sequuturus. Iterum tamen hoc addo quod spe aliqua ductus melioris apud nos disciplinae futurae adhuc reticui, ut illum hinc vel ad te vel alio revoces. Non quod quidquam in eo viderim aut animadverterim quod mihi non placeret, (id enim ad te pro mea erga te pietate et officio quod tibi debeo scriberem), sed in summo disciplinae et bonarum artium interitu periculum ab istiusmodi aetate removendum puto. Quod meum consilium optimo in te atque in eum animo perscriptum non dubito quin tua prudentia et amore erga me fretus bonam in partem sis accepturus. Id quidem ut facias vehementer te etiam atque etiam rogo. — — — — — 11. Ianuarii 1558. [6])

2780. 1) *Iam pridie Idus Aug.* 1555 *Petrus Alexander Augustanae subscribere coactus fuerat, et quoad sacramenta et catechismum se eidem conformiter docturum polliceri. De libro tum nihil. Roehrichius* III. 105 *narrat senatum satis habuisse Buceri catechismum a Sleidano gallice versum commendare. Hic vero videmus Calvinianum usque in usu fuisse.*

2) *Henr. a Müllenheim* (*Roehr.* III. 57.)

3) *Autumno anni* 1556 *Ulmam abiit, superintendentis munus auspicaturus.* (*Roehr.* III. 43) *non fortasse propter statum rerum quem publice notabat, sed quia nolebat Marbachio secundus esse.*

4) *Hic vero nimis severe iudicat. Marbachius quidem pro abolendo Interim assidue et enixe instabat, quod tandem a.* 1559 *effectum est.* (*Roehr.* III. 45.)

5) *m. Septembre* 1556.

6) *Errorem in anni nota latere nulli dubitamus et incunctanter hanc ad a.* 1557 *referimus. Bullingeri filium a.* 1556 *Argentoratum venisse constat ex aliis Hotomani epistolis d. d.* 25. *Mai et* 15. *Aug. Tum mentio itineris Calvini, et morbi letalis Alberti Brandenburgensis (in ea parte epistolae quam omittimus) qui obiit m. Iunio* 1557, *denique conventus Ratisbonensis qui celebrabatur a.* 1556 *usque ad Martium* 1557 *suspicionem nostram confirmant. Quid quod ipse editor epistolam ante aliam m. Maio* 1557 *scriptam ponit, ita ut hic de mero vitio operarum cogitari debeat. Exstat alia Hotomani ad Bullingerum d.* 17. *Ian.* 1558 *scripta ubi de argumento huius altissimum silentium.*

2581.

CALVINUS VIRETO.

Quod Neocomenses decreverunt de Carmelo Lutetiam mittendo, sibi probari dicit.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 151, coll. c. Cod. 108, fol. 85, Epp. Bern. VI. 666 et Simleri Vol. 89.)

Eximio Christi ministro Petro Vireto ecclesiae Lausannensis fido pastori, fratri et symmystae integerrimo.

S. Bene igitur vertat Deus quod a Neocomensibus factum est. Nihil in praesentia mutabimus quando brevi successor *Lannaeo* [1]) mittendus erit, qui se paulisper colligere cupit, donec melius in quietis studiis maturescat. Video quam multa periculà immineant: sed in re iam transacta non anxie delibero. Quidquid *Farellus* agendum censuerit, mihi quamprimum significet. Nuncius se mihi hac hora discessurum praedixerat: quia mihi satis erat temporis ad scribendum, non festinaveram. Heri venit, quum ego rus essem tractus. Ita deprehensus sum. Sed uno verbo tenet, quid mihi sit animi potius, quam consilii. Vale, optime frater. Dominus te et familiam conservet. Amen. Genevae 13. Ianuarii 1557.

Ioannes Calvinus tuus.

2582.

FARELLUS VIRETO.

Quercetanum abeuntem, Tagautium successorem votis prosequitur. Calvini fratriam diris devovet. De ministro Lutetiam misso plus quam oportebat publice dictum est. Vireto de novo scripto gratias agit.

(Exstat autographon in Cod. Goth. 404, fol. 29, scilicet ab autore eidem chartae inscriptum quam nuper a Calvino acceptam hic cum Farello communicaverat. N. 2577. Edidit Bretschneiderus p. 45, sed mendose.)

S. Gratias ago Domino et vobis gratulor favorem tantum: nunc amo *Eustathium*, [1]) cui faveat Dominus quem opto meis verbis salutatum, et omnia ei fausta precor. Et *Tagautio* [2]) omnia quam felicissime. Scelus fratriae *Calvini* valde me angit, sed ita placet Domino suum hic exercere servum et illum voluit, [3]) ne magnitudo revelationum efferret virum. Tandem oportebit pium *Antonium* separari a tam putido scorto, tam ebrioso. Ego cum *Calvino* facio, sed collega omnes secum facientes [4]) habet, ut non praeteream *Maturinum*, [5]) cuius laetor innocentiam nocentissimis calumniis impetitam demum patefactam. Is ait, quod istic aut Genevae clam fieri pro evangelio adnititur latius multo spargi quam quod hic etiam consciis omnibus fit. Et fratres, qui vident aliquem abesse et causam non norunt, curiose valde inquirunt, et ubi resciunt effutiunt apud omnes, sed conscii et sancte admoniti ut taceant, ne quid detrimenti ecclesia ferat aut absens frater, fideliter continent. [6]) Exspecto quid *Calvinus* censeat. Tu multum commendas, [7]) quod rarius et pauxillatim fit a me. Ego tuorum operum vel minimum pluris facio, [8]) et merito, quam quidquid unquam tibi offerre possem, et quot me donasti, et quoties! Sed iuvat tuam experiri munificentiam, quae redempta a quovis merito tibi emptorem astringit. Perge, sed salva semper valetudine, quam tibi et tuis firmam det Dominus. Vale cum piis omnibus. Tuos saluta, collegam *Bezam* et bene exceptum *Ribittum*, ac reliquos. Nostri te salutant. Neocomi 15. Ianuarii 1557.

Tuus Farellus.

2583.

LE CONSISTOIRE DE GENÈVE AUX MINISTRES DE BERNE.

Demande de renseignements sur un individu Bernois qui après s'être fiancé avait manqué à sa parole.

(Archives de Genève. Lettres de la Seigneurie Vol. 1556 et 1557. Minute corrigée par Calvin dont les additions et changements sont imprimés en italique.)

2581. 1) *Apographa male:* Dannaeo. *Erat is* Iean le Maçon dit La Riviere, fils du Sr. de Launay d'Angers, *ecclesiae Parisiensis a.* 1555 *conditor* (*Hist. eccl.* I. 99.)

2582. 1) *Quercetanus Lausanna relicta Galliam petiisse videtur* (*N.* 2565.) *A.* 1558 *Francofurti fuit.*

2) *Quercetani successori. Br. male:* Tegantio.
3) *sic ille. Br. emendat omisso:* et.
4) faventes *Br.*
5) Matarinum *Br. De viro cf. N.* 2378. 2381.
6) *Cf. N.* 2577 *not.* 2. *Loquitur de Carmelo Lutetiam misso, sed clam caeteris.*
7) *Sic et Br. Lectio dubia.*
8) *Videtur de novo quodam Vireti libro dicere. Haagius unum tantum ad h. a. refert:* Exposition familiere faicte par dialogues sur le symbole des Apostres.

Spectables prudens et honnorez seigneurs appres les amyables et desirees recommandations par ce que jeudy dernier par devant nostre consistoyre seroit comparue Loyse fille de deffunct francois *escoffie* produisant une requeste ou soit supplication tendant aux fins estre prononce sus une pretendue promesse de mariage entre Anthoine *hasiestin* natifz de berne avec ladicte Loyse de laultre. Parce que ledict *haiestin* soit ja passes sept ans quil auroit promise ladicte loyse comme elle dit et jcelle delaissee sans accomplir ny consommer le mariage, mais au contraire ledit anthoine auroit faict une attestation signee de son nom et de son seaulx scellee. Par laquelle jl declaire en presence de tesmoings quil ne veult pas ladicte loyse mais quil la quicte. Et daultant que nostre dict consistoyre *voulant nourrir bonne amitie et obvier a tous murmures et scandales* na voulsu proceder plus oultre sans le vous faire scavoir parce que ledict Anthoine est natifz de vostre ville de berne la ou il pourroit avoir quelque parens lesquelz estans de ce adverty pourroyent soubstenir son droict *ou proveoir de bon remede pour empescher la procedure que pretend la partie.* Parquoy mus *a ce regard* vous prions affectueusement requerans faire entendre audict Anthoine ou soit a ses parens les choses prenarrees affin que en appres soit par nostredict consistoyre procede ainsi quil sera de raison. Priant sur ce nostre seigneur quil vous conserve en sa saincte grace. De Geneve ce 15. de Ianvier 1557.

2584.

PERRUCEL A L'ÉGLISE D'EMDEN.

Il s'excuse de n'avoir pas répondu à leur appel, et s'en rapporte à l'opinion de Calvin.

(Extrait de l'original conservé aux Archives de l'église wallonne d'Amsterdam, et dont nous devons la copie à M. le pasteur Gagnebin.)

Au ministre Senieurs et Diacres de l'Eglise francoise estrangiere.

A Emden.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Je suis contraint rompre le silence, qui me seroit plus plaisant que le parler en telles matieres: et comme ceulx qui pour dire un mot en joingnent plusieurs, ainsi estant force de respondre a un point j'en toucheray d'aultres. Et en premier lieu ce que vous trouvez si maulvais que jay envoie vers M. *Calvin*: certe, freres, je confesse que a mon advis je n'eusse point envoie vers luy si j'eusse premier veues voz lettres, tant j'avois et ay de desir a vous, mais voiant ce qu'est advenu, je ne me puis ny ne dois repentir d'y avoir envoie. Et voy en ce, que Dieu par sa providence m'a faict haster d'envoier avant recevoir lettres de vous, affin que par vos escrips ce faict et evennement ne fussent empeschez. Or quel est ce faict et evenement dont je parle? C'est premierement l'advis de M. *Calvin*, qui a este comme verres par ses lettres, [1]) que quant je vous aurois promis mon ministere et vous le m'auriez requis avant les choses constituees icy, [2]) pour ma liberte, j'auroie mal faict de promettre, et vous de requerir. C'est apres que, par le mesme advis, estant libre de ce ministere de Wesel, je devoie aller secourir la periclitante Eglise de Francfort, comme si Dieu me le commandoit. C'est finalement la resolution de tous les troubles et debatz que ma conscience avoit en ceste matiere Laquelle resolution m'est donnee par ce faict d'avoir envoie et par ce qui en est advenu. Et laquelle resolution (encore qu'elle soit contraire a mes premieres, propres, et privees affections desirs et propos et que souvent j'aie regretz au contraire) Toutefois je l'accepte et y consens, estant persuade qu'elle est de Dieu. — — — — — — — — — — — — — — —

Quant a ce que dictes que M. *Calvin* n'a ouy qu'une partie, pleust a mon Dieu que j'eusse la copie de mes lettres a luy pour les vous envoier, mesmement d'unes particulieres par lesquelles je luy ouvrois mon coeur comme l'enfant au pere (me submettant toutesfois a sa correction) la vous verries s'il n'a ouy qu'une partie. Certes jay tellement escript que je pensoie que je vous deusse estre envoie, et autant en attendoient plusieurs freres d'icy quant je leur eus revele ce qu'avois escript de sorte que aians eu vouloir de marcher a Francfort ilz ne voulurent deliberer de aucun remuement s'il n'avoient premier ouy la response du message. Vous notez mon messagier de quelque suspition parce qu'il a passe par Francfort. Mais il falloit bien qu'il y passast pour porter mes lettres a la dicte Eglise par lesquelles elle sceut mon propos et deliberation pour attendre l'issue — — — — Qu'il ait portees lettres de Francfort a Geneve, je ne le veulx nier mais qu'elles fussent pour plaider la cause que cuidez, je ne le pense pas, ains je cuide que seulement ilz ont escript que si je n'alloie a eux que on en envoiast un aultre avec le messagier. Car aussi je scay que ceulx sur lesquelz vous pouvez avoir

---

2584. 1) *N.* 2564.
2) *à Wesel.*

plus de suspition avoient tousjours este plus dadvis den avoir un de Geneve que moy. Et que ledict messagier ait prins instruction a Francfort ou ailleurs pour conduire cest affaire contre vous je ne le penseray jamais veu ce quavions dict ensamble a son partement et ce qu'il m'a recite a son retour, ascavoir que incontinent que M. *Calvin* eut ouy l'estat de la cause, il prononcea que estant libre d'icy je debvoie aller a Francfort sans que ne par mes lettres ne par M. *de Sainct Andre* ne par M. *Crepin* — — — il ait peu estre desmeu de son propos. Cessez donc mes freres je vous prie au nom de Dieu de juger si maulvais ou charger de suspition cet envoy a M. *Calvin* et ne souffrez qu'il soit mis au rang des faictz idolatriques comme ont ose dire aucuns venus de vous que je faisoie *Calvin* un pape. — — — — — — — — — — — — — —

Davantage en leglise de Francfort n'y avoit homme (hardiment le fault dire) qui peult bonnement mettre la main a l'appaisement des troubles, non pas par insuffisance Car ceux qui avoient peu de suffisance estoient plus suffisans que moy. Mais par ce que quasi tous estoient en proces et parties Et mesme ceulx qui pour les excellens dons de Dieu en eux estoient les plus idoines a faire telle reformation de paix comme Monsieur M^e^ Guillame *Holbrac* homme de tres excellente vertu et aultres cestoient ceulx contre lesquelz se formoient le plus d'accusation, lesquelles encore que (graces a Dieu) elles fussent vaines toutesfois jusqua fin de cause elles rendoient les personnes non ables de ceste charge. Or vostre Eglise n'est pas ainsi. — — — — — — — — — — — — — — — — — —

Je scay qu'il vous est dur d'avoir attendu apres moy aussi ne failliez vous pas a le me reprocher en vostre lettre. Mais je n'ay pas merite que le couchissiez si durement qu'avez faict. Car nulle fois que je sache je ne vous parlay de m'attendre fors quant j'estoie avec vous en Juing Et encore ceulx a qui j'en parlay scavent que je disoie tousjours que si vous ne vous pouviez passer de ministre jusqua' Pasques que vous en mandissiez hardiment un Mais si vous attendiez jusques la J'esperoie en Dieu que verries dans ce temps la resolution de mon arrest et demeure. Or y a il encore du temps jusques a Pasques pour avoir loisir de vous pourveoir. que si vous avez affection a M. *Garnier* (comme j'ay ouy qu'avez) et vous plaist le me mander par la voie d'Anvers Je feray le message moy mesme a luy. Que si vous en voulez, ou a son refus ou en premier lieu, un de Geneve menvoiant vos lettres dans la foire, je feray vostre despeche sans que faciez aucun frais. Jesperoie vous aller veoir de ce voiage pour conferer amiablement de toutes ces choses avec vous, mais vostre lettre m'a appris que je n'y ay plus de lieu Et toutesfois je suis vostre en la crainte de mon Dieu. Voire et demeureray tel aidant sa grace encore quexecutiez contre moy vos menaces de maccuser de vous avoir faict tort. —

De Wesel ce 17. de Janvier 1557.

Vostre humble frere
Francois Perrucellus
dict de la Riviere.

2585.

ZERKINTES CALVINO.

Aegre fert tantae molis esse ut foedus inter utramque rempublicam renovetur et haud oblique Genevensium pertinaciam in causa esse innuit, quibus Calvinus si vellet aliam mentem ingerere sane posset. Quem tamen ipse, etsi suis suspectum, maximo amore se prosequi testatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 125.)

Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis in verbo Domini ministro vigilantissimo fratri in Christo Iesu admodum colendo suo.

Erras, *Calvine* frater in Domino venerande, si putas ita me ad latinitatem tuam obsurduisse ut omnem excusationem tuam ea lingua scriptam repudiem. Neque enim famae omnia credo, sed quaedam experimento comprobata. Quod subinde amicos tuos et meos de iisdem rebus admoneo, velim in meliorem partem interpreteris, memor quod *Res est solliciti plena timoris amor.* [1]) Certe nostris hominibus persuasum sinistre est, per te unum [2]) stare quominus constet pax inter respublicas: adeo ut te nuper Francofurtum profecto passim dictitaretur: Si per eam occasionem Genevenses conventum postulassent, restaurationem foederis impetrari forte utrinque potuisse. Credo constanter iniuriam tibi fieri, cupereque te perinde ut me rem confectam, sed amore tuae reipublicae [3]) nimis indulgere tuorum

2585. 1) *Ovid. Heroid.* I. 12.

2) *In his Bernenses suo in Calvinum odio nimium indulsisse demonstrant huius epp. ad Bullingerum de foedere promovendo Turicensium officia sollicitantes.*

3) *quasi vero Z. ipse de Genevensibus non nimio suae ipsius reipublicae amore ductus imo obcaecatus iudicasset. Qualis enim Bernensium insolentia erat, vicinis leges dictare de negotiis ipsorum privatis, adeo ut vel acta causae Perrinianae sibi communicari iuberent.* (*Ruchat* VI. 190.)

pertinaciae in conditionibus offerendis et reiiciendis. Vellem tam perspecta tibi esset tota illa causa rerum Victorianarum et capitularium [4]) quam mihi, ex iis ipsis a tuis inter disceptandum perlatis documentis: aequiores ipse esse iuberes. Nostri per conventa anni 36 de suo iure incaute multa concessere. Sed dolent se rerum ignaros per eos qui erant longo usu peritissimi circumventos. Ego angor tantam utrinque esse pertinaciam obtinendi, cupioque te apud tuos agere sequestrem, quando ipse proximis tuis literis, [5]) quas tuo iussu nemine illarum conscio exussi, fateris tuo interdum consilio uti rempublicam. Quod opto ei esse salubre, nec diffido, si rigorem, qui mihi semper visus est in te nimius, et istam animi magnitudinem paululum flectere libeat. Hoc uno excepto nihil unquam mihi et aliis tui amicissimis in te displicuit. Neque scriberem hoc nisi sperarem, praeferre te mordacem licet amici admonitionem adulatoris per omnia subscribentis blanditiis. Sed accipe hoc ut visum fuerit, irascere, convicium fac, voca me contra nimis demissum, tardum et fractum: non desinam te amare, colere, et omnium officiorum genere prosequi, velis nolis. Vere enim et ex animo Deo teste et conscio dico me caeteris tuis virtutibus ita esse constrictum, ut amorem tui deponere si velim non possim. Si libet alios habere testes, *Musculum*, *Hallerum*, *Gyronum* et cordatos omnes amicos et infensos aliqua ex parte non recuso. Scio enim illos priores duos tui amantissimos, *Gyronum* licet offensum, non alienatum tamen prorsus, candida mea de te testimonia suis esse confirmaturos. Mihi tutius videtur nimia peccare clementia, neque Eliae, Samuelis et aliorum exemplis quemquam ad necem protrahere, quando ut illi etiam in vitam revocare non possumus. Tu tuas rationes habes quibus aliquando aliter sentiendum pugnas: hoc ingeniorum temperamento totus orbis regitur. Itaque non est quod frustra de paritate laboremus. Quod ad statum rerum publicarum attinet, vereor ne aureo piscemur hamo. Utinam utrinque saluti potius capitis consuleremus, quam hoc perniciose laborante varis et lenticulis curandis occupati ludibrio nos cordatis omnibus aequis et iniquis exponeremus, neglecto capitis periculo. Quaecunque hactenus vestri legati de foedere renovando proposuerunt, talia sunt ut ludere nostris videamini. Postremus enim qui hic fuit legatus [7]) visus est vestro nomine non id agere ut ea capita quae nuper indecisa remanserunt adeoque confectionem foederis impediverunt mitigarentur, sed hanc ipsam tractationem conditionum controversarum tanquam praecipuum obstaculum in foedere sanciendo accusans in eo tempus inaniter et operam consumpsit, ut foedus quale primum fuit obtineret, quum satis sciret in eo iam multa partium consensu mutata et concessa, et ne sic quidem potuisse obtineri. Itaque a capite iterum orsus quum deberet a calce, nostris non iniquam dubitationem de vestra voluntate iniecit. Nihil equidem hostile nostri moliuntur. Sed quis illis leges ponet ne sine aperto marte multum, si velint, Genevensibus incommodare possint, quod tolerabili adhuc interdicto materiae fabrilis et annonae estis experti. [8])

Haec scribo maximo cum angore animi qui sic inhio paci, ut suffocationi sum * proximus. Intueor enim non politicum tantum rerum statum miserum et calamitosum si sic pergamus, sed insignium ecclesiarum nostrarum vel ruinas vel contemptum ob perpetuas concertationes, quas audio Argentorati [9]) tantas etiam esse ut Caesaris armis opus non sit ad restituendum papatum. In hac rerum desperatione constitutus aliquoties mortem invoco, et nisi obstaret pietas optarem mortalibus concessum exire e vita quando vellent.

In causa fratris tui [10]) laborabo quantum potero (nam has scripsi pridie quam iudicium subiret) quantumque pro paucis aliis, ut sum natura quietus, timidus et meae conditionis memor, haud temere iudicibus obstreperus. Si res aliter quam cupis cesserit, cogita incertos esse litium exitus et publicis controversiis affici saepe privatas. Tu modis omnibus coneris ut morbo omnium maximo remedium adhibeatur, et cadent per se omnes motiunculae a levibus causis excitatae. Idque quam fieri poterit celerrime. Scis enim morbos minime letales trahendo tamen aegros saepe praecipitare. Vale, mi *Calvine*, frater in Domino venerande. Sic enim te quam blandiore voce nominare et a te vicissim me compellari malo, ut Christi epitheta in usu nostro retineantur, quae multi ad gregarios milites germanicos et Catabaptistas relegaverunt. Bernae 20. Ianuarii 1557. Cupio te has lectas conscindere ne sint maiori in pretio quam tuae priores quas exussi ut iubebas.

N. tuus Zerchintes.

Parce lituris. Scribo enim tumultuarie et occupatissime.

---

4) *Chapitre de St. Victor. Causa Zerkintae probe nota.*

5) *N.* 2395.

6) *Hic vero civis Bernensis loquitur. Quidquid de toto hoc negotio ap. Ruchatium, Sponium, alios legitur et in ipsis literis huic thesauro insertis, plane aliter sonat. Et vel civitates mediatrices Bernensium postulata, utpote iniusta et vexatoria, improbabant.*

7) *Iac. des Ars.* (*Reg. du Conseil* 3. *dec.* 1556.)

8) *Quod iste tolerabile vocat interdictum!*

9) *Quae civitas a Marbachio et collegis in Lutheri castra transvecta fuit. Quo factum est ut et Vermilius abiret et ecclesia gallicana dispersa fuerit.*

10) *Ad hanc alludit quoque Calvinus N.* 2593, *verum non magis luculenter.*

Utinam conveniat inter civitates ante *Vireti* fratris carissimi obitum [11]) quem paralysis minatur nisi Dominus misereatur ecclesiae Lausannensis. Ne caeteris malis hoc quoque accedat ut locum *Vireti* interea turbulentus aliquis occupet, qui urbis et magistratus autoritate abutatur, ad suas cum Genevensi ecclesia de primatu concertationes muniendas etc. Nosti temporum et ingeniorum ad ista proclivitatem.

2586.

FARELLUS CALVINO.

Post diuturnum silentium recenset quae interea acta sunt: Bonnae oppositionem contra nova edicta de adulteriis, fratriae Calvini scelus, Carmeli electionem, Holbrachii de Pollano querelas.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 129, coll. cum Cod. 116, fol. 55, Epp. Bern. Tom. VI. p. 667 et Simleri Vol. 89.)

Eximio et valde insigni servo Christi, Ioanni Calvino, pastori ecclesiae Genevensis, theologo in Domino suspiciendo, fratri et symmystae.

Genevae.

S. Mirum sane est prius gaudere mihi datum fuisse de reddita bona valetudine, quam dolere super morbo, [1]) quem audio fuisse graviorem, et ecclesiae valde luctificum, quod deplorata esset valetudo, et se velut orbam videret. Adde, quod nihil accepi de vociferatione *Bonnae* et alterius, qui cum eo faciebat, quos sequuta est turba, ne plecterentur adulteria cum blasphemiis. [2]) Sane obstupui, dum pius frater symmysta hac transiens referret. Ago gratias Domino, quod opto in utroque cerno evenisse, ut tempus fert: Dominus percussit et sanavit, per Satanam te et pios exercuit ut vinceret. Verum in misero scorto [3]) rabiem exseruit suam, ut te quam gravissime ureret, tantumque non conficeret. Ita visum est Domino, te colaphos Satanae perferre, ut sua sis contentus gratia, et tandem incurabile malum ablegatum procul cures, pro quo benignus pater substituat fratri vere piam et castam, quae tui rationem habeat, domumque sobria, prudens et studiosa curet et ornet.

Collegae et reliquis fratribus refragabar super electionem, [4]) sed nunc video quid voluerit Dominus, qui nobis favit in tota actione, fecitque ut hactenus ex animi sententia successerit. Nam minus est notum et minus auditur de fratre electo, quam si vel maxime clam abire vellet. In praefecto vero qui te instantius salutari petiit, vidimus, quae summopere placuerunt, quae malo verbis audias ex his, quam minus recte scripta legas. Quum igitur *Caspar* probe sit animatus ad opus Domini et tuum sequi consilium paratus, tuas ages partes. Quod *Einardo* dicebam, priusquam eo iret, cuius et *Morellanum* et demum *Lonneum* [5]) admonui expedire videtur, ut illic eligantur idonei, non modo qui ibi doceant, verum etiam qui illinc alio emittantur ad tuendum iam partas ecclesias, verum insuper novas acquirendum. Nec puto te aliter sentire, modo summa id fiat cura et studio, nec dubito, quin huius eos admonueris, quod et facies, et nosti opus esse.

Holbraquius queritur de *Valerando* [6]) mala mente maloque animo turbis et ruinae incumbenti, cuius licet nota iam sit hypocrisis, tamen subinde pergit. *Holbraquius* multum defert tuis laboribus, qui plus afferrent fructus, si ecclesiam et quos oportet admonueris. Sed nosti quid expediat. Vale, tuam curato valetudinem studiosius. Christus te et ecclesiam servet a malo, repleatque omni benedictione. Saluta pios collegas et vicinos *Budaeos, Normandium, Triecium, Marchionem* et eiusmodi sancta pectora. Nostri te salutant. Neocomi 25. Ianuarii 1557.

Tuus Farellus.

2587.

HALLERUS BULLINGERO.

Inter Genevenses et Bernenses res in summo discrimine posita est ita ut ad bellum spectare videatur.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin B. Epp. Tom. 32, fol. 536. — Simler. Vol. 89.)

---

11) *cuius vitae tum temporis plurimi metuebant ob infirmiorem valetudinem. M. Septembri* 1556 *Genevam venerat medicos consulturus* (*N.* 2529. 2530. *et Reg. du Conseil* 31. *Aug.* 29. *Sept.*) *cf. etiam N.* 2608. *Sed non adeo imminens erat periculum.*

2586. 1) *Calvinus m. Novembri aegrotaverat.*

2) *Petrus Bonna ex vetere stirpe Genevensi oriundus a.* 1536 *Ducentis adscriptus,* 1541 *Senatui,* 1550 *et* 1555 *syndicus. Calvinus d.* 26. *Oct.* 1556 *edicta de blasphemis et scortatoribus renovari voluerat, quod Idib. Nov. a Ducentis factum est, sed in comitiis generalibus Bonna prae caeteris obloquente ut nimis severa reiecta sunt.*

3) *Antonii Calvini uxore.*

4) *Parisiensis ministri.*

5) *qui omnes antea Lutetiae fuerant. Cf.* 2581, *not.* 1.

6) *N.* 2567.

Genevense negotium valde nos turbat. Nunquam magis in procinctu res fuit, ut ad bellum aut turbas aliquas procedatur. Nam exsulibus Genevatibus concessum est invadere omnia Genevensium bona, quae in finibus ditionis Bernensis habent, si Genevenses pergant ipsis illorum bona invadere, quae ipsi adhuc habent Genevae. [1]) Itaque ad bellum et turbas omnia spectare, videntur, nisi Deus avertat. Non licet nobis *Calvino* aut aliis quidquam scribere, ne rempublicam prodere videamur. Vale et ignosce tumultuanter et summa quoque cum indignatione scribenti. Bernae die Caroli. [2])

H. tuus.

2588.

PERRUCELLUS CALVINO.

Exitus historiae Vesaliensis, tristissimum theologicae rabiei documentum. Francofurdiensis ecclesiae status vix minus deploratus ob intestinas discordias.

(Ex Bezae thesauro edit. Genev. p. 192, Laus. p. 380, Hanov. p. 426, Chouet p. 260, Amst. p. 119.)

Clarissimo viro, virtute et eruditione praestanti, Ioanni Calvino, fratri ac symmystae observando, ecclesiae Genevensis pastori.

Gratia et pax per Iesum Christum.

Clarissime vir ac frater in Domino plurimum observande, ubi viderunt Wesalienses [1]) concionatores de nostra controversia factum esse compromissum in sententiam *Philippi*, ac suas suggestiones non magni fieri, advocarunt quosdam e Frisia qui sua autoritate senatum monerent. [2]) Quod non infeliciter eis successit. Per eos enim effectum est, ut senatum facti compromissi poeniteret. Quare statim missus est Wittenbergam *Thomas* [3]) unus ex concionatoribus, qui *Philippo* Senatus sententiam indicaret. [4]) Vix Coloniam pervenerat tabellarius quem ad te misi, quum *Thomas* rediit Wittenberga. Nihil ad meas literas respondit *Philippus*. Rescripserat quidem D. Huberto *Langueto*, sed nostri literas suppresserunt, ut nobis omnium ignaris facilius imponerent, et nostri exsilii culpam a se removerent. Acceptis literis a *Philippo*, [5]) me et *Trihernum* [6]) Anglum virum doctum vocarunt in senatum. Nos autem, ne iuxta morem suum actionem nostram calumniarentur, ex nostris ecclesiis aliquot nobis adiunximus, qui essent loco testium. Non recitarunt integras literas *Philippi*, sed tres tantum versiculos ex iis decerptos, nimirum unum de coena Domini, alterum de baptismo, tertium de caeremoniis. Iis auditis permissum est nobis secedere deliberandi causa. Inter deliberandum visum est omnibus approbandam esse sententiam *Philippi*: quod et a nobis factum est. Nihil enim in ea continebatur, quod ecclesiarum nostrarum doctrinae adversaretur. Audita nostra responsione, iusserunt nos iterum secedere, ut ipsi inter se deliberarent. Reversis nobis dixit consul: Quum satis constet ex vestra confessione, vos omnino dissentire a nobis in articulo de coena Domini, nec *Philippi*, nec cuiusquam hominis autoritatem in ea re moramur: [7])

2587. 1) *Rem ita enarrat Ruchat* VI. 187: La plupart des fugitifs condamnés étoient comptables à la ville. C'est pourquoi on les proclama de nouveau à son de trompe, le 1r. janvier 1557 pour comparaitre en personne ou par procureur, pour rendre raison de leur conduite, sous peine de confiscation de leurs biens. * Ces gens-là recoururent, selon leur contumace, aux seigneurs de Berne, et par diverses insinuations malignes ils les animèrent plus que jamais contre les Genevois. Les Bernois étoient déjà piqués d'ailleurs de ce que les Genevois n'avoient jamais voulu déférer, ni à leurs prieres ni à celles des cantons, pour donner un sauf-conduit à ces gens-là. Ces fugitifs rapportèrent que les conseils de G. avoient défendu de leur donner aucune assistance sous peine de la tête et de la confiscation des biens des enfans posthumes au ventre de leur mère. Sur ces insinuations les Bernois écrivirent vivement aux Genevois le 23. janvier pour leur faire des reproches sur une pareille conduite. Ils les prièrent de laisser au moins parvenir à ces gens-là leurs biens, pour avoir de quoi se nourrir avec leurs familles. Comme ils sont présentement habitués de nos terres, disaient-ils, si vous avez quelque action personnelle contre eux, poursuivez-les par voie de justice dans les lieux de leur habitation: que si vous refusez de le faire et que vous persistiez dans le dessein de confisquer leurs biens, comme nous les avons reçus sous notre protection, nous leur donnons pouvoir d'user de représailles, par voie de justice, sur les biens de vos citoyens situés dans nos terres.

2) 28. *Ianuarii. Bullingerus annum addidit* 1557.

2588. 1) *Cf. N.* 2535. 2544. *et Riverii Memor. in Frkf. Rel. Hndl.* I. 284.

2) *De quibus ap. Wolters nihil.*

3) *Plateanus. Wolters p.* 183.

4) *Literae senatus ad Mel. ita conceptae erant ut is quid rei esset non bene perspicere posset. Loquebantur de erronibus ubique turbas facientibus et rogabant ut Moerlinus Vesaliam mitteretur, qui Lutheranorum coryphaeus habebatur.*

5) *Id. Nov. scriptis, in Corp. Ref.* VIII. 908 *mendose editis. Cf. Wolters et River. u. s.*

6) *Alias Traheronem* (*Trehern*) *non Tribernum ut W. habet.*

7) *Melanchthon sic scribebat:* Expellere receptos, si non sint aliae causae praeter has quae nunc proponuntur, durum esset. . . . . Non velim eos cogere ut nostris ritibus utantur. Sed quum propter linguam concedatur eis docendi ministerium in propriis congressibus malim eis etiam concedi

imo miramur vos tam praefracte et pertinaciter audere dissentire a tot sanctis et eruditis viris. Quare nisi velitis credere fateri et syngrapha testari illa duo axiomata vera esse, videlicet in coena Domini verum corpus Christi in pane contineri: item nos illud corpus non tantum mente, sed etiam ore sumere: iubemus ut omnes intra Calendas Martias hinc migretis. Audita sententia petiimus, ut saltem temporis spatium, quod nobis ad componendas res nostras concedebatur, ad Calendas Maias prorogaretur, quum non sit facile tot miseris hominibus intra illud tempus migrare: quum praesertim toto Februario adhuc saeviat hyems in illis regionibus, et difficulter navigetur adverso Rheno. Respondit consul esse quod illis ageremus gratias pro tanta erga nos humanitate, quum si vellent uti iure suo, nos bonis omnibus exuere, et praeterea a nobis poenas exigere possent. Ubi resciverunt concionatores huiusmodi sententiam in nos latam esse, coeperunt ex suggestu debacchari, et miris calumniis nos onerare, ut populum adversus nos concitarent, et praecipue quidam *Hermanus* [8]) primus autor huius tragoediae, cuius maiorne sit inscitia an impudentia, non satis scio. Nam semel pro concione ausus est dicere, nos nullam fidem verbis Christi habere, ac esse sceleratos sacramentorum contaminatores, qui instar luporum in gregem Domini irrepserimus, ut veras eius oves devoraremus, ac virus in Anglia haustum in eas evomeremus. Non periit illi sua opera, nam media luce a quodam ictus fui lapide. Alius me vesperi domum redeuntem pugno in pectore percussit. Nec defuerunt qui stricto gladio quosdam ex nostris invaderent, inclamantes eos esse sceleratos sacramentarios: et certe nisi sibi fuga consuluissent, periculum illis erat de vita.

Talis fuit exitus nostrae contentionis potius quam disceptationis Wesaliensis, de qua sane longe aliam spem conceperam. [9]) Dum sic Wesaliae accipimur, in hac ecclesia Francfordiensi ingravescebant contentiones, quae eo usque progressae sunt, ut parum abfuerit, quin aliquoties in ipso templo ad manus ventum sit. Ingemiscebant pii, nec se petulanti audaciae adversariorum audebant opponere, quum viderent eos hoc agere, ut gravem aliquem tumultum excitarent quo posset ecclesia everti. Optimus vir D. *Gulielmus* [10]) quantum in se erat, ruentes res sustinebat: sed adversarii multis calumniis effecerant, ut is apud N. [11]) non tantum haberet fidei, quantum perturbatus ecclesiae status postulabat. Interea hic resciscunt nos esse dimissos Wesalia. Deliberant de me advocando. Hoc significant *Clauburgo*, qui probat consilium, et iubet omnes lites in meum usque adventum sopiri. Mittitur ad me unus ex diaconis, qui circa brumam Wesaliam venit cum literis ab ecclesia, quibus obnixe a me petebatur, ut statim itineri me committerem. Convocavi fere omnes ex nostra ecclesia, ostendi illis literas, et dixi me nihil nisi ex eorum consilio facturum. Suaserunt omnes ne in tam praesenti periculo Francofordiensi ecclesiae deessem. Constitui res meas, quanta potui celeritate: et licet essent saevissimae tempestates, huius ecclesiae precibus obsequutus sum. Calendis huius mensis huc veni. Quatriduo post rediit a vobis tabellarius cum tuis ad me literis, [12]) in quibus benevolentiamne tuam, prudens consilium, an indefessum studium iuvandi ecclesias magis sim amplexatus, dicere non possum. Ingentem certe consolationem ex iis percepi, quum viderem me habere quod calumniatoribus opponerem: et praeterea liberari illa anxietate deligendi loci, in qua re nihil prorsus nisi ex tuo consilio facere constitueram. Itaque ago tibi ingentes gratias, et te obtestor, quum tanto affectu hanc ecclesiam (malitia eorum quos minime decebat paene letaliter vulneratam) sanandam susceperis, ne eidem suae valetudini Dei beneficio utcunque restitutae consilio, exhortatione ac sanctis precibus adesse te pigeat. Idem etiam tota ipsa ecclesia efflagitat. Vix dici potest quam impedita hic omnia invenerim: quo magis est nobis praedicandum Dei opus inter nos, quod intra paucos dies res multo in meliorem statum praeter spem humanam restitutae sunt: sublatae vero occasiones mali, quantum Dominus et videre et posse et praestare concessit. Perendie (Deo iuvante) aliquot mensibus intermissam coenam Domini celebrabimus. Angustia temporis cogit nos festinantius quam cuperemus, agere. Wesaliam enim mihi properandum est, ut quantum in me est miseris illis reliquiis consulam. [13]) Nam non ita multum superest ex tempore illis concesso ad res suas componendas. Wesalia erit mihi eundum A. [14]) siquidem hoc a me flagitat ecclesia. Vix potero huc redire ante mercatum. Vale, clarissime vir et observande frater: peto ut ignoscas mearum literarum

usum sacramentorum inter suos . . . . . Mea voce expelli istos hospites, postquam recepti sunt, non velim. . . . . Spero eam esse Ill. Principis Iuliacensis et civium Wesaliensium pietatem, ut quum praebuerint hospitium tot familiis non sint eas expulsuri, quum quidem spes sit conciliationis, ac interea eis concedi proprium ministerium posset.

8) *Stein* (*Wolters* 181.)

9) Exsulibus gallicis et anglicis doleo meam intercessionem lenissime scriptam non profuisse ap. Faesulanos *Mel. ad Languetum* 29. *Mart.* 1557. *Corp. Ref.* IX. 121.

10) *Holbrac.*

11) *Glauburgum? Verum hunc infra nominat.*

12) *N.* 2564.

13) Fratres Wesalienses non deserui, quin ad eos sum reversus ut ipsos consolarer iisque pro virili mea succurrerem usque ad id tempus quod abitioni eorum praestitutum fuerat. (*River. Mem.* 285.)

14) *Antwerpiam? Aemdenam?*

prolixitati. Deus conservet te, ac totam vestram ecclesiam, cuius precibus afflictum hunc gregem commendamus. Francofordiae, quarto Calendas Febr. 1557.

Tibi addictissimus Franciscus Perrucellus.

2589.

LE SÉNAT DE GENÈVE A CELUI DE BERNE.

Réponse aux réclamations formulées dans l'intérêt des exilés.

(Minute originale corrigée par Calvin: *responsive a celle de Berne par laquelle jlz menacoient denvahir nos biens.* Arch. de Genève. Lettres de la Seigneurie. Année 1557. — Lettres fr. II. 117. Trad. angl. III. 309.)

Magnificques puissans et treshonores seigneurs, noz amyables voluntaires et affectionnees recommandations premises, nous avons receu voz lettres dactees du 23 du present mois de Ianvier, [1]) esquelles vous usez envers nous de rigueur qui ne semble point convenir a bons amys et voisins. Il vous plaira de pardonner a la tristesse quavons conceue [2]) des propoz que vous tenes. Car si vous pretendiez, comme vous dictes, nous faire requeste *amiable,* [3]) la facon nestoit pas de nous iniurier en disant que nous avons tenu une procedure inhumaine, et nous semble que la reverence et modestie que nous gardons envers vous, merite bien ung petit plus grande doulceur. Au reste, quant au faict dont vous nous escrivez, nous voions que vous avez este mal advertis en partie, car iamais nous navons faict proclamer Amy *Perrin* et ses consors sur peine de confiscation de leurs biens, et iamais navons use de ce mot. De vostre part vous ne debvez trouver estrange que ceulx qui ont manie et retenu noz deniers fiscaulx, soient adiournez pour venir rendre compte devant ceulx ausquelz la charge en est commise. En cela, il ny a nulle nouveaulte, ce nous semble. Vous alleguez que ce leur est chose impossible, mais lexemple de Pierre *Vandel* monstre bien le contraire, car estant du nombre, il a trouve moien dappoincter et faire debvoir, scachant bien que par raison et equite, il ne pouvoit eschaper. Mesmes nous estimons quapres nous avoir contentes, ne luy ne son procureur ne se plaignent pas que nous leur ayons faict aucun tort, ou que nous les aions mal traictez. Parquoy Amy *Perrin*, usant de subterfuge, monstre bien quil ne veult satisfaire ne paier ce quil doibt. Il y a environ vingt ans quil a manie les deniers du revenu de nostre ville. Il y est survenu depuis ce temps la beaucoup de troubles en nostre ville, qui ont empesche quil ne rendit point compte: *combien quon na pas laisse ce pendant de linterpeller plusieurs fois, et le sommer de saquiter. Ce quil na faict.* [4]) Quoy quil en soit, cest pour le moins quil les rende a ceste heure, et quil satisface de la somme en laquelle il sera trouve redebvable. [5]) Quant a ce que vous dictes que nous avons deffendu de donner ayde ne faveur a luy ny a ses consors, iusques a pugnir les enfants postumes, il nous faict mal quant tant de choses vous sont rapportees du tout frivolles, quelles sont si facillement receues. Nous ne ferons point comparaison de vous a nous, car nous scavons bien quelle est nostre petitesse, non seulement en puissance, mais aussi en scavoir. Ainsy il nest ia besoing de dire, quant telles choses nous seroient rapportees de vous, que nous ne les vouldrions iamais penser. Mais si on nous les disoit de noz semblables ou sil sen trouvoit de moindres que nous, encores vouldrions nous enquerir devant que iuger. Vray est que nous avons donne une sentence qui tournera au dommaige des enfans orphelins dun trespasse, et mesmes dun postume. [6]) Mais elle nest pas fondee sur ce quon vous a donne a entendre, et pensons bien, quant vous eussiez eu a iuger en nostre lieu, que vous nen eussiez pas faict moins, car nous vous estimons si prudens seigneurs et si bien affectionnez a vostre estat public, que si ung de voz bourgeois avoit declaire quil desiroit qua ses despens on poursuyvit a molester la communaulte, que vous ne lespargneriez point, et tant moins le bien quil auroit expose en

---

2589. 1) *comp. N.* 2587.
2) recene *Bt.*
3) *ce mot ajouté par Calvin.*
4) *autogr. de Calvin.*
5) recevable *Bt.*
6) *Ruchat* VI. 187: Un Genevois beau-frère du capitaine-général (*Perrin*) légua 500 écus aux fugitifs par son testament pour poursuivre leur cause contre les magistrats de Genève, auxquels cependant il avoit témoigné, avant sa maladie, être attaché. A cette occasion les magistrats confisquèrent son bien. — *Il s'agit là de Gaspard Favre, mort en* 1556. *Il laissa un fils posthume, Jean Favre, qui fut plus tard premier syndic. C'est pour cette raison que les fugitifs accusèrent* les Conseils de G. d'avoir defendu de leur donner assistance sous peine de la tête et de la confiscation des biens des enfans posthumes au ventre de leur mere. *Cependant le Conseil était revenu en partie, dès le* 8. *Nov., sur son décret:* Arrêté à la réquisition des parents de la famille Favre, entre autres de L. Dufour, que si la veuve de G. Favre accouche d'un fils la Seigneurie lui rendra une partie des biens de son père. (*Picot* II. 70.)

chose si meschante. *Toutefois il ny a iamais eu defense si rigoreuse, comme on la vous a donne a entendre. Et lexperience la monstre, veu que iammais nul des condamnez na este prive de poursuivre son droict par faulte de procureur, en toutes causes particulieres, tant pour defendre leur bien quen tout ce qui nattouchoit point le proces criminel, auquel il falloit bien quilz respondissent en personnes.* [4]) Ainsi nous vous prions au lieu descouter ces bruitz tant frivoles, quil vous plaise scavoir la verite devant que nous condamner.

En ce que vous nous reprochez qua vostre requeste, et des treshaults magnifiques et tresredoubtes seigneurs des Ligues, nous navons point voulu octroier saufconduict au dict *Perrin* et a ses adherants pour se iustiffier en leurs crimes, nous pensions bien vous avoir contentez par noz excuses tant raisonnables. Pour le moins nous esperons que les treshaults magnifiques et tresredoubtes seigneurs des Ligues congnoistront et ont deia congneu que nous ne pouvions mieulx faire que ce que nous avons faict. Or combien que nous esperons aussi que vous serez moderez et appaisez par ceste response, pour nous laisser poursuyvre nostre droict, toutesfois nous sommes contrainctz de replicquer ung mot sur la menace que vous nous faictes de donner conge audict *Perrin* et a ses adherantz denvahir noz bieus par iustice. Premierement le mot emporte dusurper par force, ce que nous trouvons bien estrange, veu quil nest question que de faire rendre compte a ung receveur de ville du bien quil a detenu de la communaulte. Nous estimons bien que vous ne nous vouldriez faire pis que le duc de *Savoie*, soubz lequel ung nomme Bernard *Boulet*, qui avoit manie les deniers de la ville, fust contrainct den venir rendre icy compte, combien que fust fuytif. [7]) Mais puis que vous nous menassez de main forte, jl ne vous desplaira pas que nous protestons quen tel cas nous serons contrainctz den faire noz plaintes vers voz amys et alliez ou nous pensons trouver secours et remede. [8]) Nous scavons bien que vous avez adiouste le mot de iustice, mais quant vous parlez de saisir noz biens par invasion, nous navons aultre refuge, sinon *dinvoquer celluy qui a promis de subvenir a ceux qui sont foullez. Car nous tascherons de nostre coste davoir tousiours accez a luy en bonne conscience. Et puis* [4]) nous en demanderons iustice en lieu ou nous la pourrons obtenir. Toutesfois nous pensons bien que selon vostre prudence et equite, vous souffrirez paisiblement que par voie ordinaire de iustice nous cherchions nostre droict, et vous prions au nom de Dieu de vous moderer en sorte que nous puissions en nostre petitesse nous maintenir en nostre estat, en vous faisant tous les services que nous pourrons, comme nous avons delibere de nous y emploier avec la grace de Dieu, auquel prions quil vous conserve en sa saincte grace. De Geneve ce 29. de Ianvier 1557.

Les sindicques, petit et grand conseil nomme des Deux Cens de Geneve, voz bons voysins et amys.

7) *Voyez Roget, les Suisses et Genève* I. 200 *ss.*

8) *Au mois d'Avril Genève demanda l'intervention de la drète à Baden.* (*Ruchat* VI. 188.)

2590.

VIRETUS CALVINO.

Transactiones cum Bertelerio paucis attingit: item quae in comitiis Badensibus de Genevatum negotio actum et declaratum sit.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 51.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino fido Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae observando.

Genevae.

S. Longum esset narrare quid heri cum *Berthelerio* egerim. [1]) Hoc eum male habet quod noluerim nisi iure nostram dirimi litem et decidi. Nunquam vidi abiectiorem et modestiorem, si modo ulla potest in homine species apparere modestiae. Non dubito quin pessimam gratiam ineam hac mea severitate et pertinacia (ut interpretabuntur) apud eos qui de componenda lite admonuerunt. Etsi serio saepius admonitus recusavi, dubium tamen mihi non est quin denuo et saepius hac de re compeller. Nihil scribo de iniquitate nostrorum in me in hac causa. Audies de tabellario plenius historiam.

Dictus est nobis dies ad persequendam litem in senatu 10. Febru. Quum vero *Berthelerius* et caeteri coniurati non cessant iactare se coram foederatis Helvetiis obtulisse ad tuendam suam innocentiam et patefaciendam Genevatum iniquitatem et tyrannidem, velim apud me exemplar habere scripti illius quo in comitiis Badensibus a legatis Helveticarum urbium declaratum est quae esset

2590. 1) *De causa Vireti contra Bertelerium supra saepius* (*N.* 2364. 2381. 2386. 2394. 2396. 2409. 2413).

eorum de Genevatibus opinio et sententia. [2]) Nam et mihi in mea causa usui esse poterit, et alibi apud amicos, ad coarguendam horum inanem iactantiam.

De rebus nostris nihil est quod scribam. Multam dicit salutem uxor et fratres omnes. Mitto ad te literas *Farelli* ex quibus intelliges quid constitutum sit in classe Neocomensi de *Casparis* profectione. [3]) Vale optime et diutissime. Lausannae 29. Ianuarii. [4])

Tuus Petrus Viretus.

2591.

CALVINUS VERMILIO.

Persuadere ei vult ut Genevam concedat relicto Turico.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 152. — Habent etiam Turretinus Cod. 108, fol. 86, Epp. Bern. Tom. VI. p. 705 et Simlerus Vol. 89. Versio anglica exstat Tom. III. p. 313.)

Clarissimo viro et fideli Christi servo D. Petro Martyri ecclesiae Tigurinae doctori fratri mihi observando.

Tiguri.

S. Ut tibi mea ad *Westphalum* eiusque sodales responsio [1]) placuerit (nolo enim male ante tempus ominari) certior per hunc nuncium fieri cupio. Qualecunque tamen erit tuum iudicium, libere mihi explica. Neque vero mirum erit si forte non prorsus tibi faciat satis mea agendi ratio, quam saepe mutare conatus sum. Quum tamen non alia occurreret melior, opus pertexui sicuti inchoatum erat. Aliqua etiam ex parte culpam diluet vel levabit festinatio. Sed ne tibi praeiudicare videar, omni excusatione supersedeo.

Et nunc alia gravioris momenti causa mihi agenda est, ut te ad suscipiendam novam vocationem exhorter. [2]) Video quam nunc provinciam sustineas, quam longe pateat laboris tui utilitas, quanti intersit ex insigni schola prodire verbi ministros probe institutos, quam multa loca irrigent qui ex Tigurino fonte defluunt rivi. Itaque parum abfuit quin me partim religio partim etiam pudor cohibuerit, ne verbum de te accersendo facere auderem. Sed dum altera ex parte mihi et suam necessitatem obiiciunt populares tui, ignosce si magis in hanc partem inclino. Me forte idem desiderium sua vehementia nimis impellit, atque ideo rogantis partes suscipere malo quam hortantis. Quanquam non ita caecutire mihi videor, quin te hortari audeam ad ferendas genti tuae suppetias, quando et magni momenti res est incolumem tueri huius ecclesiae statum. Neque alius quisquam idoneus occurrit. Equidem quanto haec conditio tua facultate inferior sit non ignoro. Sed alia erit operae locandae ratio, si Gallos quoque in scripturae interpretatione iuvare non graveris. Nam vel alternis legemus nos duo, vel quod magis placeret, essetque meo iudicio utilius, totum onus tibi resignabo, quoad tua commoditas feret. Neque enim est quod te difficultas moretur, quando tui arbitrii moderatio erit. Caeterum quia tui iuris non es, restat ut te ecclesiae cui obstrictus es iudicio permittas. Tantum hoc abs te impetratum cupio ut, si tibi data fuerit libertas, ne quid cuncteris. Vale, ornatissime vir et mihi in Domino venerande frater. Salutant te plurimum collegae omnes mei. A D. *Marchione* salutem non adscribo quia literas ab eo recipies. Dominus te spiritu suo regere, virtute fulcire et praesidio tueri pergat. Genevae pridie Calendas Februarias 1557.

Ioannes Calvinus tuus.

2592.

CALVINUS INCERTO. [1])

Consolatur eum in certis quibusdam angustiis positum et dubiis vexatum, de quorum natura tamen ex autoris verbis nihil fere elici potest.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 189, Laus. p. 379, Hanov. p. 425, Chouet p. 257, Amst. p. 117. Gallice versa legitur in edit. Berol. p. 252.)

---

2) *In Commentariis senatus ad Cal. Febr. relatum legimus Vireto quod petebat concessum esse.*

3) *N.* 2577. 2579. 2586. *Idibus Martiis Geneva transiit Lutetiam petiturus (Reg. de la Comp.)*

4) *De anno ex iis factis ad quae hic alluditur non est quod dubites.*

2591. 1) *secunda scil. quae tamen iam ante annum prodierat.*

2) *De priore vide N.* 2089. 2142. *De hac nova Schmidt Verm.* 206. *In coetu Italorum Genevensi habebat suos amicos Martinengum et Caracciolum, quorum hic eum praeceptorem agnoscebat.*

2592. 1) *Quem in Gallia quaerendum esse vero simile est.*

Nunquam de te cogitare possum, quod subinde tamen facere soleo, quin pro meo erga te amore et communi inter nos pietatis sensu magnopere tibi condoleam. Neque mihi dubium est, quin tu inter opes ac delitias quae tibi affluunt dies noctesque anxius suspires. Quanquam hoc longe praestat, quam si in tam periculosa statione securus quiescerres. Proinde sic te in molestissimis istis curis, quae te angunt ac cruciant, solari cupio, ut eas tibi penitus eximere neque audeam neque velim. Quo magis sortem tuam displicere tibi necesse est: in qua nihil reperis melius, quam gravem acerbumque miseriae tuae sensum. Adeoque tibi expedit acriter vellicari, ut nihil magis timendum sit, quam ne lentae punctiones tibi callum obducant. Quoties ergo te sollicitat et urit conscientia, memineris tuas esse partes stimulos istos acuere potius quam retundere, scintillas accendere potius quam suffocare. Aliter plurimi: qui ut omnem tristitiae materiam procul abigant, non modo facessere jubent salubres Dei monitiones, sed mortiferam et Dei et sui oblivionem inducere sibi conantur. Tibi vero, quemadmodum iam dixi, multo utilius assidua inquietudine vexari, quam sub tali tamque exitiali veterno sopitum iacere. Caeterum malis tuis ita affici te oportet ut serio adspires ad remedium. Video quantae tibi difficultates obstent. Sed amanti nihil arduum. Deinde si ex animo laqueos istos exuere cupies, quibus nunc implicitus teneris, habes qui eos vel expediat vel abrumpat. Si emergere appetes ex luto in quo defixus haeres, habes qui tibi manum e coelo porrigat. Dominus certe viam inveniet: modo ne eius auxilio tu desis. Satis et super hactenus deliberando fluctuatus es. In re tam certa mature statuendum quid facto sit opus, et quod statueris, strenue et celeriter exsequendum. Paucos videmus qui sponte ac praesenti animo quaecunque occurrunt obstacula superent. Verum si pauci nos ad imitationem virtutis suae invitant, terreant nos eorum exempla qui tarditatis nimiae poenas dederunt. Quanquam ut nullus sit hominum respectus, una coelestis magistri autoritas sufficere nobis debet. Itaque hanc tibi solam obiicio: sicuti eam, ubi animum tuum excitaveris, tibi confido tanti fore ut amplius nihil requiras. Et nunc quid restat, nisi ut vincat ille, cui nos omnes in obsequium, absque certamine, addici convenit? Vale dilectissime frater. 31. Ianuarii 1557.

2593.

CALVINUS FARELLO.

Queritur de Bernensium insolentia, de iniuria fratri et Normandio facta, de domesticis etiam molestiis. Attingit denique Carmeli iter Parisiense.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 153. Apud Turretinum exstat Cod. 108, fol. 86 v., apud Simlerum Vol. 89 et in Epp. Bern. VI. p. 707. Versio anglica III. 314.)

Fidelissimo Christi servo et symmystae amicissimo D. Guillelmo Farello.

Neocomi.

S. Mi *Farelle*, praeter aperta certamina non credas quam multis insidiis et clandestinis artibus quotidie nos adoriatur Satan. Ergo ut tranquillus sit communis status, non omnibus licet quiescere. Iam quum intus multi lateant hostes, quorum tamen pars aliqua gestit emergere, atrociter nobis minitantur vicini. [1]) Atque utinam se eorum intemperies intra minas cohiberet. Sed ubi data est occasio, virus odii sui effundunt: quod nuper frater meus et *Normandius* sunt experti. Nam quum ex proprio illorum edicto agerent contra *Perrinum*, [2]) non satis fuit, ius ipsis certissimum abiudicare, nisi etiam litis impensae in eorum capita reciderent. Caeterum quam contumeliose nostros omnes exagitent, incredibile est.

Malis tamen intestinis plurimum gravamur. De urbe loquor, quia domestica fere obruunt. Non inveniunt iudices rationem, qua liberetur frater meus. [3]) Ego quidem hanc eorum caecitatem iustam nostrae caecitatis poenam interpretor, quia toto fere biennio, quum a fure [4]) expilarer, nihil vidi. Frater meus furem et adulterum non animadvertit. Verum si exitus non erit iudicio, decretum est alia via perrumpere. Hoc tamen verbo te moveri nolim, donec maior necessitas urgebit.

De fratris nostri *Gasparis* profectione nullos audiri rumores, quod semper timueram, gaudeo. Quia longum erit per nos iter, hac molestia libenter eum levassem. Ipse pro sua commoditate statuat, sibine literas mitti velit an hic in transitu accipere. Scholae vestrae delectus est homo aptissimus nisi me fallit opinio. Eleganter et nitide scribit, praeditus est ea dexteritate, quae vestratibus sufficiat, aliis etiam dotibus ad parandam autoritatem ornatus est.

2593. 1) *Bernenses. N.* 2587. 2589.
2) *De hac causa nihil certi nobis constat.*
3) *divortium quaerens cf. Reg. du Conseil* 18. *Ian.*
4) *Petro Daguet eius famulo* (*vide ib.* 25. *Ian.*), *qui ipse erat fratriae Calvini adulter.*

Reliqua tibi melius narrabunt nuncii. Vale, optime et integerrime frater. Saluta meo nomine D. Praefectum diligenter et reliquos amicos. Erga collegas nuncii officium hoc praestabunt. Dominus vos semper tueatur, sustineat, gubernet, confirmet usque in finem. Precibus vestris inter graves anxietates me commendo. Genevae 3. Nonas Februarii 1557.

Ioannes Calvinus tuus.

Nostri omnes quibus salutem precatus es, plurimum te vicissim resalutant.

2594.

SCHALLINGIUS [1]) CALVINO.

Pax inter ecclesias evangelicas nunc si unquam desideranda et procuranda ne quid respublica christiana detrimenti capiat ab exteris hostibus. Facile quidem instaurandam videri si utrique Augustanae sincere subscribere vellent. In hanc finem Calvino lutheranam formulam commendat ut unice veram et scripturae conformem et patrum effatis.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 152.)

Reverendo viro eruditione et virtute praestanti D. Ioanni Calvino docenti evangelium in ecclesia Genevensi domino et praeceptori unice colendo.

S. D. Reverende vir, etsi omnibus aetatibus religioni plurimum obfuerunt docentium in ecclesia dissensiones, tamen in extrema mundi senecta maiorem animorum et sententiarum fore distractionem certum est. Crescet enim rabies diaboli et ingeniorum petulantia. Adiungamus igitur vota nostra precibus filii Dei ut omnes unum in ipso simus. Amemus et tueamur singuli concordiam: sed ita ne, dum paci studemus, veritatis et sanae doctrinae iacturam faciamus.

Ortum est, ut nosti, in ecclesiis evangelium profitentibus certamen de modo praesentiae Christi in eucharistia, ac certe maluissent nostri perpetuam esse omnium ecclesiarum concordiam. Sed quum alienis interpretationibus veritatem verborum Christi evacuari iudicarent, necessario sese opposuerunt. Et dolent ex animo tentatam pacificationem ad finem non perductam, sed adhuc esse divisas ecclesias.

Equidem semper optavi convenire praecipuos utriusque partis doctores, ut placide sententias conferrent. Quod quum hactenus factum non sit, oro filium Dei ut excitet nostrorum principum et magistratuum animos, ut diuturna ecclesiarum dissensione moti tandem de reducenda pace serio cogitent. Atque utinam in docentium numero non essent qui malint discordias serere quam componere.

Etsi autem meae quum eruditionis tum autoritatis tenuitatem agnosco, tamen ab eo tempore quo ad ministerium evangelii sum vocatus cum multis piis et eruditis hominibus contuli, quum de aliis tum de hac ipsa controversia. Quumque vestrae civitatis bibliopola Iacobus *Derbille* hisce comitiis ad nos venisset, saepius illi meum dolorem exposui, quod tam inter se disiunctae essent ecclesiae. Nunc vero ad te quoque scribo, et amanter peto ne malam in partem interpreteris, vel insidiose fieri statuas quod pacis et veritatis inquirendae studio feci.

Inquisivi diligenter veteris ecclesiae testimonia: legi ea quae vos scripsistis: perpendi singula diligenter: verum nullas inveni rationes idoneas quae a nostrarum ecclesiarum sententia me dimoverent. Illud tamen animadverti, et rectius vos loqui iis qui primi nostras impugnarunt ecclesias, et a paucis nostrarum ecclesiarum sententiam probe intellectam. Non enim docent praesentiam localem, non inclusionem, non manducationem sensibilem, neque praesentiam Christi pani et vino extra sumptionem alligant, sed in sumptione Christum vere et substantialiter praesentem asserunt, et ipsius corpus ac sanguinem modo quodam insensibili, quem investigare nolumus, vere tamen et substantialiter sumi ab omnibus, qui de pane et vino communicant, sicut verba sonant: Accipite, comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis traditur, bibite, hic est sanguis meus novi testamenti qui pro vobis et multis effunditur etc. Omnino hanc sententiam evangelistarum et Pauli consensus ac veteris ecclesiae testimonia confirmant.

Tota igitur controversia duabus in rebus consistit: primum, an panis vere sit corpus Christi, seu (ut nos loquimur declarandi causa, ne vel transsubstantiationem vel consubstantiationem vel tale quidquam asserere videamur) an cum pane et vino detur substantia carnis et sanguinis Christi? deinde, an indigni quoque substantiam carnis et sanguinis Christi accipiant? Vos utrumque negatis, et dignis

---

2594. 1) *Mel. ad Wolfg. princ. Palat.* 25. *Ian.* 1557: In ecclesia Ratisb. docet evangelium pie et fideliter vir venerandus Mt. Schallingius natus patre pastore ecclesiae cuiusdam in urbe Argentorato. *Apud scriptores hic passim cum patre Martino confunditur qui fuerat Buceri amicus et reformator comitatus Fleckenstein, pastor in Weitersweiler Alsatiae inferioris.* (*Roehr.* II. 232. 260) *Bindseilius male nomen Schelling effert. Filius a.* 1608 *obiisse dicitur.*

quidem efficaciam corporis et sanguinis Christi, non substantiam, indignis vero neque efficaciam neque substantiam conceditis. Nos utrumque affirmamus, et dignis quidem quum substantiae tum efficaciae, indignis solius substantiae non efficaciae perceptionem concedimus, eo quod vera fide praediti non sint, quae sola efficit ut eum finem consequamur in quem coena instituta est. Ac videntur vestri confundere quaestiones inter se diversas, quid accipiant et ad quid accipiant. Rogati quid detur, respondent: efficacia corporis et sanguinis Christi. At nos cum s. scriptura et ss. patribus ita respondemus: dari corpus et sanguinem Christi. Ad quid? ut nos efficaciae carnis et sanguinis illius participes fiamus.

Haec est nostrarum ecclesiarum doctrina, quam ego fideliter amplector et nostri in Augustana confessione complexi sunt, et quum in adiuncta Apologia tum aliis scriptis constanter defenderunt. Ac Deum testor, nihil me videre quod a veritate sit alienum. Quod si tu existimas errore me deceptum, oro ut indices ubinam error lateat, et quibus potissimum rationibus nostram impugnari posse iudices sententiam. Deinde et te et alios vestrae ecclesiae doctores hortor, propter gloriam Dei et ecclesiae salutem: pie perpendant quantum impedierit evangelii propagationem hoc ipsum dissidium. Rident adversarii, coniungunt sese quam arctissime. Episcopi in hisce comitiis cum theologis quibusdam, *Wicelio, Staphylo*[2]) et aliis quotidie fere conveniunt ut adversus Christum consilium quaerant. Sparguntur nova deliria quotidie a fanaticis et revocantur damnata. Petrus *Conyza*[3]) renovat in Lituania Serveticam blasphemiam. *Canisius*, Iesuitarum per Germaniam praefectus,[4]) negat filium Dei iam invocandum tanquam intercessorem, ut stabiliat invocationem mortuorum. De his tantis rebus nos conferre oportebat, et exstare cupiunt omnes nostrarum ecclesiarum coniuncta contra illos testimonia. Interea nos mutuis vulneribus conficimur. Quaeramus ergo tandem pacem Hierusalem, et non modo verbis sed et sententiis consentiamus. Quod tum fiet si utrique non modo verbis sed et sensui confessionis Augustanae subscripserimus. Quod ut fiat ex animo precor. Feliciter vale. Ratisb. 4. Febr. 1557.

Te reverenter colens
Martinus Schallingius.

2595.

BLAURERUS BULLINGERO.

Bellum inter Genevam et Bernam instans anxie praevidet et Calvino sublato rempublicam pessime habituram. Iterum de novo calefaciendi invento verba facit.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 163, olim Scrin. B. Epp. Tom. 28, fol. 436. — Simler. Vol. 89.)

Praestantissimo viro D. Heinrico Bullingero fratri et amico suo incomparabili.

Zürich.

— — — — — — — — — — — — — — — — — —

— — Genevensium et Bernatum gliscens nunc infaustum bellum supra modum me excruciat, quum praesertim neminem audiam, qui partes hic suas ea qua oportet sollicitudine studio ac diligentia interponat. Multi anxie metuunt, ne Genevensi reipublicae istuc, quod superioribus annis Monasteriensi accidat, ubi primum *Calvinus* noster vel morte vel alio quopiam casu ipsis adimatur: tantisper enim, dum ille in vivis ac praesens est, coerceri quorundam monstrosam intemperiem, qui eo sublato mox semel erupturi et quod diu aluerunt monstrum uno velut impetu effusuri sint, ut assidue nobis comprecandus sit princeps pacis Christus noster quo ecclesiae illius curam et patrocinium ipse suscipiat. Quid tibi in hac causa futurum videatur ne me celes ob-

---

2) *Georgius Wicelius tunc temporis erat Electori Moguntino a consiliis* (*Strobel, Beitr. z. Lit. B.* II. *Kampschulte, de Wicelio eiusque studiis* 1856) *Frid. Staphylus Osnabrugensis qui et ipse ad sacra pontificia redierat, tunc Imperatori Ferdinando serviebat.* (*Strobel, Misc. I. Planck, Lehrb. IV.*)

3) *Alias Gonesius, Lubien. p.* 111: Fuit is natione Polonus e Podlachia oriundus (*Goniadzensis teste Sandio Bibl.* 40, *Bialensis sec. Salig* II. 624) qui studiorum causa exteras nationes peragrans Genevenses et Wittebergenses de rebus fidei docentes audivit. *Helvetiam adiisse videtur non ita multo post Serveti mortem. In Moravia cum Anabaptistis familiaritatem iniit. Post reditum in patriam ineunte a.* 1556 *in synodo Seceminensi placita sua antitrinitaria palam professus est. A synodalibus cum literis ad Melanthonem missus est* per quas consilium eius de elucidandis fidei de Deo et Christo articulis *requirebatur. Mel. ad Camerar.* 20. *Febr.* 1556 *in Corp. Ref. p.* 677): Hospes est Lituanus in academia nostra qui Serveticas reliquias ex Italia affert et est homo facundus *καὶ σκωπτικός*. Ecclesiae Polonicae, quae cum ad me miserunt, graviter scripserunt se non discessuras esse a nostro consensu. *Caeterum Melanchthon eum haudquaquam in suam recepit familiaritatem. Postquam in Poloniam rediit eodem anno autore Lismanino doctrina eius, utpote Arianismum redolens damnata fuit: quod tamen quominus eadem latius serperet non impedivit.* (*Fock, Socin.* 143. *Lukaszewicz. Gesch. d. ref. K. in Lithauen* II. 69 *etc.*)

4) *Qui Wormatiae adfuit in colloquio Catholicorum orator.*

secro, deinde an verum sit, quod hic iam spargi coeptum est, inventum illud C. Z.[1]) consobrini et suorum, omnibus fere mortalibus utilissimum, de commoda lignorum parsimonia, vestros ipso usu feliciter iam auspicatos, quod ipsum et Argentoratenses conentur. Magna est nec minus impatiens multorum de hoc Domini dono exspectatio. Dominus ipse suapte manu omnia maturet. — — — — — — — datum d. 8. tag Hornung 1557.

2596.

MUSCULUS BLAURERO.

Etiam hic de dissidio inter utramque rempublicam, ita tamen ut aequius iudicet nec culpam, ut populares solebant, in solos Genevenses reiiciat.

(Excerptum ex autographo Cod. Sangall. MSS. 37, Epp. Tom. VIII. fol. 125, coll. c. Cod. Turic. F. 43, olim VIII. fol. 712 v. Simler. Vol. 89.)

Eximio Iesu Christi servo D. Ambr. Blaurero Bielensis ecclesiae fido ministro symmystae et fratri mihi semper venerando.

— — — — — — — — — — — — — —

— — Caeterum de Genevensibus opto et ipse ex animo ut vanum sit quod metuo. Non credis, quam dissidium hoc inter duas istas respublicas quotidie augescat. Neutra cedit. Pergit utraque, ut coepit. Interposuerunt se civitates amicae, sed in hunc usque diem frustra. Quare orandus est Dominus, ut fluctus hosce compescat et conatus Satanae refringat. Optime vale, frater in Domino carissime. — — — — — — — — — Bernae 16. Februarii 1557.

Wolfgang. Musculus tuus
in Domino.

2595. 1) *Conradi Zwickii v.* 2559. 2571.

2597.

CALVINUS BULLINGERO.

Cupit edoceri in quo statu negotium sit foederis cum Bernatibus renovandi mediationi aliarum civitatum commissum.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 30. Exstat etiam in Cod. Genev. 111b, fol. 5, in Epp. Bern. VI, p. 685 et ap. Simlerum Vol. 89.)

Eximio Christi ministro D. Henricho Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori fidelissimo fratri et symmystae colendissimo.

S. Quoniam a *Macarii* nostri reditu[1]) nihil istinc vel literis vel rumore allatum est, hunc nuncium vehementer gavisus fui mihi commode esse oblatum, per quem aliquid abs te elicerem, si ita foret tua commoditas. Ex tanto silentio coniicimus nihil fuisse actum. Cur autem cessare visum sit, nobis difficile est suspicari. Nuper vicini nostri atrocius minati sunt nobis,[2]) quam ut probabile sit diu quietos et pacatos fore. Nullae iam literae nisi contumeliis terroribusque refertae. Quia vero nostros longior mora iam anxios tenet, et novae istae punctiones accedunt, te, frater venerande, etiam atque etiam rogatum velim ut mihi significes quid inter se consultaverint tres urbes,[3]) quid deinde sint expertae, quo res sit in statu, quis sperandus exitus et quousque protrahetur actio. Pluribus non est opus apud te. Solum tibi curae erit ne vacuus ad nos hic nuncius redeat, quem libro nondum absoluto[4]) oneravi, non ut tibi gravis sit ac molesta lectio, sed ut videas quantum sit otii nostris typographis, quibus vacat haec edere: simul etiam ut discat D. *Petrus Martyr*, ubi meos abortus in lucem trahi videt, maturos foetus emittere.[5])

Quando ad nos venturi sitis nescio:[6]) venturos quidem persuasus sum, et iam appropinquat tempus, nisi forte in Aprilem differre libeat. Sed eum mensem elabi nolim. Tunc etiam aliquid ex nundinis habebimus de quo inter nos deliberandum

2597. 1) *qui videtur Turicum missus fuisse istius negotii causa.*
2) *vide N.* 2589.
3) *Turicum, Basilea, Schaffhusia.*
4) *Comm. in Oseam, cuius praefatio scripta fuit Idib. Febr.* L'an 1557 il mit en lumiere son Commentaire sur les Pseaumes. Aussi furent imprimees ses leçons sur Osée (*Colladon*) *scil. a Io. Budaeo exceptae ut fert titulus ed. principis Genev.* 1557. 4.
5) *qui scil. tardior erat in vulgandis suis lucubrationibus.*
6) *videtur Turicenses collegas invitasse: sed non venerunt.*

erit. Vale, ornatissime vir et frater mihi honorande. Collegae mei et reliqui amici te plurimum salutant. Tu vicissim tuis symmystis plurimam salutem dices. Dominus vos omnes tueatur regat ac sustineat. Genevae 17. Februarii 1557.

Ioannes Calvinus tuus.

2598.

HOTOMANUS CALVINO.

Affert quaedam recens facta et praeterea rumores de rebus inter theologos gestis et gerendis, maxime de colloquio cum papistis habendo, de Melanchthonis ambigua fide, de ecclesiae gallicanae Argentoratensis discrimine, de Lutheranismo ingravescente.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 20.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ministro ecclesiae Genevensis fidelissimo et praestantissimo

Fr. Hotomanus S. D.

Clarissime vir, quum avidissime tuas ad D. Consulem [1]) literas exspectaremus, accidit nuper ut, quum in mensa ipsius cum aliquot amicis coenarem ac de te mentionem illi facerem, responderit se abs te paulo ante manu tua scriptas literas accepisse: [2]) rogare ut te ipsius nomine diligentissime salutarem. Ea re audita D. *Conradum* [3]) interrogavi ecquid istiusmodi audisset. Negavit ac veritus est ne ille de tuis literis hic apud nos scriptis bonus vir loquutus esset. Hoc tamen, quidquid est, statuimus ad te scribendum esse, praesertim quum admonere te quarundam rerum in animo haberem, quas Ratisbona [4]) ad senatum perlatas senatores quidam mihi narrarunt. *Philippus, Brentius* et *Snecffius*, concionator liberorum electoris Saxon. demortui ineunte vere evocabuntur ut cum tribus papistis (*Soto, Canisio*) colloquantur de religione. Aderunt ambabus partibus docti viri, ut scis esse moris. Magna contentione certatur et prope iam impetratum est ut episcopis amplectentibus Augustanam confessionem liceat suis vectigalibus et sacerdotiis frui, quod Augustanis comitiis denegatum erat. Duo nobiles, quorum alter christianus alter papista erat, coram regio consilio de religione tam acriter contenderunt ut sese ad duellum inter se provocarent. Postridie forte in via quum inter se occurrissent, mutuis vulneribus miserando spectaculo se contrucidarunt.

Magdeburgensis, Bremensis et Wittembergensis ecclesiae conciliationis speratae et tentatae capita huc perlata sunt. [5]) De praedestinatione et sacramentariis ea scripta sunt quae summam multis hominibus desperationem afferant. His comitiis spes explorata est, Interim eiectum iri undique. Verum ne una sacramentariorum ecclesiae prohibeantur magnum est periculum. Quo magis ope tua apud dominos consules et precibus apud Deum egemus.

D. *Philippus* mihi scripsit [6]) et doctum quendam nobilem commendavit. De suo adventu nullum verbum. Nobilis tamen mihi de eo confirmavit. Adiecit in sacramento nostrum esse, in praedestinatione aperte ac nominatim tibi repugnare, et librum iam in manibus habere. Quantum video diabolus eos animos reddidit quibusdam quos aiunt Ducem *Saxonem* mortuum habuisse, vim Helveticis ecclesiis sacramentariis afferendi, nisi belli calamitas eius conatum retardasset. Nunc apud principes ita in sacramentarios inquiritur ut Lutetiae in Lutheranos. Itaque D. *Infantius* [7]) Metensis eo nomine de summa spe decidit. Nos in horas exspectamus quam mox nobis cathechismus novus obtrudatur, [8]) hoc est lutheranissimus, et data opera conscriptus ut animi nostri tententur. Concionatores nostri optimo animo sunt. Nihil video nisi ecclesiae gallicanae eversionem.

Hodie literae a *Coko* allatae poenitentiam et reversionem pollicentur. [9]) Spero illi paratum hic locum esse ut philosophiam doceat. Oro Deum ut illum et omnes alios ad frugem revocet, teque ac tuam ecclesiam conservet. Vir clarissime et pater observande, vale ac salve. Argent. 17. Feb. 1557.

2598. 1) *Pfarrerum, cf. N.* 2546. *vide infra N.* 2632.
2) *quae interciderunt.*
3) *Hubertum.*
4) *Ratisbonae comitia Imperii celebrabantur inde a. Iulio* 1556 *usque ad postr. Id. Mart.* 1557. *Hoc ipso die theologorum conventus, ad* 24. *Aug. convocandus, Wormatiam conscriptus est, quo ex pontificiis missi sunt Canisius Wicelius et Staphylus* (*cf. N.* 2594 *not* 2. *et* 4).

5) *Acta conventus Coswicensis ubi Flaciani et Philippistae reconciliari debebant, leges in Corp. Ref.* IX. 25 *epp. cf. Planck* VI. 60 *sqq. Schmidt, Mel.* 592.
6) *Cui Hotomanus respondit de* 21. *Ian. Exhibet epistolam Gillet Crato* II. 466, *unde eam sumpsit Bindseil p.* 407.
7) *Epistolas eius duas leges infra a.* 1559 *et* 1560.
8) *Ministri Argentoratenses exemplum Francofurtensium et Vesaliensium sequuti, plus semel magistratum adierunt de sua liturgia suoque catechismo Gallis obtrudendis. Senatus vero satis habuit iis Buceri catechismum a Sleidano Gallice versum commendasse* (*Roehr.* III. 105).
9) *Qua de causa nescimus. Ipse Sir Ant. Cook olim Argentorati vixerat* (*N.* 1953).

2599.

UTENHOVIUS CALVINO.

Narrat quae insidiae Lasco apud Regem structae sint et quibus modis et mediis evangelii progressus in Polonia impediatur. Addit nonnulla de bello Turcico.

(Manu scripta non exstat. Servavit Beza ed. Genev. p. 193, Laus. p. 385, Hanov. p. 431, Chouet p. 262, Amst. p. 120. — Habet etiam Gerdes. Ann. III. 75 et Kuyper II. 746.)

Quum iam scribendis ad amicos passim literis operam darem, *Calvine* mihi observandissime, nolui committere quin te nunc certiorem facerem de successu rerum magnifici D. Ioannis *a Lasco* in Polonia. Cui sane non omnino infeliciter cessit hactenus (gratia Deo Optimo Maximo) tametsi non sine incredibili reluctatione Satanae, qui sibi suoque regno ab eo (quae eius admiranda hic multis nominibus est autoritas) non parum metuit. Ac proinde omnes conatus, omniaque studia, per suos stipendiarios hactenus congessit ut eum perderet, aut saltem regno pelleret. Quum enim ante duos, plus minus, menses episcopi nostri (qui omnes apud Regem Warssoviae in regni comitiis erant) subolfecissent D. Ioannem *a Lasco* huc advenisse, mox convenerunt apud Archiepiscopum Gnesnensem, una cum *Lipomano* Veronensi episcopo legato hic pontificio, semotis arbitris (ut vocant) saecularibus. Ubi totum diem consultarunt inter se, quid hic facto opus esset, ut D. *a Lasco* omnium commodissime regno eiicerent: e re enim eorum hoc esse. Nam ipsum, si maneat, eorum carnificem fore (quod ipsum dixisse Cracoviensem episcopum, [1]) affirmavit Nicodemus quidam) ac proinde tempestivo opus fore remedio. Postridie vero Regem adeunt, primo *Lipomanus*: deinde etiam reliqui episcopi turmatim omnes. Se compertum habere Ioannem *a Lasco* advenisse velleque Regem adire ut cum ipso colloquatur. Quare supplicare se ne eum ad colloquium admittat, eo quod maximus esset haereticus (qui nusquam gentium ferretur, ideoque nunc in patriam reversum esse) ac talis hic olim pronunciatus esset. Quibus respondit Rex, qui adhuc est pusillanimior: Verum quidem est, ipsum olim a vobis in vestris synodis haereticum fuisse pronunciatum: sed non item a regio regnique senatu. Ioannemque *a Lasco* ac suos asseverare et probare velle se non haereticos sed catholicos esse. Non video itaque qua ratione hic vobis condescendam. Tum vero aiebant episcopi, Regem hoc omnino facere debere, si modo vellet recte consulere tranquillitati regni. Non enim dubium esse quin multae turbae hic oboriturae essent, si hic ferretur Ioannes *a Lasco*. Rex vero (dum illi nullum finem neque modum hic facerent) iussit ut silerent. Iniquam enim et contra ius regni eorum esse postulationem. Quum vero illi iam viderent se primo illo ariete nihil effecisse, mille mendacia ab eo die impudentissime excogitarunt, quibus D. *a Lasco* passim et praesertim apud Regem ipsum gravarunt. Inter caetera asseverantes ipsum D. *a Lasco* venisse in Poloniam, ut arma sumeret contra Regem, utque impleret hic omnia turbis et seditionibus: eum obequitare episcopatum Cracoviensem centum aut ducentis equitibus, passimque iam sub ipsum eius adventum demoliri in templis omnia pro suo arbitrio, et id genus alia multa: quae omnia adeo constanter referebant, firmiterque asscverabant, ut Rex coeperit aliquandiu sinisterius quidpiam suspicari de D. *a Lasco*, eique infensior esse, donec ipse cum procere quodam, affine D. *a Lasco*, de hoc ipso expostulasset. Ille enim dixit Regi, ea omnia nihil esse quam meras calumnias, multo impudentissime excogitatas et confictas ab ipsius adversariis. Hocque Regem sibi persuadere debere: sese in veritatis stabilimentum hic fidem ac etiamnum vitam suam pignoris loco interponere velle. Ad cuius demum verba regius animus coepit mitescere. Aitque illi Rex: Tu scis eiusmodi turbas ac motus magnorum regnorum excidii occasionem plerumque fuisse. Quare dic D. *a Lasco* ut ipsi inter vos (qui sanguine et affinitate iuncti estis) religionis negotium agatis: videbis et ipse brevi me maiorem Dei quam hominum rationem habiturum esse. Quod ut det Deus Optimus Maximus ad incrementum regni sui, etiam atque etiam obnixeque oramus.

Porro comitia illa nuper Warssoviae habita non omnino adhuc ex animi nostri successerunt sententia: adeo furiose sese opponit Satan propagationi regni Christi Domini. Illa autem propter bellum istud Livonicum, ad quod se nunc accingit Rex, veluti abrupta fuerunt, ut tractatio de religione ac reformatione ecclesiarum reiecta fuerit in proxima comitia, quibus nondum dictus est dies. Interim nobilitas tota summa utitur libertate, in quos nulla cadit episcoporum inquisitio: qui etiam sibi ac suis evangelicos concionatores alere possunt. [2]) Et sperandum est tandem nos hic aliquando feliciores progressus habituros esse, nisi nos nostra ingratitudine iram Dei in nos provocemus.

Turca non ita pridem habuit suum Legatum

2599. 1) *Zebridovium.*

2) *Lubiens p.* 93. In comitiis Varsaviensibus, quae Budzinius Chron. c. 19 prima appellat, pontifices ad ultimum consentire, proceres et nobiles evangelici ministros ab episcopis confirmatos verbi divini in domibus suis proprio sumptu alant, avitas paroecias et decimas intactas relinquant. *Cf. Salig p.* 612.

apud *Ioannem* II. regem Ungariae, dum comitiis illis regni celebrandis impediretur, misitque ei vexillum quoddam Turcicum, suo ipsius intersignio insignitum, iubens ut copias suas omnes, quas quum ex Polonis tum ex Ungaris colligerè possit, sub eo vexillo Viennam versus, proximo vere educeret adversus *Ferdinandum*. Quid vero *Ioannes* responderit aut facturus sit adhuc ignoramus. Sed veremur ne Turcae addictior siet quam par sit, sicuti ipse nuper non obscure declaravit, ad iussum Turcae mittendo ei quendam insignem capitaneum (quem detinebat) qui a *Ferdinandi* partibus fideliter semper steterat. Deus interim misereatur nostri ac Viennae, quae hactenus firmum adversus Turcarum furorem et potentiam Christianis fuit propugnaculum. Vale, mi D. *Calvine*, mihi perpetuo colendissime in Christo Domino, cui ego te tuumque ministerium commendo ex animo. Salutat te peramanter D. *a Lasco*, cui per otium non licuit nunc scribere. Saluta mihi D. *a Sancto Andrea*, *Raymundum*, D. Io. *Budaeum*, ac reliquos fratres in Domino. Cracoviae, 19. Febr. M. D. LVII.

Tuus ut suus multoque addictissimus
Ioannes Utenhovius. [3])

Ita nunc obruor curis ac negotiis, mi *Calvine*, ut nihil possim scribere. Hinc hostes, hinc falsi fratres nos adoriuntur, ut non sit quies ulla. Sed et pios multos habemus, sit Deo gratia, qui nobis sunt et adiumento et consolationi. *Utenhovius* noster novit omnia. Itaque quae is scripsit, a me scripta esse cogitabis. Vale. Salvere officiosissime iubeo fratres in Domino omnes.

Ioannes a Lasco manu propria.

2600.

HALLERUS BULLINGERO.

De negotio foederis cum Genevensibus renovandi.

(Excerptum ex Cod. 154, Plut VI. Archiv. Turic. olim Scrin. B. Epp. Vol. 32, fol. 235. — Simler. Vol. 89.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

Interea nihil scripsi, partim quia non erant nuncii, partim quia nihil habui te dignum, nisi hoc unum: quod parum aliquando abfuisset quin dissidium cum Genevatibus in magnum et gravem aliquem tumultum erupuisset. Sed laboravimus fideliter publice et privatim ut per Domini gratiam pulchre sedati sint quorundam animi, qui admodum erant ad ipsorum Genevatum responsionem [1]) concitati. Spero deinceps sedatiora et pacatiora consilia. Si quis instaret denuo, sperarem nostros aequas conditiones non repudiaturos, modo Genevates quoque non essent pertinaces. — — — — — — 24. Februarii 1557.

Ioan. Hall. tuus.

2601.

BULLINGERUS CALVINO.

Refert quid iam circa negotium cum Bernensibus a suo senatu actum sit, quid agendum supersit. Gratias agit ob missum sibi Oseam. Tradit Lasci epistolam et declarat suam opinionem de Melanchthone et pace cum Lutheranis speranda.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 129, olim Scrin. B. Epp. Tom. 30, fol. 346. — Simler. Vol. 89. Inscriptio desideratur.)

S. D. Post discessum *Macarii* [1]) missi sunt tabelliones Basileam et Schaffhusium. Hi post aliquot dies responderunt sibi peroptimum videri, si Tigurini Bernam nomine 3 urbium scribant, hortenturque Bernates ad reparandam civitatem, vel reparandum foedus, offerantque suam hac in re operam, imo rogent ut admittantur. Scripserunt nostri diligentissime, et tabellionem eius scripti gratia Bernam miserunt, quo certius elicerent responsum: sed dimissus est tabellio sine responsione, quod senatui tum plurima essent negotia. Caeterum post aliquot dies mittitur tabellio a Bernensibus, qui literas a maiore etiam senatu quem 200 vocant, missas attulit. In his multis exponunt, quid hactenus actum sit in hac causa, et quod Genevates non semel respuerint aut recipere noluerint aequabiles foederis conditiones. Unde colligunt, ne nunc quidem istos magni facere Bernatum amicitiam. Se itaque urbibus agere gratias maximas, negotium vero Deo commendare. Hanc responsionem descriptam nostri Basileam et Schaffhusium miserunt postulantes interim ut quum comitia Badenae futura

---

3) *De tota hac epistola v. Lubien. l. l. et Salig p.* 609 *sq.*

2600. 1) *N.* 2589.
2601. 1) *Vide omnino N.* 2597.

sint Calend. Febru. legatis suis in mandatis dent, quid porro faciundum videatur. Tigurinis enim non videri cessandum a re incepta. Ubi vero Badae urbium et pagorum legati convenerunt, nostrorum legati D. *Habius* cos. et D. *Dumysius* privatim vocarunt legatos Bas. et Schaffh. ac interrogarunt, quid consilii a dominis suis adferant. Responderunt, se intelligere velle, quid Tigurinis videatur, alioqui se nihil in mandatis accepisse. Nostri admirati responsum, subiecerunt sibi omnino videri utile et necessarium, ut coeptum negotium non deseratur etc. Isti dixerunt, se domum haec relaturos. Itaque nostri etiam hodie responsionem exspectant. Nunc vero a clarissimo viro D. *Habio* Cos. redeo, qui sperat senatum nostrum adhuc ab illis responsionem habiturum. Ac quoniam alia comitia ad 4. Aprilis Badam sunt indicta, existimat ille amplissimum senatum Genevensem ante illa comitia certum habiturum aliquid ex literis nostrorum. Nostros enim arbitratur scripturos senatui vestro quid videatur tribus urbibus. Praeterea iussit D. Cos. diligentissime te salutarem.

Quando vero venturi simus ad vos, nescio plane. Omnia hic frigore rigent et nivibus tecta sunt, ut nunc parum videatur commodum aliquo proficisci. Pro Osea tuo gratissimo mihi munere maximas tibi ago gratias. Ostendam illum et D. *Martyri* nostro. Intra dies x. allatae sunt literae a D. Ioanne *a Lasco* scriptae Vratislaviae,[2]) quas tibi verbotim describi curavi, sicuti vides. Nos hic nihil dubitamus *Philippum* ex animo quaerere pacem: interea vero novimus adeo efferos esse caeterorum animos, ut quid de colloquio sperare debeamus, ignoremus. Scimus *Philippum* cum pauculis aliquot nihil apud istos posse. Oramus tamen Dominum ut hoc negotium, de quo alias diligentius consultabimus, ad gloriam nominis sui dirigat. Vale, colendissime mi domine et frater in Christo carissime. Nostri te ac tuos omnes amicissime salutant. Tu saluta nobis symmystas et amicos nostros. Tiguri 25. Februarii 1557.

Tuus ex animo H. B.

2602.

CALVINUS POLONIS.

Causas affert cur non dudum ad eorum literas responderit neque eorum desiderio, quo moti eum accersere cupiverant, obtemperare potuerit.

2) *N.* 2555.

(Autographon exstat in Cod. Genev. 107[a], fol. 154 ex parte tamen a Jonvillaeo scriptum. Reperitur etiam in Arch. Bern. Epp. Tom. VI. p. 687 et ap. Simlerum Vol. 89, qui inscriptionem praefixit: *Ad generosos et nobiles Dominos qui puram evangelii doctrinam in Polonia amplexi sunt.*. Versio anglica legitur T. III. p. 317.)

Ad nobiles Poloniae.

Si mihi Francofurti in nundinis autumnalibus [1]) redditae fuissent vestrae literae, [2]) quas in reditu demum Tiguri accepi, generosi et nobiles Domini et mihi ex animo observandi fratres, non hucusque responsum distulissem. Nam ex illo emporio semper opportunior est scribendi commoditas, et tunc fere ad profectionem accinctus erat venerandus frater noster D. Ioannes *a Lasco*, [3]) qui non modo onus hoc libenter suscepisset vestra et mea causa, sed mihi etiam fuisset fidelissimus interpres. Quoniam vero ab eo tempore nemo oblatus est nuncius qui literas perferret, non putavi esse festinandum, praesertim quum ex longo temporis spatio facile coniicerem, operae meae non magnum fuisse usum, et D. *Lismaninus*, [4]) longiorem istic moram se posse trahere desperans, potius nos suspenderet exspectatione sui adventus quam spe aliqua profectus oblata ad properandum animos faceret. Etsi autem ex literis vestris colligere promptum erat gratum vobis adventum meum fore, [5]) quia tamen non mediocrem ecclesiae huius iacturam secum traheret meus discessus, veritus sum ne praepostera esset hominis parum considerati et nimium fervidi sedulitas ante maturum tempus accurrere. Itaque domum reversus, quum senatui literas vestras offerrem, quia omnes fere tristes erant et anxii, simul admonui nondum consultatione esse opus, quum quinque menses qui iam post scriptas literas effluxerant aliquid forte mutationis attulissent. Anxios fuisse dico, quia neque libenter quidquam vobis negassent, quibus optime consultum esse et pro sua quoque virili gratificari cupiunt, et tamen me dimittere fuisset molestissimum. Nunc quando praestantissimi viri et fidelis Christi ministri D. Ioannis *a Lasco* opera frui divinitus vobis datum est, [6]) cur meam praesentiam magnopere amplius exspectatis non video. Etsi enim non aegre me, ut confido, socium admitteret, mihi vero iucundissimum foret commune vobis studium impendere, si tamen nulla flagitet necessitas, ne vos

2602. 1) *quando ipse aderat.*
2) *N.* 2445.
3) *N.* 2555. — *Quae sequuntur:* qui non modo . . . . . Lismaninus, *Ionvillaei manu scripta sunt.*
4) *Qui in Poloniam reversus edicto regio episcoporum rogatu proscriptus fuit et latere coactus per totam alteram partem anni* 1556. (*Lubien.* 65.)
5) *Ipso Lismanino suadente eum arcessere voluerant.*
6) *m. Decembri advenerat.*

quidem ipsi me a statione in qua utiliter occupor abstractum velletis. Certe nisi levitatis notam subire vellem, rebus ita dubiis tentandum nihil fuit. Cuius rei ne vos citius monerem remoram mihi iniecit D. *Lismaninus,*[7]) qui forte apud vos ante paucos menses futurum scripserat. Quanquam autem sequutae sunt postea aliae literae ex quibus melior spes concipi poterat, satis tamen ex silentio animadverti non esse properandi causam. Ergo quod unicum mihi superest, quidquid ex mea absentia sentitis incommodi precum mearum subsidio pensare conabor. Nam et ea est vestra alacritas quae exhortationum stimulis minime indigeat. Valete, praestantissimi Domini, nec minus genere quam singulari pietate nobiles. Dominus vos spiritu consilii regat, invicta fortitudine sustentet praesidioque suo tueatur. Genevae 8. Martii 1557.

Quod senatus noster vobis non respondet, onus excusationis in me recepi.

Ioannes Calvinus.

2603.

MICRONIUS BULLINGERO.

Et Papistae et Lutherani in doctrina de praesentia corporis Christi pertinacissimi ecclesiam vexant. Inde nominatim Bremae magna conflictatio. Lascus Wittembergae honorifice exceptus iam incolumis est in Polonia, ubi legatus pontificis comitia libera frustra turbare studet.

(Legitur in Füsslini Cent. epp. Ref. N. 85, p. 399.)

S. P. Non me fugit, humanissime vir et ecclesiae Dei antistes vigilantissime, tibi pro tua pietate gratum esse nostrarum ecclesiarum statum cognoscere. Paucis igitur rem omnem accipe. Inter medios hostes salva adhuc divino beneficio consistit ecclesiarum nostrarum tranquillitas, quam non tam papistae quam carnalis praesentiae corporis Christi propugnatores multo magis perturbare conantur, hominum genus in hac doctrinae suae parte pertinacissimum, quod nullis quamlibet efficacibus ac perspicuis argumentis ad moderationem aliquam induci potest. Sed hactenus adversus nostras ecclesias, etiamsi id varie sub praetextu Augustanae confessionis et consensus cum vicinis civitatibus Saxonicis conati sunt, nihil (gratia sit Domino) promovere potuerunt, quin ecclesiae nostrae maiora quotidie incrementa sumunt.

Et in ecclesia Bremensi fuit tota hac hyeme gravis propter rem sacramentariam conflictatio.[1]) Nam quam corporis Christi, ubiquitatem urserunt pastores, eam oppugnavit D. *Albertus.* Res pastorum clamoribus exasperata in seditionem propemodum exisset. Delata tandem controversia ad Wittenbergenses fuit.[2]) Ibi *Philippus* sic temperavit[3]) sententiam ut sibi de ea D. *Albertus* non queratur. Laborant adversarii ut is civitate Bremensi eiiciatur. Sed frustra hactenus.[4]) Si Dominus fenestram ibi aliquam aperire dignaretur, maior ecclesiarum tranquillitas ac pius consensus sperari posset. Non esset forsan inutile si D. *Albertus* vestris literis confirmaretur et animaretur. Sed hoc vestro permitto iudicio. Qui inter pastores Bremenses vociferator fuit praecipuus, nempe autor ille Farraginis Io. *Timannus,* e vivis excessit.[5]) Nunc maior illius ecclesiae tranquillitas speranda.

De profectione polonica D. *a Lasco,*[6]) si eam forte ignoras, ex literis Io. *Utenhovii,* quas Wratislaviae scripsit ad me, humanitati tuae exponam. Ita autem scribit: Humaniter supra omnem exspectationem Wittenbergae excepti fuimus. D. *Philippus* invitavit dominum ad quandam publicam ordinationem ministrorum atque convivium academicum, idque nomine ipsius universitatis. Verum tum triduo ibi haeseramus, neque fas erat domino haerere diutius. Inde etiam facile videre est, praecipuos quosque eius academiae viros a nostra doctrina non esse alienos: quin potius certissimum est omnes esse nostros, hoc etiam contestante ipso *Philippo,* qui ipse, ubi dominum ad suam praelectionem deduxisset, honorificam eius mentionem in sua praelectione faciebat, sibique in illius gratiam praelectionem contrahendam esse aiebat, ut liberior inter ipsos colloquendi daretur facultas. Ipse quoque subinde antea meminerat domini honorifice in suis praelectionibus, nec non etiam D. *Calvini. West-*

7) *Recentiorem eius epistolam ad Calvinum quam N.* 2431 *non habemus.*

2603. 1) *De qua v. Planckium* V. 2, *p.* 138 *ss., Spiegel, Hardenb.* 158 *ss. Occasionem praebuit Timanni Farrago a.* 1555 *exeunte edita, cui Hardenbergius subscribere noluit.*

2) *m. Dec.* 1556. (*Spiegel p.* 200.)

3) *Epistola d. d.* 20. *Ian.* 1557 *scripta* (*Corp. Ref.* IX. 15) *in qua ad Aug. Conf. provocans monet:* dass nicht fremde Disputationes in diesen Artikel gemengt sondern bescheidentlich die gewöhnliche Form zu reden behalten werde.

4) *Pro tempore quidem. Postea vero ineunte a.* 1561 *Hardenbergius cedere coactus fuit, sed mox revocatus.*

5) *d.* 17. *Febr. Nienburgi in itinere visitatorio.* (*Mallet in Herz. Encycl. T.* XXI.) *Successorem tamen habuit se ipso pugnaciorem scil. famosum illum Til. Heshusium.*

6) *N.* 2555.

phalum quoque publice subinde depingit, ac testatur eum hisce temporibus calamitosissimis causam turbarum ecclesiis dare. Hic vero Wratislaviae donatus est dominus vino honorario, quum a privatis, tum etiam a civitate ipsa. Porro in Polonia iam pridem indicta fuerunt libera regni comitia, verum astu *Aloisii* [7]) Veronensis episcopi, legati pontificii, indicta fuerunt alia comitia, a quibus nobiles regni eorumque nuncii (ut vocant) excluderentur, quo ipse cum episcopis paucisque illius farinae hominibus decernerent, praesertim in religione, quod vellent. Nobiles interea, etiamsi hoc esset inauditum, nolebant ea interturbare comitia quae iam coeperant agitari. Verum ita animum obfirmaverant omnes, etiam qui adhuc essent papistae, ut nihil ratum essent habituri eorum quae ibi transacta fuissent. Interventu vero senatus regii eiusque consilio et autoritate comitia illa *Aloisii* astu conflata evanuerunt, atque ad Cal. Dec. indicta sunt Wraboniae comitia publica et pro patriae more libera, quo quum *Aloisius* cum episcopis ipse venisset, iussus est intra triduum Warbonia [8]) decedere. Hactenus Utenhovius.

Dein ex aliis intellexi literis, D. *a Lasco* salvum et incolumem in Poloniam ad tertium Decembris diem cum magno suorum omnium gaudio venisse. Deus est rogandus ut in eo regno velit ecclesiae suae sedes aperire ad multam animarum salutem et regni Christi promotionem. Amen. Vale, vir optime, ac praeceptores meos observandos D. *Petrum Martyrem*, D. *Bibliandrum* ac D. *Gesnerum* nomine meo salutare non graveris. Iterum vale. Nordae Phrisorum 1557 Martii viij.

Pietati tuae addictissimus
Martinus Micronius.

2604.

CALVIN A L'ÉGLISE DE PARIS. [1])

Recommandation de deux nouveaux ministres. Éloge de ceux qu'ils vont remplacer et exhortations chrétiennes.

(Minute écrite par un secrétaire Bibl. de Genève. Vol. 107, fol. 79. — Copies Vol. 108, f. 71 v. Berne Epp. VI. 586. Simler V. 89. — Ruchat VII. 337. Lettres fr. II. 122. Trad. angl. III. 319.)

7) *Lipomani.*
8) *Nomen duplici modo scriptum.*

2604. 1) *Sur les origines de l'église de Paris v. N.* 2374. 2378. 2386. 2387. 2391. 2393.

A mes bien aimez seigneurs et freres. [2])

La dilection de Dieu nostre pere et la grace de nostre Seigneur Iesus Christ soit touiours avec vous par la communication du Sainct Esprit.

Messieurs et honorez freres, ie ne puis assez magniffier la bonte infinie de nostre Dieu, laquelle se declaire si puissamment en vous, et surtout de ce que au millieu des craintes et assaulx qui vous sont iournellement donnez, ce bon pere vous fortiffie et rend invincibles par son esprit. Cest beaucoup de ce quil tient tant dennemys bridez, voire mesmes enchainez, qui ne demanderoient qua vous engloutir, et en ont le moien, comme il semble, silz nestoient empeschez dailleurs: mais ie prise encores plus ceste grace, de ce questans soustenus de luy et appuyez sur ses promesses, vous perseverez constamment, comme cest principallement en cest endroict quil desploie sa vertu, laquelle il veult estre congnue en son eglise. Maintenant pour bien continuer que chacun donne couraige a son compaignon, et que tous ensemble vous praticquiez ce qui nous est dict en lescripture, de confermer les genoulx tramblans et les mains debiles, vous asseurans de plus en plus de la protection de nostre Seigneur Iesuschrist, lequel se monstrera fidelle gardien iusques en la fin, tant des corps que des ames. Et combien que vous aiez quelque support du monde, gloriffiez vous touiours, quoy quil en soit, en vostre petitesse, afin que vous experimentiez par effect quil ny a aultre seurete que destre cachez soubz les aisles de Dieu. Ce pendant que vostre bonne vie serve de bouclier pour repoulser toutes detrcations des ennemys.

Vray est quen vous exhortant iay honte que nous ne pouvons vous mieulx secourir de nostre coste, comme la chose le requiert et que nous y serions tenus. Mais ie vous prieray au nom de Dieu de nous supporter, si nous ne faisons nostre debvoir si tost quil seroit a desirer. Pource que nous navions pas moyen pour satisfaire du tout a vostre demande, [3]) nous avons envoye les deux freres que vous verrez, lesquelz vous feront de bouche les excuses de ce quilz ne sont venus plus tost, mais nous esperons bien questans arrivez ilz supplieront * au deffault qui a este iusques icy. Lung a servy long temps pardeca en loffice, et mesmes a quicte pour ung temps sa bergerie pour vous aller secourir: [4]) laultre a desia este emploie en tel

2) *Adresse autographe de Calvin.*
3) *Comp. N.* 2577. 2579.
4) *Registre de la Compagnie*, 15. *mars* 1557: Lundy, quinziesme mars, maistre Gaspart (*Carmel*), ministre de Neufchastel, mary de la niepce de Mons. Guillaume Farel, passant par icy, est parti pour aller à Paris secourir l'assemblee qui y est grande par la grace de Dieu. *Plusieurs auteurs* (*Crottet, Coquerel et M. Bonnet*) *ont écrit mal à propos:* Cormel.

ouvraige, et si* est porte fidellement.[5]) Tous deux ont mieulx ayme laisser leurs mesnages que de vous faillir au besoing. Ie vous prieray davoir patience de les ouyr, et profiter soubz eulx, devant que iuger trop hatifvement, comme quelquefois nous sommes desgoustez devant quavoir bien congnu. Car quant vous serez paisibles a les recevoir, selon que ie me confie de vous, ie ne doubte point quavec le temps vous naiez de quoy vous esioyr voiant le fruict de leur labeur, car Dieu leur a donne de quoy pour ediffier son eglise en bonne simplicite et droicture, et ne doubte point quil ne benisse leur zele. Parquoy advisez de les recevoir comme serviteurs de celuy auquel nous debvons toute reverence, et lequel a declaire quen mesprisant les plus petis quil envoye, on le mesprise.

Au reste pour mieulx et amplement pourvoir a vostre estat, ie desirerois den communicquer tant avec monsieur *de Launay*, comme avec monsieur *du Buysson*,[6]) car iespere que lung, lequel sest desparty de vous avec vostre conge, sera bien tost icy. Touchant le second qui est monsieur *de Launay*, pource quil ma declare laffection quil auroit de se pouvoir retirer quelque temps, non pas pour prendre vaccation, mais pour sapprester mieulx a loisir a faire plus ample service, ie vous prieray de ma part de luy octroier ceste requeste. Car combien que nostre Seigneur se soit servy de luy en ceste ieunesse,[7]) tellement que nous avons dequoy len gloriffier, si estce quen luy permectant le moien destudier deux ans a repoz, on le rendra utille plus quau double a continuer le service quil a commence. Si ie nestois bien persuade de son vouloir, ie ne luy vouldrois estre advocat pour le faire exempter, mais quant vous voiez ou il tend, ie croy que vous ne luy serez point contraires, sur tout quant vous voiez questant separe de vous, il ne laissera point destre vostre. Or quant vous lenvoierez, ie vous prie de linformer plainement a ce que nous puissions mieulx nous conformer a vostre vouloir, en eslisant gens pour vous servir, sinon que par dela vous en trouviez qui vous soient idoynes et propres. Quant a moy ie vous asseure bien que si iavois seulement liberte de voiaiger, sans ce quil en fust si grant bruit, que iaymerois beaucoup mieulx en consulter sur le lieu. Tant y a que iespere en Dieu, si les doux freres viennent, quil souvrira quelque moien de vous contenter et faire que vous ne soiez point despourveuz.

Surce, messieurs et freres, apres mestre recommande affectueusement a vous et a vos bonnes prieres, ie supplieray nostre bon Dieu de vous avoir en sa saincte garde, vous gouverner tousiours par son sainct esprit et vous enrichir de plus en plus en ses dons spirituelz, iusques a ce que vous soiez du tout accomplis. Mes compaignons vous desirent le semblable. Ce 15 de mars 1557.

Vostre humble frere,[8])

Charles despeville.

5) *Nous ignorons quel est ce second ministre. Le Registre de la Compagnie dit bien que d'Espoir partit avec Carmel, mais il devait aller desservir l'église de Rouen.*

6) *qui devaient être remplacés par les deux nouveaux ministres. Du Buisson était un pseudonyme de Morel, dont on attendait le retour à Genève. (Reg. de la Comp. Juillet.)*

7) *Il n'était alors âgé que de vingt-quatre ans. Voyez sur lui N.* 2374. 2581. *Hist eccl.* I. 139*:* Au commencement de Juillet 1558 Le Maçon autrement dit La Riviere par lequel nous avons dit l'eglise de Paris avoir esté dressée d'où aussi il estoit pour lors le ministre, retournant de Geneve et passant par Troyes et requis par ceux de la religion de leur faire quelque exhortation les trouva si bien preparés et leur donna tel courage que desiors ils delibererent de servir Dieu à bon escient.

8) *autographe.*

2605.

CALVINUS BULLINGERO.

Novae sollicitationes de causa foederis renovandi in comitiis Badensibus sedulo agenda. Item nova invitatio ad iter Genevense suscipiendum.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 31. — Cod. Genev. 111b, fol. 5 v., Epp. Bern. VI. p. 526 et 689, Simler. Vol. 89. Versio anglica III. 122.)

Praestantissimo viro et eximio Christi ministro D. Henricho Bullingero, ecclesiae Tigurinae fido pastori, fratri et symmystae colendissimo.

S. Quando nihil sua autoritate, gratia, precibus, senatus vester amplissimus apud vicinos profecit, ad conventum Badensem[1]) ibitur. Caeterum, quia nullum illic responsum dari solet, nisi instructi veniant urbium et pagorum legati, rogatur iterum amplissimus senatus vester, ut foederatis indicata curet postulata, quae legati nostri afferent. Si quid elicias, quod nostra scire intersit, rogo ne graveris privatim me monere. Caeterum quamvis necesse sit vicinis[2]) quoque rem patefieri, ne celatos se fuisse querantur, imo ne vacuos dimittant nostros hoc praetextu: cupimus tamen tardius paulo rescire, ne viam praecludant. Quando propter aeris intem-

2605. 1) *vide N.* 2601.
2) *Bernensibus.*

periem nondum animi causa peregrinari commodum esset: date saltem operam, ut statim a paschate vos hic videamus. [3]) Ego in id tempus, quam de literis D. *a Lasco* consultationem habendum* esse scripsisti, reiicio. Vale, clarissime vir mihique inprimis honorande frater, cum D. *Martyre*, D. *Gualthero*, generis aliisque symmystis et tota familia. Dominus vos magis ac magis benedicat semper. Genevae 17. Martii 1557.

Tuus Ioannes Calvinus.

2606.

BULLINGERUS CALVINO.

De foedere iam in eo est ut spem abiiciat. Iter Genevense ipse propter valetudinem vix suscipiet. Colloquia, tam a Lasco propositum quam Ratisponense, nihil profutura auguratur.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 129. olim Scrin. B. Epp. Tom. 30, fol. 350. — Simler. Vol. 89.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae ministro fideli domino suo colendo et fratri carissimo.

Genff.

S. D. Nihil alioqui erat quod scriberem de causa communi: quum audiam senatum amplissimum omnia perscripturum vestratibus. Dolet non immerito nostris hactenus apud B. [1]) se adeo potuisse nihil, quum tamen tentarint omnia. Caeterum venient procul dubio tempora magis prospera, ac dabit Dominus, si voluerit vos rursus coalescere, uberiorem opportunitatem. Sin illi visum fuerit aliud, quid nos possumus quam orare: Fiat voluntas tua? Spero Dominum nobis nuspiam defuturum.

De adventu meo nescio quid futurum sit, quum nòn sim admodum firma instructus valetudine et varia me in diem adobruant negotia, et molestiae me divexent innumerae. Venient, si poterunt, alii fortassis. [2]) Sed utcunque ea res habeat, metuo ego non sine causis exiguis, colloquium hoc non magno cum fructu, sic ut ille [3]) putat, processurum. Periculum erit ex itinere. Sunt et alia non pauca incommoda. Et si vera sunt, quae scribuntur ex Germania, celebrabitur colloquium Ratisponae mense Septembri proximo: [4]) in quod attrahetur inter primos *Philippus*. Nec scio qua cum utilitate et illi sint colloquuturi, quum praescribatur illis res impia, ut concilient pugnantes inter se religiones, conenturque papismum et evangelium concordare. Valde metuo quosdam veritatis pertaesos, vias quaerere per quas redeant in papismum, aut saltem evangelium et religionem consequantur, cuius gratia nihil incommoditatis accipiant. Sed videt omnia Deus. Video in Germania omnia esse convulsa et disiecta omnesque concionatorum sermones dirigi contra sacramentarios, quasi nihil sit, quod agant aliud. Ex Italia diversa adferuntur nuncia, iam progredi exercitum, mox tractari de pace. Dominus misereatur nostri et servet nos. Vale aeternum. Saluta symmystas. Salutant te et tuos nostri omnes. Tiguri 24. [5]) Anno 1557.

Bullingerus tuus.

2607.

CALVINUS SCHALLINGIO.

Eius studium pacis et concordiae inter theologos instaurandae laudat, idem et suum esse affirmat, dissensionum acerbitatem eo magis deplorat quo pluribus in rebus omnes consentiant. Porro suam doctrinam de coena lucide exponit et vindicat.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 181, Laus. p. 388, Han. p. 435, Chouet p. 245, Amst. p. 112.)

Literae tuae, [1]) eximie vir et frater ex animo mihi colende, serius quam optandum foret, mihi fuerunt redditae, quum iam ad nundinas profecti essent omnes nostri mercatores: etsi praeter spem oblata est nova scribendi opportunitas, nisi quod tumultuarie respondere cogor, quia iam in procinctu erat nuncius antequam de eius discessu admonitus fuerim. Alia certamina quibus a protervis ingeniis scindi turbarique ecclesiam merito deploras, nunc omitto. Dissensio quae nos hodie quoque exercet, inter pios alioqui et sanctos viros commota, malis

3) *N.* 2597. 2601.

2606. 1) *Bernenses.*
2) *scil. Vermilius et Gualtherus.*
3) *Lascus, qui magna sibi de theologorum omnium partium pollicebatur.*

4) *Vide supra N.* 2598, *not.* 4. *Non Ratisponae quidem sed Wormaciae.*
5) *Mensis non exscriptus est, sed media ponenda est inter N.* 2605 *et N.* 2610.

2607. 1) *N.* 2594.

principiis et nihilo feliciore progressu nos plus satis admonet, quatopere expetenda sit inter nos pax et concordia. Atque utinam quem tibi animum esse intelligo, idem aliis fuisset. Nam si quid adhuc restaret dissidii, saltem absque odio et acerbitate intra suos fines consisteret. Dolendum quidem est, quum nos pauci numero idem profiteamur evangelium, sacrae coenae occasione, quam praecipuum inter nos unitatis vinculum esse decebat, in varias sententias distrahi. Sed hoc longe atrocius, non minus hostiliter confligere quam si nihil esset nobis cum Christo commune. Maior enim eorum pars qui a nobis dissident, nescio quo instinctu percita, non minus intemperanter in nos ebullit, quam si prorsus diversa esset religio. Quum initio tanta esset discrepantia, *Lutherum*, ut erat vehementi ingenio, paulo acrius efferbuisse non miror. Nunc quando de praecipuis capitibus convenit, quem in finem Dominus sacramenta nobis instituerit, quisnam legitimus sit eorum usus, quae efficacia, quae dignitas, quae inde ad nos utilitas perveniat: quidquid adhuc residuum est controversiae, moderatius tractari poterat. Ego vero quum totis quindecim annis optima fide conatus essem, quantum patiebatur ingenua veritatis confessio, meum docendi genus ad sedandas discordias accommodare, traxit me in odiosum certamen *Westphali* vestri importunitas. Et tamen quidquid extorsit amarulentiae diligenter continui, ne alios cum eo involveret: semperque dabo operam, ne mea culpa scindantur vel distrahantur ecclesiae: nec quisquam a me laedetur, nisi qui ex professo bellum indixerit. Imo quamvis *Snepphius* et nescio quis somniator petulanter me lacessiverint, silere malui, quam de nihilo turbas movere. Nam quod a paucis intelligi scribis, quid ecclesiae vestrae sentiant, certe si absurda, quae in multorum scriptis occurrunt, colligere et exagitare libeat, non unam esse omnium sententiam ostendere difficile non esset. Hoc quidem vos omnes uno consensu asserere video, quicunque ad sacram mensam accedunt, sive impii sint, sive fideles, substantialiter comedere Christi carnem et sanguinem bibere. Quin fideles carne et sanguine Christi vere et substantialiter in coena alantur, non nego, si tantum definiatur modus arcana spiritus virtute fieri, ut vim suam caro et sanguis Christi in nos transfundant. Cur me longius trahere velis, non video: cur vero non aliam communicationem admittam, optima ratione impedior: quia et carnem Christi a nobis deglutiri, et cum carne nostra corruptibili misceri, nimis crassum commentum foret. Si tantum mysterium carnis sensu aestimandum esse neges, fateor: nec vero aliud respuo, nisi quod Christi gloriae non esse consentaneum fides ipsa dictat. Adde quod non poterit Christi corpus hoc substantiali modo comedi, nisi fingamus esse immensum, quod non minus a tota scripturae doctrina, quam a veteris ecclesiae testimoniis abhorret. Quod enim quidam vestrum dispensationis nomen obtendunt, ut persuadeant corpus Christi simul fuisse in cruce mortale, et gloriosum in coelis, inscitia labuntur, neque unquam assequuti sunt quid vetustis ecclesiae doctoribus esset dispensatio. Tu quoque, eximie vir, pace tua dixerim, dum nos confundere putas, quid nobis in coena detur, et ad quid detur, aliquantum falleris. Pluribus enim locis diserte assero, bona Christi non esse nostra, donec ipse noster sit. Et satis mihi distincte loquutus videor in mea Institutione, ubi materiam coenae vel substantiam voco ipsum Christum crucifixum: virtutem, effectum, vel fructum esse doceo, quidquid ex eius morte consequimur, ut inde est gratuita reconciliatio, vitae novitas et beatitudo coelestis. Nomen vero efficaciae in hunc finem usurpo, non ut confundam quae distingui debent, sed ut transfusionem substantiae excludam. Dico igitur nos efficaciter substantia carnis et sanguinis Christi pasci, quia mirabili et incomprehensibili spiritus sui virtute efficit Christus, ut unum simus cum ipso: vivifica sit nobis sua caro: vita denique sua in animas nostras penetret. Iam in secundo capite miror, vos non consideratius attendere ad tot absurda, quibus implicitum est hoc commentum, dignos simul et indignos promiscue carnem Christi edere. Sicuti enim vestra de substantiali edendi modo opinio, Christi carnem a sanguine separat, ita haec communis manducatio, corpus eius a spiritu divulsum vita et omni virtute privat. Qualis vero receptio haec erit, ut in ventre impii lateat mortuum Christi corpus? Quod obiicitur communiter omnibus dici, hoc est corpus meum, nullo negotio refellitur: nihil enim obstat, quominus vere omnibus se ipsum exhibeat Christus, neque tamen alii eum recipiant, nisi qui sunt capaces. Hanc me doctrinae formam non pertinacia retinere, sed quia scripturae auctoritate obstrictus teneor, Deus mihi optimus est testis. Suffragatur et veteris ecclesiae consensus: in quo probando, quia mihi longius insistere non est propositum, nobis unus ille Augustini locus sufficiat. Quum alii discipuli comederent panem Dominum, Iudam non nisi panem Domini comedisse (Homil. in Io. 19). Ego itaque, si quis alius, veram et sinceram consensionem expeto, quam modo Deus ipse suo verbo sanciat. Nec vero Augustanam confessionem repudio, cui pridem volens ac libens subscripsi, sicuti eam autor ipse interpretatus est. Atque utinam principes, ut decebat, maior dissipationis nostrae cura tangeret, ut conventu piorum doctorum habito, studerent ecclesias colligere: sed quibus flabellis ad odium nostri incitentur, minime dubium est. Hoc tibi coram Deo volui testatum, ut scires religione et Dei metu ad amplexandum quod profiteor doctrinae

genus adductum non posse inde avelli. In quo tamen asserendo (quoad per vestros homines licebit) placide me geram, ut ante *Westphali* intemperiem me fecisse satis notum est.[2]) Te vicissim hortabor, ornatissime vir, ut re tota probe expensa quod rectum est amplecti non dubites. Vale. Dominus te spiritu suo gubernet semper, praesidio suo tueatur, laboresque tuos benedicat in ecclesiae suae aedificationem. Genevae, 8. Calendas Aprilis. 1557.

2608.

BEZA BULLINGERO.

De colloquio pro concordia instituendo ipse quoque nihil fructus sibi promittit. Progressus evangelii in Gallia praedicat. Annotationes suas in Novum Testamentum iam excusas commendat. Bullingeri, Vermilii, Calvini nova scripta proxime edenda avide exspectat.

(Ex autographo Cod. Turic. F. 62. fol. 12. Simler. Vol. 89. Edidit Baum. I. 461.)

Eximio Christi servo D. Henrico Bullingero Tigurinae ecclesiae fidelissimi pastori.

Tiguri.

S. Heri sub coenam accepi literas tuas, mi pater, pro quibus magnam tibi gratiam habeo. Nam, mihi crede, quoties aliquid a te accipio, toties novo quodam ardore accendi me sentio. Puerum de quo ad me scripsisti non alio loco habebimus ego et collegae ac si plane noster esset.

Quod de colloquio illo[1]) promisso scripsisti iam ante audieramus. Bonis omnibus idem illud videtur quod sentis, nempe inanem fore hunc conatum: sin minus, non video quid ab istis duobus furiosis exspectes. Nam nunquam mihi persuaserim fieri posse ut *Philippus* huc pertrahatur tales habiturus collegas, si modo verum est quod de eo rumor ferebat, factum esse forticulum. Ergo quid superest, nisi ut extremis morbis Dominus ultima adhibeat remedia? Sed verax Dominus, procul dubio, ecclesiam suam, vel in ipsa Babylone conservabit. Hoc tibi quidem possum pro comperto affirmare, regnum Dei tantum nunc progressum in decem minimum Galliae urbibus, ac Lutetiae[2]) praesertim facere, ut magni nescio quid Dominus illic moliri aperte videatur. Itaque minime miror Satanam nihil aeque hic conari atque fontem illum nobis proximum[3]) obstruere, unde non iam rivuli sed plane fluvii coeperunt exundare. Quo magis sedulos ac diligentes esse bonos omnes oportet, ut quorundam ambitionem et incredibiles Satanae furores precibus ac modis omnibus compescant.

Annotationes nostrae in novum Testamentum[4]) tandem prodierunt quarum exemplar quominus ad te mittam obstat magna libri moles. Spero prodituras aliquando seorsim et quidem multo emendatiores, quam ad rem tuum imprimis sensum ac iudicium, imo vero etiam limam requiro, si quando tibi illas inspicere libuerit ac per otium nonnihil annotare quod vel corrigendum vel expoliendum putes.

Tuas in Apocalypsin Homilias[5]) avidissime exspectamus. D. *Martyrem* mirum ni tandem huc adducatis ut thesauros illos suos tandem in publicum usum ecclesiae depromat. *Calvinus* indignissime, ut nosti, vexatus sese scribendis in Psalmos commentariis solatur, quo in opere profecto se ipsum superabit.[6]) Utinam fideles operarios confirmet Dominus et magis ac magis sanctis vestris laboribus benedicat. *Viretus* noster meliuscule quidem habet, sed ita nos terret debilitatum eius corpusculum ut hic plane fluctuemus.[7]) Itaque magnopere te rogamus tuosque omnes collegas, ut nos hic quoque precibus vestris assiduis adiuvetis. Bene vale, mi pater, D. Iesus adsit tibi et tuis omnibus sancto suo spiritu, teque in dies in opere suo confirmet. Lausannae, 27. Martii.

Th. Beza plane tuus.

---

2) *Ante Westphali impetum se placide scripsisse contendit. Quo animo postea scripserit et quatenus ipse incendio materiam suppeditarit, de hoc vero tacet.*

2608. 1) *Wormaciensi v. N.* 2606, *not.* 4.

2) *quo subinde novi ministri mittebantur.*

3) *Genevam.*

4) *Titulus prae se fert a.* 1556 *sed in fine legitur:* m. Mart. 1557. *Quae cum hoc libro simul prodiit Versio V. T. non Bezae sed Pagnini est.*

5) In Apocalypsin conciones centum. Bas. 1557 *et* 1570. *Utramque editionem possidemus. Germanice prodierunt per Lavaterum versae Mylhus.* 1558. *Gallice Genev.* 1558. *Cf. Hess, Bull.* II. 316.

6) *Prodiit hoc ipso anno decimo Cal. Aug. ap. Stephanum. Henry III. App.* 233, *nescio quid somnians Calvini commentarium in Psalmos laudat a.* 1544 *Basileae apud Barbirium excusum.*

7) *Memineris Zerkintem N.* 2585 *eum iam morti adiudicasse.*

2609.

RICHERIUS INCERTO.

Primitiae Brasilianae.

(Servavit Beza ed. Genev. p. 195, Laus. p. 391, Hanov. p. 438, Chouet. p. 264, Amst. p. 121).

Gratia et pax a Deo per Iesum Christum.

Nolui oblatam occasionem praeterire, frater, quin tuam humanitatem de rebus nostris certiorem facerem: inprimis notum tibi esse velim beneficium, quod a Domino hactenus accepimus, ut eiusdem bonitati digneris nobiscum gratias referre. Id utique est quemadmodum optamus. Quandoquidem omnium nostrum talem pro sua bonitate habuit curam, ut per tam varia terrarum et maris discrimina, omnes nos ad portum sanos et incolumes perduxerit. [1]) Satan quidem, ut est sui similis, diversis nos in itinere exposuit periculis: sed ut filii (etsi hoc nomine indigni) experti sumus semper tanti patris manum auxiliatricem: quam etiam benigne exporrigit in dies magis ac magis erga nos. Altero die postquam appulimus *Villagagno* voluit verbum Dei publice praedicari: deinde subsequenti hebdomada sacrosanctam Christi coenam administrari expetivit, quam et ipse cum aliquot e suis domesticis religiose adiit, reddita primum suae fidei ratione cum magna ecclesiae quae aderat aedificatione. [2]) Quid commodius nostro instituto contingere poterat? Quid demum votis omnibus nostrum respondisset opportunius, quam ut his tesseris apud nos vera appareret ecclesia? Talibus beneficiis dignatus est nos prosequi benignus ille summus pater. Regio haec autem, quod sit inculta raroque habitatore, nihil fere profert quod nostrates vel gustare vellent. Milium quidem, ficus sylvestres et quasdam radices quibus farinam ad viaticum conficiunt, suis gignit incolis. Panem vero non habet, nec vinum aut quid vino proximum profert. Imo nec fructum aliquem (quem noverim) quo quandoque usi fuerimus. Nihilominus tamen nobis bene est, et recte valemus: imo ut me exempli vice proferam, vegetior sum solito: sed et id omnibus aliis commune est. Beneficium aeri adscriberet physicus, qui adeo temperatus sit ut nostro respondeat Maio. Sed ne tanta summo illi maximo et optimo numini irrogetur iniuria, dicam quod sentio. Hoc modo paternum suum affectum nobis aperit bonus ille coelestis pater, qui hic in tam barbaro et agresti solo suum nobis ministrat favorem, adeo ut experiamur viaticum hominis pendere non e pane, sed e verbo Dei, cuius favor hic nobis est omnium delitiarum loco. Unum est quod nos non mediocriter urget et angit, populi scilicet barbaries, quae tanta est ut maior esse non possit. Non affero, quod sint anthropophagi, quod tamen illis adeo vulgare est ut nil magis: sed doleo crassam mentis ipsorum hebetudinem, quae mediis in tenebris tamen est palpabilis. De virtute patris quamvis ethica nihil norunt prorsus, bonum a malo non secernunt, denique vitia quae natura in caeteris gentibus naturaliter arguit loco virtutis habent: saltem vitiorum turpitudinem non agnoscunt, adeo ut hac in re a brutis parum differant. Caeterum quod omnium perniciosissimum est, latet eos an sit Deus, tantum abest ut legem eius observent, vel potentiam et bonitatem eius mirentur: quo fit ut prorsus sit nobis adempta spes lucrifaciendi eos Christo: quod ut omnium est gravissimum, ita inter caetera maxime aegre ferimus. Audio quidem qui mox obiiciet eos tabulam rasam esse, quae facile suis possit depingi coloribus, quod nativo huiusmodi colorum splendori nihil habeat contrarium. Sed norit ille quantum impediat idiomatum diversitas. Adde quod desunt nobis interpretes, qui Domino sint fideles. Proposueramus quidem illorum ministerio et industria uti: scilicet reperimus illos ipsissima esse Satanae membra, quibus nihil magis invisum quam sanctum Christi evangelium. Proinde hac in re nobis operae pretium est sistere gradum, patienterque exspectare, donec adolescentuli, quos Dominus a *Villagagnone* barbaris huius patriae tradidit erudiendos, norint naturalem ipsorum distinguere linguam. Ad hoc enim illi apud eos degunt et versantur. Faxit Deus ut sit hoc illis citra aliquod animarum suarum periculum. Nam ubi hoc munere nos donarit Altissimus, speramus hanc Idumaeam futuram Christo possessionem. Interim exspectamus frequentiorem populum, cuius conversatione et formetur haec natio barbara, et nostra ecclesia suum accipiat incrementum. Abundaremus utique omni bonorum copia, si hic frequens adesset populus. Nam quod tenuis et modica nostra sit annona, id efficit rarus habitator, et somnolentus agricola. Sed iis omnibus prospiciet Altissimus. Nos vero nostratum omnium ecclesiarum precibus commendari obnixe cupimus. Ex Gallia antarctica, pridie Aprilis. 1557.

Tuus P. Richerius.

2609. 1) *Joh. de Lery, qui itineris socius fuerat in sua* Histoire d'un voyage faict en la terre de Bresil autrement dite Amerique 2e ed. Gen. 1580 *dicit eos* 10. *Martii ibi appulisse. Hist. eccl.* I. 159 *ipsas nonas fuisse affirmat. Ibi etiam refertur ducem expeditionis Villegagnon pridie Cal. Martias Genevensibus scripsisse de eorum adventu, ubi potius pridie Cal. Apriles dici debuisset. Caeterum vide alteram Richerii proxime sequentem.*

2) *fides ista evangelica viri non diu perseveravit, imo plane in contrarium abiit.*

2610.

CALVINUS BULLINGERO.

Enixe denuo rogat eum ut Genevam veniat, maxime ut de colloquio in Germania de concordia instituendo inter se conferant: esse enim ibi complures minime intractabiles.

(Ex apographo Cod. Paris. Dupuy 102, fol. 24.)

Ornatissimo viro D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae fido pastori fratri et symmystae honorando.

S. Profectio ad nos tua, crede mihi, non minus utilis ecclesiae quam tibi privatim iucunda erit. Nam quod praetextu incommodae valetudinis eam detrectas, longe te errare existimo. Nihil enim ad firmandas vires reperies aptius. Moerorem etiam ex affinis tui consulis *Lavateri* morte [1]) contractum aliqua ex parte vel dilues vel lenies. Hoc praecipuum est ut de germanicis colloquiis [2]) nos quoque colloquamur. Maior pars, fateor, crasso illo errore cui mederi vellemus magis fascinata est quam ut spem aliquam sanationis ostendat. Sunt tamen adhuc nonnulli mansuetiore ingenio apud quos forte aliquid proficeret labor noster. Ex eorum numero unus Martinus *Scallingius* ecclesiae Ratisbonensis minister mihi scripsit, [3]) non dissimulans quid sentiat, fraternam in coniunctionem retinere cupiens. [4]) Scis ut insaniat collega eius *Gallus*. [5]) Hic vero me nominat praeceptorem et qua potest moderatione excusat sententiae dissidium. Fovendi certe sunt tales, vel saltem non exacerbandi. Itaque responsio mea placida fuit, in qua tamen libere eius confessionem exagito. Quia tamen perquam exigua spes est de ipsa turba, conventum qualem fore existimas nunquam optavi. Imo quibuscunque potero modis dabo semper operam ne vocemur. Verum si contingat, videndum ne recusatio nobis dedecus et probrum accersat. Caeterum a conventu multitudinis non metuo. Si cum paucis congredi velit *Philippus*, nihil magis expetendum, quia *Brentium* et similes minime accerset, sed quos putabit nobis posse conciliari ut minore cum invidia nobis subscribat. Hoc eius consilium sicuti probo, ita censeo adiuvandum quoad licebit. Sed tibi hoc solum in praesentia persuasum esse velim, ne consilium de tuo ad nos adventu mutes. D. *Petrum Martyrem* et D. *Gualtherum* vehementer rogo ut te urgeant. Eos et reliquos symmystas peramanter salutabis meo nomine, cum familia tua. Dominus vos servet incolumes spirituque suo regat. Genevae 3. Calendas Aprilis 1557.

Ioannes Calvinus tuus.

2610. 1) *Io. Rudolphus Lavater, pater generi Bullingeri, a.* 1557 *mortuus est, non* 1560 *ut habet Pestalozzius p.* 483. *Bellis italicis magnam sibi famam paravit, maiorem rebus publicis in patria gestis. Cf. Simler, Narratio de Vita Bull. fol.* 29 *v.*

2) *Wormaciae habendis.*

3) *N.* 2594.

4) *sic.*

5) *N.* 2196. *De hoc viro Nic. Hahn v. Neudecker in Herzogii Encycl.* IV. 639.

2611.

FUNCLIUS CALVINO.

Novum inventum circa accendendos caminos a Bernatibus cum favore receptum etiam Genevensibus commendari cupit.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 77.)

Doctissimo theologo D. Iohanni Calvino ecclesiae Genevensis antistiti amico et fratri suo observande colendo.

Genf.

Salutem et pacem per Christum, dilectissime in Christo frater. Contigit praeteritis hisce diebus quod negotium novi inventi [1]) et artis lignariae egi cum senatu Bernensi, et ostendi illis sub fide silentii specimina artis. Dedit Dominus actioni meae felicem exitum. Placuit enim illis inventum; receperunt id, et convenit iam inter inventores et Bernates super hoc negotio optime. Cuius rei testimoniales et sigillo suo obsignatas mihi literas dederunt. Harum literarum testimonium aliud obsignatum sigillo Bielnensium mittimus, hic senatui vestro. Roga igitur ut literas has tuis inclusas archigrammateo sive secretario vestro Genevensi quam primum dare digneris, D. Michaeli *Roset*: is curabit negotium senatui proponi. Tu si quid potes promoveto id diligenter. Vale optime. Salutat te D. *Blaurerus* frater symmysta meus. Christus te servet. Datae Bielnis ultima Marcii anno 1557.

Iacobus Funcklius
minister ecclesiae Bielnensis.

2611. 1) *V. Blaureri epp. N.* 2571 *et* 2595.

2612.

VILLEGAGNON CALVINO.

Historiam novae suae coloniae in Francia antarctica, quam vocat, pluribus enarrat. [1])

(Autographon exstat in Cod. Genev. 110, fol. 86, apographon ibid. fol. 84, ex quo lacunas autographi supplemus.)

Exprimi non posse puto quo me affecerint gaudio tuae literae, [2]) et qui ad me una venere fratres. [3]) Huc me redactum invenerunt, ut mihi magistratus gerendus esset et munus ecclesiasticum subeundum. Quae mihi res maximam anxietatem obtulerat. Ozias ab hac vitae ratione me avertebat: sed praestandum erat ne operarii nostri quos mercede traduxeram gentis adducti consuetudine eius se vitiis contaminarent, aut religionis desuetudine in ἀπόστασιν devolverentur. Quam mihi sollicitudinem ademit fratrum adventus. Adiecit hoc etiam commodi quod si qua ex causa posthac erit nobis laborandum aut periculum incurrendum, non deerunt qui sint mihi solatio et me consilio iuvent. Cuius rei facultatem abstulerat periculi nostri suspicio. Qui enim fratres mecum e Francia traiecerant, rerum nostrarum iniquitate permoti alius alia causa illata Aegyptum repetiverant. Qui fuerunt reliqui homines egentes mercede conducti quos pro tempore nancisci potueram, [4]) eorum haec erat conditio ut ab eis mihi potius esset metuendum quam petendum solatium. Haec autem huius rei causa est. Ubi appulimus simul omnis generis se nobis opposuere difficultates, ut vix inirem rationem quid potissimum esset agendum. Regio erat incultissima, nulla erant tecta, rei frumentariae nulla copia. Sed aderant homines feri, ab omni cultu et humanitate alieni, moribus et disciplina penitus a nobis discrepantes, sine religione, honoris, virtutis, recti aut iniusti ulla notitia, ut me subiret dubitatio an in bestias humana specie praeditas incidissemus. Contra haec incommoda erat summo studio et celeritate nobis prospiciendum et comparandum remedium, dum naves ad reditum instruebantur, ne eo subsidio destitutos indigenae, rerum nostrarum capti cupiditate, nos imparatos opprimerent et interficerent. Huc quoque accedebat Lusitanorum infida vicinitas, qui [*etsi*] quam incolimus regionem tueri non potuerunt huc tamen [*nos*] esse intromissos ferunt aegerrime et insano odio prosequ[*untur*]. Eam ob rem uno tempore haec omnia se nobis agenda proponebant. Receptui nostro locus deligendus, expurgandus et complanandus, munitiones circumducendae, propugnacula excitanda, tecta ad impedimentorum custodiam exstruenda, materia conquirenda, et adverso colle locis impeditissimis, humeris ob bestiarum penuriam comportanda. Praeterea quod indigenae in diem vivant et agriculturae non studeant nullo certo loco cibaria congesta reperiebamus, sed erat victus noster e lonquinquo carptim petendus. Qua ex re manum nostram, quantulacunque esset, distineri oportebat et minui. His adducti difficultatibus qui meae amicitiae causa sequuti fuerant rebus nostris diffisi, ut supra demonstravimus, pedem retulerunt. Ego quoque nonnihil commotus sum. Sed quum mecum reputarem amicis affirmasse, me hac ratione e Francia movere ut quam curam prius rebus humanis impenderam eius studii comperta vanitate regno Christi excolendo adhiberem, iudicavi me in voces et hominum reprehensionem incursurum et nomini meo iniuriam facturum, si labor aut periculi opinio a coepto me deterreret. Praeterea quum Christi negotium gerendum esset, credidi hunc mihi non defuturum sed ad felicem exitum perducturum. Ergo me confirmavi vimque omnem ingenii intendi in rationem eius rei perficiendae quam summa vitae meae devotione susceperam. Hac autem via id assequi me posse existimavi, si vitae integritate hoc meum propositum comprobarem, et quam operariorum manum traduxeram ab infidelium consortio et familiaritate averterem. In eam sententiam animo meo inclinato non sine Dei providentia factum esse visum est ut in haec negotia involveremur, sed id accidisse ne otio corrupti libidini et lasciviae operam daremus. Praeterea succurrit nihil esse tam arduum quin conando superari possit. Proinde ab animi fortitudine petendum esse auxilium et continenti labore familiam exercendam: huic nostro studio Dei beneficientiam non defuturam. Itaque in insulam duobus millibus passuum a continenti remotam transmisimus, ibique domicilio nostro locum delegi, ut adempta fugae facu[*ltate manum nostram in*] officio continerem, et quod feminae sin[*e viris*

2612. 1) *Vide J. de Lery N.* 2609 *laudatum, Bayle, Villeg. N.* 50.

2) *deperditae. H. ecclés.* I. 159: Villegagnon se contrefit à merveilles faisant enregistrer au greffe de son royaume imaginaire les letres qu'il avoit receues de Geneve, afin, disoit-il, de suivre de poinct en poinct les saincts et droicts advertissemens qui y estoient contenus: ce que mesmes il declaira par letres expresses envoyees à Geneve en datte du dernier de Fevrier [*Mars*] 1557, avec infinis remercimens du bien qu'il confessoit en avoir receu. Mais tost apres le masque fut levé . . . .

3) *Petrus Richer et Guil. Chartier, qui appulerunt* sous la conduite de Philippe de Corguilleray dit du Pont. *Adfuit alius etiam minister Io. de Lery supra laudatus.*

4) Par le congé du Roy ledit Sr. (*de V.*) alla visiter les prisons de Paris pour veoir les personnes qui y estoient qui seroient de service pour l'affaire a quoy il les vouloit employer: et tous ceux qu'il trouva esdites prisons qui n'estoient pas trop viels ni caducques . . . requist aux juges de lui delivrer pour les mener audit voyage. (*Mém. de Cl. Haton, collection des docum. inéd. sur l'hist. de France* 1857, *p.* 38.)

suis non essent, ad] nos commeaturae delinquendi occasionem [*praeriperem. Accidit tamen*] ut e mercenariis 26 voluptatis illecti cupiditate in m[*eam vitam conspiraverint*]. Sed die constituta consilio exsequendo res mi[*hi per unum ex*] consciis enunciata eo ipso momento quo ad me opprimen[*dum*] armati admaturabant, hoc modo periculum effugimus. Quinque e meis domesticis ad arma convocavi et adversum ire coepi. Tum tantus coniuratis incessit terror tantaque perturbatio, ut nullo negotio facinoris autores quatuor, qui mihi fuerant designati, corripuerimus et in vincula coniecerimus. Eo casu reliqui consternati positis armis delituerunt. Postridie unum catenis exsolvimus ut causam suam diceret liberius. Sed effuso cursu in mare se praecipitem egit et suffocavit. Reliqui ut e vinculis causam dicerent adducti sine quaestione ultro exposuerunt quae per indicem comperta habuimus. Unus ex ipsis, paulo ante a me castigatus quod se scorto coniunxisset, iniquiore esse mente cognitus est, et ab se coniurationis initium factum esse, atque scorti patrem muneribus devinxisse, ut eum e nostra potestate eriperet, si scorti copulam prohibere contenderem. Hic suspendio sceleris poenas luit: duobus reliquis delicti gratiam fecimus, ita tamen ut in catenis terram exercerent. In aliis quid esset peccati exquirendum esse mihi non putavi, ne compertum scelus inultum omitterem, aut si supplicio castigare vellem, quum facinus ad multitudinem pertineret, non superessent qui opus a nobis institutum perficerent. Itaque dissimulata animi mei offensione peccatum condonavimus, et omnes animo bono esse iussimus. Non ita tamen a sollicitudine nos abduximus quin quid in unoquoque esset animi ex studio curaque sua quotidiana diligentissime venaremur. Et quum labori eorum non parcerem, sed assidua mea praesentia ad opus eos urgerem, non solum pravis consiliis viam praeclusimus sed brevi tempore insulam nostram munitionibus [*et validi*]ssimis propugnaculis saepivimus. Interim pro ingenii mei [*captu e*]os monere et a vitiis deterrere non desistebam, atque [*ment*]es eorum christiana imbuere religione, indictis a me mane [*et*] vesperi publicis et quotidianis precibus: qua cautione et diligentia reliquam anni partem quietiorem habuimus. Caeterum eam quam exposuimus curam nobis ademit navium nostrarum adventus. Hinc enim nactus sum viros a quibus non solum mihi sit minime cavendum, sed quibus salutem meam tuto possim committere. Hac oblata mihi facultate decem ex omni copia delegi, apud quos imperii nostri potestatem deposui, decernens ut nullae res posthac nisi consilio gerantur. Adeo si quid in quemquam durius statuerem, nisi consilii autoritas et consensus accederet, infirmum esset et inane. Hoc tamen mihi reservavi ut lata sententia supplicii veniam dare mihi liceat. Sic omnibus prodesse, nemini nocere possum. Hae demum sunt artes quibus dignitatem nostram retinere tueri et propugnare constitui.

Addam consilium quod literis tuis adhibuisti, summa animi contentione operam daturus ut ne vel tantillum ab eo deflectamus. Hoc enim certe nec sanctius nec rectius nec sanius ullum esse persuasum habeo. Quamobrem etiam tuas literas in senatu nostro legendas, deinde in acta transscribendas curavimus ut, si quando a cursu aberrare contigerit, earum lectio ab errore revocet. Dominus noster Iesus Christus ab omni malo te tuosque collegas protegat, spiritu suo vos confirmet vitamque vestram ad opus ecclesiae suae quam longissime producat. Fratribus meis carissimis *Cephae* et *de la Fleche* fidelibus plurimam salutem meis verbis velim impertias. Collignio [5]) e Francia antarctica prid. Cal. Aprilis 1557.

Si ad *Renatam* Franciae heram nostram quidpiam literarum dederis, hanc quaeso meo nomine diligentissime saluta.

Tui amantissimus cupidissimus et ex animo

$\overset{a}{N}_i^s$ [6])

2613.

RICHERIUS ET CHARTERIUS CALVINO.

Relatio brevis duorum ministrorum Genevensium itineris per Galliam in Americam facti ubi iam in colonia a Nicolao de Villegagnon deducta munere suo funguntur.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 69.)

A Monsr. despeville.

Perpetuum Domini favorem fratri precamur.

Nostra coniunctio, carissime frater, qua vinculis sancti spiritus coadunati in unum Christi corpus coalescamus* et vegetamur, nos adeo familiari consortio iungit, ut longa lataque locorum distantia, quae nos corporum praesentia privat, non impediat quin animo tecum praesentes simus et persuasum habeamus te vicissim nostri memoriam habere. Ut

5) V. s'arresta en une petite isle qu'il nomma Coligny. (*Hist. eccl.* 159.) *Cf. Richerii ep. proxime seq. De hac Villegagnoni ep. leges Calvini iudicium ad Far.* 24. *Febr.* 1558.

6) Nicolaus (*Durand de Villegagnon*). *Siglum ita scriptum est ut etiam* V *repraesentetur.*

autem haec mutua caritas non solum conservetur, sed indies magis ac magis crescat, nostro nunc officio deesse nolumus subticendo tibique celando ea Dei beneficia quae ab eo copiose admodum accepimus. Imo potius hanc ad te mittimus epistolam, ut et nostri moeroris et gaudii participem te faciamus, et simul eius laudem celebremus, eiusque famam et gloriam ubique divulgare conemur. Impiorum scelerata vita, incompositi mores, assiduae ipsorum in Deum βλασφημίαι, adversariorum Christi in repugnando verbo Dei pervicacia et rabida maledicentia, insidiae quas ab eis nobis praeparatas multi profitebantur (earum tamen effectum nunquam Deus nobis ostendit), alia pericula viae, maris procellae et quae illic contigerunt incommoda maximam nobis dederunt occasionem tristitiae. Verum inter tot vitae nostrae discrimina eam quam de Dei Opt. Max. erga nos favore spem conceperamus sensimus in nobis confirmari, quum antiquam eius erga nos paternam clementiam ad memoriam revocantes experiebamur eum tunc stare promissis et nobis favere quum maxime opus esset, nosque in periculorum profundo lacu minime derelinquere.

Quum enim ad eum locum pervenissemus in quo is erat qui partim sua autoritate, partim consilio, partim sumptibus (quantum ei licet) huius ecclesiae primordia curat, qui et huius nostri instituti dux et caput est, [1]) in Gallia multa nobis resolvenda fuerunt in quibus sapientia divina clarissime apparuit. Alia praeterea illic gesta sunt, verum talia quae nos consolare* potius quam tristitia afficere deberent: praesertim quum videremus multos verbi Dei cupidos, et ea quae nobis necessaria essent polliceretur qui praestare poterat, tum ad libros emendos, tum ad vestimenta comparanda, tum ad itineris sumptus faciendos. Quum autem pervenissemus Lutetiam, ecclesiam Christi illic congregatam optime verbo Dei comperimus*, unde maxime sumus consolati *, videntes adimpleri Davidis vaticinium quo praevidebat Christi regnum in medio inimicorum suorum stabile fore, quod te nostris ad te literis iam intellexisse confidentes pluribus verbis non prosequemur. Peracto Lutetiae omni nostro negotio appulimus portum maris vulgo appellatum Honnefleur: die autem Novembris 19 ingressi sumus naves quarum ministerio huc usque tandem pervenimus hancque insulam quam appellant de Couligni introivimus die 7. Martii, ubi coelitus nobis paratum invenimus et patrem et fratrem Nicolaum *Villagaignonem*. Patrem dico quia nos uti filios amplectitur, alit et fovet, fratrem vero quia nobiscum unicum patrem coelestem Deum invocat, Iesum Christum solum esse Dei et hominum mediatorem credit, in eius iustitia se coram Deo iustum esse non dubitat, spiritus sancti interno motu apud se ipsum experitur se vere membrum Christi esse: cuius rei testimonia non pauca vidimus. Delectatur enim verbo Dei, cui ne doctorum quidem antiquorum dogmata, quamvis multis sacra videantur, praeferre instituit. Carnis certe iudicium hoc vix admittit, quandoquidem antiquitas apud eum multum potest: eo usque tamen pervenit ut animum suum sancto puroque Dei verbo regi sinat. Honeste et prudenter familiae suae praeest, quae illius ecclesiae speciem praeferre videtur quam in domo suo habebant Priscilla aut Aquilla * aut illius quae apud Nympham erat. Quo fit ut speremus brevi futurum ut inde prodeant amplissimae ecclesiae quae laudem Dei celebrent et Christi regnum augeant. Is enim optimum sincerae veraeque christianae religionis exemplar et dux* se ipsum praebuit, tum in audiendis publicis concionibus et orationibus, quibus aderant et omnes eius domestici, tum in percipienda sacra coena Christi quam avidissime et religiosissime excepit. Priusquam autem ad hoc coeleste convivium accederet, publicam fidei suae confessionem clara voce protulit, et Solomonem imitatus locum in quo eramus congregati precibus Deo se dicare declaravit, seque et sua omnia ad eius gloriam propagandam parata esse professus est.

Sed ne historiam texere potius quam te nostrarum rerum certiorem facere videamur, reliquorum narrationem tabellario familiarissime tibi cognito relinquentes, a quo privatis colloquutionibus quaecunque nobis acciderunt poteris intelligere, scriptis nostris finem imponemus: modo te rogaverimus ut tuas preces in conspectu Dei effundas, quo perperficiat Christi aedificium quod in his terrae finibus inchoatum est, et admoneas omnes quos Deum timere et ex animo venerari cognoscis, ut idem tecum agant. Hoc autem Eleutheropoli, [2]) cui te ministrum evangelii praeposuit, iam absolutum precamur ut conservet, foveat, in tranquillo et pacato statu retineat, simulque suas ecclesias ubique sua paterna clementia congregatas coelesti fortitudine muniat. Collegas tuos omnes saluta, si lubet, nostro nomine, nominatim autem Nicolaum *Galazium*, P. *Viretum* et Theodorum *Bezam*. Insulae Couligniensi * quae prima Francorum exculta fuit ha-

---

2613. 1) *Coligny.* — La colonisation par les protestants des régions qu'on nommait alors les Indes était un des rêves favoris de l'amiral. On sait qu'il ne se laissa pas détourner de ses desseins par l'insuccès de l'expédition du Brésil. En 1562 il favorisa le départ pour la Floride d'une nouvelle troupe d'émigrants que commanda le capitaine Jean de Ribaut. Cette tentative ne fut pas plus heureuse que la précédente. (*De Grammont, Rel. de l'expéd. de Charles-Quint contre Alger p. Villegaignon p.* 8.)

2) *Genevae.*

bitatio in Antarctica Gallia. Cal. Aprilis anno 1556.

Tui fratres quos evangelii ministros esse iussisti
G. Charterius [3] Richerius
tuus in Christo tuus in Christo.

2614.

VERMILIUS CALVINO.

Rogat ut Maximianum comitem de morte uxoris consoletur. Recenset nomina eorum qui Wormaciae colloquium habituri sunt, grandi nempe cum fructu et exclusis Helvetiis. Philippi regis et Gribaldi theologastri motus significat.

(Ex tomo Locc. theol. saepius laudato fol. 579 v.)

Diu est, vir clarissime, quum ad te non scripsi, haud sane quod mihi tui memoria exciderit, vel quod alio animo erga te nunc sim atque antea fuerim, verum quia, ut fit, quando tabellarii adsunt non vacat, quum vero est otium tabellarius deest. At nunc, quando tabellarium habeo et sum nactus otium, intermittere nolui quin ad te scriberem idque rogem quod te, quae tua pietas est, per te ipsum iam fecisse atque facturum esse minime dubito: ut meum, imo tuum Comitem *Maximianum*, [1] fratrem in Christo carissimum, hoc suo tempore diligenter consoleris. Ex morte quippe uxoris, lectissimae feminae, ut animadverto, accepit vulnus gravissimum, at a medico, quod Christianis voluptati non mediocri esse oportet. Novit enim servator noster Christus quid ad salutem nostram conducat, idque longe magis quam a nobis queat provideri.

Hic nihilo secius agitur atque prius. Id pro certo scribitur, colloquutores in comitiis esse declaratos, [2] qui Wormaciam proximo Augusto mense conveniant et inter sese de religione disceptent, eo scilicet fructu quantum ex praeteritis divinare licet, quo ter minimum hactenus est actum. Sin vero quaeras qui sint, sic habeto: *Vicelius*, Iulius *Pflug* et *Asotus* a papa stabunt, a nostris autem *Philippus*, *Brentius* et *Marpachius*. Hui, dices, num Saul inter prophetas? Res ad triarios rediit. Pavonis tui, seu nostri, literis interioribus opus erat. Interea tu, *Bullingerus*, ut me ceu abortivum praeteream, Samaritani habemur, quique vel aere quem spiramus, nedum christianis conventibus, indigni simus: et nihilominus, vel ipsis nolentibus, ad duodecim tribus Israel pertinemus, licet regionem colamus citra Iordanem, et numero ab eis vincamur. Putant et clamant nos exstruxisse altare ad alienam religionem excitandam. Utinam aliquando intelligant, nos religionis purae atque sincerae illis multo maxima ex parte studiosiores esse.

Philippus rex in Angliam transmisit ubi cohortes militum exspectet quae ad illum ex Hispania sunt navigaturae: a regina vero et militem et pecuniam petit. [3]

Gribaldus hic nudius testius fuit, sed una duntaxat nocte. Me non convenit, ut quem iam audivit a suis dogmatis plurimum abhorrere. [4] Dixit attamen quibusdam, ut accepi, *Vergerium* propediem adfuturum et res in comitiis polonicis non omnino male transactas. Quidquid tamen id fuerit non plane scimus: quod ut certius novero to statim certiorem faciam.

Symmystas tuos ac reliquos fratres, praesertim autem D. *Marchionem* a me salvere cupio. Vale, atque me ut facis ama: nam et ego te plurimum in Domino veneror. Tiguri 8. Aprilis 1557.

2615.

BULLINGERUS CALVINO.

Iter non ipse quidem, verum fortasse collegae Genevam versus suscipient. De colloquio ex delectis colloquutoribus pessima auspicia. Caeterum in tota hac re Rex principes evidenter decipit et quidvis pollicetur dum interea auxilia sibi contra Turcas adferant, quibus devictis nihil ipse praestabit.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 117[b], olim Scrin. C. Epp. Tom. II. fol. 369. — Simler. Vol. 89.)

3) *V. N.* 2530. *In anno manifestus error.*

2614. 1) *nobis ignotum.*

2) *Vide infra Hubertum N.* 2620.

3) *Gallicum bellum parabat* (*N.* 2626).

4) *Gribaldus tunc temporis usque prof. Tubingensis in Helvetia propter singularia sua placita male audiebat* (*N.* 2374) *ita ut ipse Vergerius, qui tamen ei favebat, ducem Christophorum de eius fama indies peiori certiorem facere necessarium duxerit ep.* 17. *Iun.* 1557 *data. Nunc pro more praedium suum Farges prope Genevam situm petebat aura vernali fruiturus. Bernae vero Cal. Maiis a quodam homine Gaiensi, quocum ei lis erat, ex improviso impetitus et vulneratus est.* (*Trechsel* II. 294.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori, domino colendo et fratri carissimo suo.

Genff.

S. D. Venient fortassis D. *Martyr* et *Gualtherus*, utcunque mihi commodum non sit venire.[1]) Si quid videbitur futurum e re nostra, inprimis autem promoturum gloriam Dei et ecclesiarum salutem, manibus et pedibus in id concessero. Caeterum cogita tu modo, num aliquid sit sperandum de colloquio illo privato. Scribunt amici ex Augusta Vindelicorum finiri iam comitia imperialia[2]) ac colloquium illud infelix inter deputatos imperiales habendum mense Augusto Wormatiae. Ex Lutheranis post *Philippum* sunt quos omnino nolis, *Brentius*, *Marbachius* et crassi aliquot Saxones. *Brentius* propter sui principis autoritatem inter primos est: ac nisi adsit *Brentius*, nihil recte putatur factum. Ex adversa parte audio adhibendos omnium versutissimos sophistas.[3]) Prudentiores tamen et pientiores in Germania arbitrantur Regem ita naso circumducere principes, atque translationibus uti versipellibus, ut si victoria potitus fuerit, praescribat mox illis: Hoc volo, hoc nolo. Quid vero si Zedechiam Deus vinctum tradat Turcis? Quum bellum omnes metuant Turcicum cur non auspicantur defensionem a religione? Miles praesidiarius Salisburgi dicitur conscribi, qui ducatur in Pannoniam superiorem. Et auxilia contra Turcas promiserunt Regi contra Turcas[4]) neque polliceri quidquam voluerunt nisi colloquio concesso. Sed quando concessit? Pugnandum erit prius et mittendus miles, numerandae prius pecuniae quam colloquendum. Omnino itaque pessima fide agit Rex. Quid deinde facturum putas? Regis Gallorum exercitus relicto Arimino recta movet in Neapolim, quo et Turcarum classem venturam aiunt. Egregia collusio. Saucia sunt ubique omnia. Dominus Deus noster servet ecclesiam suam in malis tantis et incurabilibus prope. Tui omnia Badae perfecerunt ex sententia. Deo gloria. Vale cum omnibus tuis. Salutant te nostri omnes. Tiguri 9. Aprilis 1557.

Bullingerus tuus.

2615. 1) *N.* 2597. 2606. 2610.
2) *Ratisbonae celebrata et d.* 16. *Mart. dimissa.*
3) *Vide praecedentem. Adde Heldingium, Canisium, Staphylum.*
4) *sic.*

2616.

FARELLUS BLAURERO.

Post Genevae laudes et Transalpinorum novissima discrimina fuse narrat quae ipse nuper egit Porentruaci quo evangelium praedicaturus se contulerat.

(Ex autographo Cod. Sangall. 37, Epp. tom. VIII. fol. 132. — Exstat quoque exemplar recentius in Bibl. civ. Turic. F. 43, olim VIII. fol. 496, et ap. Simlerum Vol. 89, qui autographon pluribus in locis false legit.)

Guil. Farellus Ambrosio Blaurero Bielensium pastori.

S. Mox ubi tuas accepi rediens ex montibus ad *Bezam* misi tum tuas tum *Calvini*,[1]) et sane miror nihil responsi datum esse. Dolet mihi mors tam pii viri,[2]) qui merito et tot et tantis malis liberari desideravit. Ecclesias, pusillum sane gregem, tam gravi laborantes invidia, quibus totus est infensus orbis, quae et Dominum provocant tot peccatis tantaque impuritate, quis non stupescat ita scissas furiis. Exagitantur quae primae sunt: eas quae secundo aut tertio loco prodiere ferre non possunt, et quae matres esse, ut haberi volunt, debent odia exercent plus quam novercalia. Nulla habetur synodus. Nemo curat ut dispiciatur super causis dissidiorum, quamvis nonnulli spem aliquam fecerint. *Sulzerus*, quum ex animo commendarem, iussit bene sperare, quod utinam perfectum videam. Ego Genevam prorsus deplorarem, nisi scirem Dominum in ea regnare et huius protectorem esse pro qua pugnat. Nunquam ita placuit ut nuper, adeo ut avelli illinc non possem, non ut docerem tam frequentem et ardentem coetum, sed ut audirem et docerer ut unus e plebe. Longe aliter sentio quam ille qui malebat in montibus primus esse quam Romae secundus.[3]) Optarem enim Genevae potius postremus esse quam alibi primus. Et nisi me Dominus aliud iuberet, et caritas qua fidei meae concreditos amplexor, nemo me retineret quin, ut animo tantae sum coniunctus ecclesiae, ita corpore in omnibus adessem. Alias magni facio et observo ob Christum et evangelium, sed hanc quae supra caeteras contumeliis afficitur et omni iniuriarum genere impetitur commendo Domino, ut suae adsit familiae flagito, precorque ut hostibus meliorem det mentem, beneque faciat bonis et rectis corde reddatque retributionem superbis.

2616. 1) *N.* 2593.
2) Alberti Marchionis Brandenburgensis exsulis qui obiit in oppido Badensium quod dicitur Porta Hircinia 8. Ian. 1557. *Simler.*
3) *Simlerus in margine:* Tossanum forte notat (!!)

Transalpini,[4]) ut anno superiori impetiti fuerant ab adversariis ita nunc et ut nonnulli perterriti receperunt se non amplius audituros concionatores sed missatores, et tandem resipuerunt constantia firmiorum et exempla moti, ita nunc pauci annuerunt, sed demum quam gravissime tulerunt quod cum aliis constantiores non fuerunt in fidei doctrina confitenda, et nisi pastores summa cura laborassent in misericordia Domini et gratuita peccatorum remissione plane in desperationem ruebant. Faxit Christus ut ex turbis et omnibus quae minabantur perniciem piis laetus et quietus datus fuit exitus ita nunc contingat.

Nos negligimus vicinos[5]) qui omnes parati sunt ad audiendum. Tantum hoc deest quod nemo audet pastores rogare ut loquantur: ita sibi timent ab officiariis qui plebem devorant. Quum venissem ad Divum Leodegarium[6]) sine contradictione docui. Audiebant omnes praesentes. Coactus fui tum a collega uno vel altero abire, quos sane poenituit facti et consilii. Ubi abivi confluxerant aliquot centena audire exoptantia. Portentruenses adivimus,[7]) ego cum viciniori ministro. Excepti fuimus quam humanissime. Civium magister et scriba coenarunt nobiscum. Audierunt nos, et quum peteremus senatum, nobis in crastinum datus fuit frequens et gravis. Nusquam ingressi sumus urbem in qua fuerimus amice magis et maiori cum honore excepti. Auditi fuimus summa attentione et, ut licebat ex facie coniectare, multo cum affectu et favore. Tum in gratiam Christi, evangelii et salutis ipsorum ac plebis quam senatus a Domino accepit regendam ut patres filiös, nos nostraque omnia offerremus, parati vitam cum sanguine fundere: tantum bono essent animo. Non defuturum Christi potentissimi regis auxilium, etiam ubi totus insurgeret mundus. Servasse Dominum suos olim nostrisque temporibus: nos non inexpertes loqui et sensisse opem Domini: Sed paucis complecti non possum quae liberius et fusius dixi. Nam attentio et benevolentia movebat ut plenius loquerer, eratque dicendi amplissimus campus. Finita oratione egredimur. Consulitur, quod alibi acceperam. Hoc bonos viros movet, quod ad me attinet, nimis honorifice, ut ex responso accepi. Utinam Christo plus tributum fuisset et mihi nihil. Nam actae sunt ingentes gratiae. Oblata omnia officia, nec respuerunt mea uti opera: tantum esse quaedam peragenda per quae differri oporteat quae suadeo. Sed priusquam respondeant qui designati sunt, episcopus[8]) vocat ad se in arcem ut intelligat quid egerimus in senatu, quidque conclusum fuerit. Responsum est, nos quidem petiisse senatum et datum fuisse ut petentibus fieri solet. Caeterum conclusio non fuit indicata. Vocati et nos fuimus, sed non tam cito ascendimus ut iubebat qui nos vocabat. Quum ascendissemus syndicus episcopi et capituli, Ioannes, ni fallor, *Vendelinus* ita nos convenit: *Farelle,* olim huc te contuleras sparsurus zizania, sed iussus a *Philippo* b. memoriae secedere et temperare a spargenda tua doctrina in hunc diem te continuisti. Nunc sane miramur quod ausus sis rursus tentare quod Dominus non est passurus. Quare amice te admonitum volo et rogatum ut desistas, ne quid tibi mali eveniat. Nam si quid contigerit in tuum caput recidet. Et iussit ut canos meos non exponerem tanto discrimini, contentus iis qui me audirent, ne motus et seditiones excitarem, fretus plebeculae invitatione, ubi iusta non esset vocatio. Et alia quaedam addidit. Ego petii ut respondere daretur. Ubi datum est, dixi me unum praedicasse Christum, et hunc crucifixum, vere sapientem, iustum, perfectum, summe bonum, quem audire omnes debeant, nec cuiquam liceat addere, demere, immutare aut corrigere iis quae tradidit credenda, tenenda et facienda. Proinde iniuriam maximam fieri Christo et evangelio et scripturae sacrae quod vocentur zizania, et tam sancta et pura praedicatio sparsio zizaniorum. Quod ad hunc locum attinet, desiderasse me ante annos triginta invisere sed nunquam datum nisi nunc. *Philippum* vero praecepisse ut secederem hinc, hoc nunquam factum ab episcopo, nec hic nec alibi, sed me docuisse libere in ditione episcopi, ut Agathopoli[9]) et alibi: me neque seditiones neque motus excitare, sed ea proponere quae principes cum plebe coniungant sancte et nihil esse magis e re principum quam id quod doceo, nimirum ut pareant Christo, regi regum, in cuius manu sunt omnia, curentque omnes obedire Christo. Me vocationem a Christo habere probatam, cui omnes adversarii non potuerunt resistere: ita dedisse Dominum os et sapientiam contra omnes adversarios. Quod et futurum non dubito, et si quis possit me falsi et perversae doctrinae convincere me nullam veniam poscere, sed potius ut quam durissimae de me sumantur poenae. Hoc enim multo praestare ut hic luam poenas quam

4) *Simlerus hic sibi Locarnenses deprehendisse videtur. Cur non potius de Pedemontanis cogitares?*

5) *in ditione episcopi Basileensis. Post obitum Philippi episcopi a.* 1555 *defuncti classis Neocomensis faustam rata erat occasionem operis incipiendi, verum Blaurerus dissuaserat.* (*Kirchh.* II. 143.)

6) *St. Légier s. Seignelegier in ditione Bernensi ad viam quae ex Porentruaco et Delemontio ad La Chaux-de-fonds ducit.*

7) *Scil. ipse cum collega Emaro Beynon ministro in Serrières qui iam antea in similibus expeditionibus eius comes fuerat. Sic quidem Kirchh.* II. 145. *Ruchat vero* (VI. 218) *alium nomen praebet Lalliet.*

8) *Melchior a Lichtenfels, Philippi a Gundelsheim successor.*

9) *Neuveville alias Bonneville ad lacum Bielensem.*

si me et alios perderem. Mallem enim nunquam natus esse quam si contra veritatem docerem. Quod si contingat hos canos adduci in periculum ob evangelium, nihil posse melius contingere. Videant, quaeso, ut episcopo et plebi autores sint ut amplexetur evangelium et ea quae Christi sunt. Videamus omnes ut ex scriptura divinitus inspirata doceamus, instruamus, corrigamus et formemus omnes, et ita instrui curemus, non repugnemus Domino. Oportere nos omnes sisti ad tribunal Christi. Nemo eximetur. Ibi erit reddenda ratio. Utinam omnia succurrerent quae dicta fuere, praecipue de doctrina Christi et scriptura sacra. Syndicus dixit, probari quidem dicta quod ad θέσιν attinet, sed quod ad ritus ecclesiae nolle quidquam immutari, nec episcopum passurum, meque nuper fuisse in Monte libero, [10]) et sicut apud Bernates, ubi abrogata est missa, nemo pateretur missam celebrari, ita se non passuros contra ea quae servata fuerunt hactenus fieri. Ego: Nihil egi, inquam, cuius nolim ex verbo Dei rationem reddere, nec vellem prohiberi missam quia sit abrogata, nisi quia verbo Dei comprobari non potest. Quod si quis eam probarit sacris scripturis, ego in eo et omnibus quae aperte scriptura habet vellem me illi adiungere et eam tueri eique adesse, ut tenemur omnes pro veritate stare. Ille: Audivisti cuius fueris admonitus. Ego: Christus det ut se suaque quorum nos admonet sequamur. Ita egressi sumus. Mihi satis visum est tueri veritatem et non acrius hostes perstringere ubi soli erant. Postea iterum vocati sunt cives, sed nihil aliud effectum quod intellexerim. Nos in crastinum solvimus salutatis omnibus obviis. Audivimus tertio post die convenisse plurimos undique ut audirent. Ita bis pauper populus cucurrit ut audiret verbum, modo in montem modo in urbem veniens. Bis impeditus fui. *Sulzerus*, qui quam diligentissime laboravit quum essemus Basileae, et ex animo studuit ut aliquid fieret unde animari possent ii qui erga plebem aliquid possunt, utinam obtinuerit et effecerit quod sperabat. Sane quum cogito apud me quam sunt omnia parata et quam leve et nihil est quod impedit, valde angor. Dominus Iesus benignus adfulgeat. Audio aliquot, qui se dicunt ex nostris esse, qui nec manum admovere ipsi volunt, neque ferunt ut alii admoveant. Utinam vel per occasionem praedicaretur Christus. Ego si quid possem, optarem illis auxilio esse ut supra modum agerent et efficerent in agro Domini. Ego te instigarem ut apud istum senatum curares ea quae aliis sunt valde necessaria, nisi scirem te multo propensiorem. Christus omnium tangat corda. Vale, mi optime Blaurere. Saluta collegam et pios omnes. Collega te salutat. Neocomi 13. Aprilis 1557. Ignosce quaeso meae festinationi quae prohibuit aliter scribere.

Tuus Farellus.

10) *in valle Monasterii (val de Moutiers).*

2617.

BEZA FARELLO.

De Morellani reditu optando.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium.)

Eximio Christi servo et Neocomensis ecclesiae fidelissimo pastori D. Gulielmo Farello.

S. Intellexisti, opinor, ex *Vireti* nostri literis quid D. *Calvino* et nobis videatur de *Morellano* nostro, cuius vel ob hanc causam reditum optamus, ut cum eo possimus certius aliquid constituere, sive istic ei redeundum fuerit, sive successor illi mittendus. Scripsi igitur ad eum ex communi fratrum sententia. Tu nisi aliud consilium habes, quum literas nostras legeris et obsignaris, curabis primo quoque tempore per proprium nuncium perferendas: alioquin, dum se offerat qui ad eum proficiscatur, annus praeterierit. Mittimus ad te coronatum unde sumptus fiat. Quidquid amplius consumptum fuerit ad te mittemus simul atque rescripseris.

De rebus nostris nihil novi quod ex *Vireti* nostri literis non melius intellexeris. Factio *Zebedaei* non desinit mihi minari. Id vero magnopere me confirmat, quod laborem nostrum qualemcunque videam malis displicere. Bene vale, mi pater. Dominus Iesus te conservet et magis ac magis confirmet. Laus. 13. April. [1])

Th. Beza
filius in Domino tibi addictissimus.

2618.

CNIPIUS CALVINO.

Totus in eo est ut Lutheranorum imaginem repraesentet, libellis, calumniis, invectivisal iisque arti-

2617. 1) *De anno ambigere poteris. Morellanus enim fere quotannis locum mutavit. Iam quum Beza adhuc Lausannae sit ante a.* 1559 *scriptam esse patet. A.* 1554 *m. Augusto Ferrariam missus fuerat ille, a.* 1557 *Parisiis fuit unde m. Iulii rediit.*

bus bilem suam in Sacramentarios quos vocant effundentium praesertim Francofordiae.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 127 seqq. ubi tamen a bibliopego foliorum ordo interversus est.)

Clarissimo et reverendo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo domino suo semper observando detur haec epistola.

Salutem gratiam et pacem tuae precor excellentiae per Christum liberatorem nostrum. Narravit mihi post discessum a nobis tuum vir clarissimus tuique cumprimis observans D. Ioannes *a Glauburgò*, mataeologum hic esse Andream *Saxonem*,[1]) qui recusarit tibi obvio dare manum quod suae non esses religionis, ut aiebat, et fidei. Multa blateravit idem publice et privatim de sacramentariis quorum te dixit antesignanum esse, quemadmodum saepe audivi. Verum posteaquam rescivit Farraginem illam germanico-latinam Ioannis *Timanni* ecclesiastae Bremensis non exiguo libro, quem amplissimus senatus habet, a me confutatam esse,[2]) barbaram et criminosam orationem decem paginarum in me scriptam consulibus tradidit, tum suo tum collegarum nomine. Hanc ego statim latina et germanica apologia sic traduxi dilui et everti, ut totus senatus a me stet contra mataeologum. Permulta etiam epigrammata in eundem tornavi ad plerosque omnes doctos ac pios in hac urbe missa, quemadmodum postea quoque ad eundem illum mataeologum. Hoc facto sic territi fuerunt eius collegae ut se per quosdam praestantes viros apud me diligenter excusarint, uni mataeologo hanc tragoediam assignantes. Nihil ei deliberatius fuit quam me identidem appellare Zwinglianum, sacramentarium et Sinonem qui hanc urbem prodere et funditus evertere conetur. At nunc postquam eum suis depinxi coloribus et barbariem amentiamque suam hic undique divulgatam esse comperit, non amplius conviciando scurrando et maledicendo furit ut prius sed intra pelliculam suam se continet. Iam deliberat amplissimus senatus quomodo reconciliemur. Ego vero, quia mataeologus idem anno superiore, quum me nondum vidisset, multa nefanda publicitus in me scholamque nostram evomuit, quae quidem deinde citatus in curiam probare coram senatu non potuit, ita eum dehinc etiam tractabo ut quo se vertat nesciat.

Misissem tibi novos libellos Ioachimi *Westphali*[3]) contra te caeterosque propugnatores aeternae veritatis editos, nisi vestrates idem hoc facturos vidissem. Coelius Secundus *Curio* in praeclara epistola ad me scripta perhonorificam tui mentionem facit, Pelagio *Velsium*, Augustino *Calvinum* comparans. Quaeso autem, vir doctissime, ut ante omnia respondeas[4]) tuo more ad eum librum cui titulus est: *Confessio fidei de eucharistiae sacramento in qua ministri ecclesiarum Saxoniae solidis argumentis ss. literarum astruunt corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi praesentiam in coena sancta et de libro Ioannis Calvini ipsis dedicato respondent.* Ego responsionem tuam Deo iuvante, si voles, germanice vertam.

Ante menses quatuor in convivio doctissimorum virorum, cui et Valerandus *Pollanus* interfuit, Matthiae *Rittero* multa frivola et inepta crepanti in te et *Petrum Martyrem* haec argumenta opposui: Quidquid docetur contra fidem et confessionem sanctae ecclesiae catholicae profanum haereticum et impium est: opinio illa quae dicit Christi corpus esse ubique docetur contra fidem et confessionem sanctae ecclesiae catholicae, testibus multis orthodoxis patribus: igitur eadem opinio profana haeretica et impia est. Aliud: Quidquid Christus confutavit prorsus contumeliosum est adversus Deum: Christus confutavit opinionem illam de carnali esu veri naturalisque sui corporis, Ioannis 6: igitur et haec opinio de carnali esu veri naturalisque corporis Christi prorsus contumeliosa est adversus Deum.

Haec praedictus Matthias, cui tecum hic sermo fuit, quum a caeteris ecclesiastis non esses admissus ad colloquium, nullo modo solvere aut diluere potuit. Aderant autem praeter me et Valerandum *Pollanum* duo iuris utriusque doctores et eruditus quidam senator nomine *Carolus*, item D. Ioannes *Stockius* medicus, praeterea doctus etiam iuvenis ex academia Basiliensi, qui mecum provocabant hominem ut diserte responderet. Nam et *Valerando* prius odiose insultaverat. Sed omnia nequidquam.

Paucos ante dies coepi vertere Purgationem illam autore D. Ioanne *a Lasco* editam.[5]) Et ecce obtruditur mihi germanicus quidam libellus quem facile dixeris ore diaboli dictatum esse: totus enim Antichristum spirat. Hunc me oportet solidis argumentis divinae scripturae et orthodoxorum patrum

---

2618. 1) *v. d. m. Francofordiensem.*

2) *In rescripto Frankf. Praedicanten Gegenbericht* §. 82. (*Rel. Hndl. II. Beil.* 14, *p.* 86.) *Cnipius dicitur concionatores et Lutherum conviciis impetiisse, et duos libellos sub nomine Io. Candidi contra doctrinam eorum de coena ap. gallicum typographum edidisse. Utrum vero haec huc pertineant an potius ad a.* 1560 *dubium nobis videtur. Cf. Salig* II. 1140.

3) *Alter inscriptus est:* Epistola I. W. qua breviter respondet ad convicia Io. Calvini, item Responsum ad scriptum Io. a Lasco. Ursell. 1557. *Alter, cuius titulus sequitur prodiit eodem anno Magdeburgi.*

4) *Quod fecit in sua Ultima admonitione.*

5) *An absolverit merito dubitaris. Nam a.* 1598 *Heidelbergae prodiit Melchioris Frombergeri versio qui iam a.* 1557 *Pollani Antidotum verterat. Uterque libellus recusus est in Frankf. Rel. Handl.*

testimoniis confutare. Nam scriptor libelli Francofordiensis pastor est sacrificulorum in primario templo, hic natus et educatus. Prodiit etiam epistola quaedam admonitoria Ioachimi *Westphali* ad consules et amplissimum senatum nostrum [6]) scripta, prius latine nunc etiam germanice versa, idque nostra dialecto cuius *Westphalum* novimus esse prorsus ignarum. Unde suspicor hic esse versam et in vicinum oppidulum cui nomen Ursella esse missam, ubi novus quidam typographus a me ante triduum conspectus illam excudit. Mihi videtur nullum scriptum amplissimo senatui nostro ignominiosius edi potuisse. Repetitur enim illic Epistola *Lutheri* ad Francofurtenses contra Zwinglianos olim scripta. Ecclesiae peregrinae cum doctoribus et ministris suis damnantur haereseos et extremae impietatis. Obiicitur prudentissimis dominis nostris quod in sua civitate morbidas oves totum ovile corrupturas foveant ac tueantur, quodque passi sint antesignanum quendam sacramentariorum nostris typographis, prelis ac typographia, quae singulare Dei donum sit, abuti. Arbitror plus mille exemplaria hisce nundinis esse distracta. Utinam haec sciret reverendus D. Io. *a Lasco*, qui praecipue in memorata epistola pungitur, adiuncta Polonici regis mentione. Deus omnipotens haec mala vertat in divini nominis sui gloriam et totius reipublicae christianae salutem. Vale felicissime nostri memor cum omnibus tuis. E schola urbis F. 15. Aprilis anno Domini 1557.

Tuus Io. Cnipius [7]) Andernacensis
Gymnasiarcha urbis F.

2619.

HALLERUS BULLINGERO.

De privatis theologorum colloquiis plus spei concipit quam de iis quae sub principum et magistratuum publica autoritate celebrantur. Atque huic spei iam ita indulget ut vel viros designet quos ad talia idoneos putat.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 115, olim Scrin. B. Epp Tom. VIII. fol. 2963. — Simler. Vol. 89.)

Clarissimo D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino et compatri suo colendissimo et carissimo.

— — — — — — — — — — — — — — — — — —

— — Domini *a Lasco* literas [1]) accepi, quas ad te scripsit, et magnas ago tibi gratias quod illarum exemplar mihi communicare dignatus sis. Gaudemus supra modum *Philippi* et aliorum animos ad concordiam tam esse propensos. Placet etiam nobis *Philippi* iudicium et consilium. Plus efficietur privato bonorum et doctorum hominum colloquio, quam si illud principum publico nomine coeat et celebretur. Liberius hic tractabuntur omnia et animi se latius aperient qui alias principum et magistratuum autoritate constricti non audebunt, quae ausuri erunt, ubi ex liberis conscientiis de solius purae veritatis assertione agetur. Subest quidem illud periculi, quod morosiores magistratus fortassis iniquius ferent, illud privatim agi a suis. Sed ferant quomodolibet modo veritas vincat et promoveat. Multum ego, certe spei concepi. Et quamvis privata illa futura erit doctorum conventio, plurimum tamen et forte plus quam si publica esset autoritatis apud plerosque, principes etiam viros, obtinebit. De nostratibus, scilicet Helveticis, ecclesiis unus mihi restat scrupulus, quis mitti possit, et ut commode hoc quoque fiat. Te omnino interesse vellem, sed quam non possis sine magistratus autoritate hoc muneris suscipere, non ignoro. Rogo ergo, ut scribas, quid tibi hic videatur. De nostris *Musculus* non esset inidoneus, aut *Viretus*, vel *Beza*. *Calvinus* huic negotio non deerit, sed ego Gallorum ingeniis non prorsus fido. *Petrum Martyrem* tibi coniunctum velim: ut solus ageret, nescio quam expediret. *Sultzero* (qui se tamen ubique intramiscet, non aliter atque *Bucerus*) non fido, (apud te loquor) et velim illum procul abesse ab hisce negotiis. Vereor enim, ne cum Lutheranis syncretizet. Itaque velim tuum audire iudicium. Ego haec nimis pueriliter considero. Cupio tamen veritatem promotam. *Musculus* nimirum ipse quoque hac de re ad te scribet. — — — — — — — — — — Bernae 21. Aprilis 1557.

Ioan. Hall. tuus.

2619. 1) *N.* 2555.

---

6) Ein christliche und treuliche Warnung die Sacramentirer belangend geschr. an den Ehrbaren Rath zu Frkf. a. M. Ursel 1557. 4.

7) *Ludi latini magister ad Carmelitarum aedes.* Ein sonst gelehrter und fürnemlich in der Poesie excellirender und dabey dem Calvinismo gar sehr ergebener Rector. (*Gründl. Ableihnung p.* 106, §. 16 *in Frkf. Rel. Hndl. T. II.*

2620.

HUBERTUS CALVINO.

Primum exponit quid profecerint legati Genevensium Argentoratum missi ut frumentum a magistratu emerent. Deinde significat Gerungium proxime dimissum iri. Pergit describens articulos Flacii Coswicenses et quae contra Menium circa bona opera proposita sunt. Denique recenset nomina eorum qui ad colloquium Wormaciense delecti sunt.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 104.)

Clarissimo viro virtute et pietate singulari praedito D. Iohanni Calvino theologo doctissimo praeceptori suo in Christo observandissimo.

Genevae.

Iohann [*Calvino zu vbera*]ntworten.

Salve in Christo salvatore plurimum, optime et observandissime mi praeceptor. Rogatus his diebus a D. *Hottomano* vicino dulcissimo, tuoque fratre germano, ut meum et cônsilium et operam illis praestarem in causa legationis a vestro senatu illis commissae,[1]) annui statim, et exiguum illum quod possum, prompto illis exhibui animo, maiora libentius exhibiturus si per facultates licuisset. Puto enim tibi de animo nostro erga vos satis constare. Si vestri legati tuas ad *Pfarrerum* potuissent exhibere literas, crediderim illud haud leve pondus habiturum fuisse: quamvis quod in se fuit nihil negligere visus sit. Permissio talis pendet non a consule, quo ipse iam fungitur munere, sed a toto senatu. Caeterum pro quantitate vestrae penuriae summa permissa exigua sane est. Verum meminisse vos oportet, si nescitis, iam aliquoties exteris non paucis eadem in re gratificatum fuisse, sicque reipublicae granaria magnam diminutionem perpessa iam claudi pro suorum civium tenuiorum necessitatibus. Deinde eodem consilii accessu vestri habuerunt competitores, eosque commendationibus etiam regis Angliae ornatos: unde factum est quod minus obtinuerunt sperato, plus tamen multo quam commemorati competitores. Boni quidam viri senatores non dubitant senatum vestrum in praesentia hac exigua summa futurum contentum, quando posthac inopia rursus pressis minime reditus sit interclusus. Adde quod nostri certis de causis malunt per intervalla emptionem frumentariam mediocrem etiam repetitam admittere quam maiorem semel tantum. Verum de istis frater te plenius instruet scio: quare satis sit vel paucis te actionum nostrarum monuisse.

Periucundum mihi fuit ex illo aliquid de statu et tuo mihi carissimi praeceptoris et totius ecclesiae vestrae audire, optoque vobis plurimum ut largitor bonorum omnium acceptis benedictionibus subinde novas adiicere pergat. Nos hic in causa *Beati*[2]) (utinam beati!) ad finem properamus, qui monitus his diebus fuit a suis e senatu fautoribus, ut audio, ut ipse dimissionem petat, quod ipsi magis futurum sit honorificum, nisi eam velit sibi imperari cum aliqua nominis sui labe. Iam agitur de conditionibus sive stipendio et aedibus retinendo. Nam totus conventus hic ecclesiasticus perturbatorem hunc ecclesiarum cum suo diacono *Crassitio*[3]) amplius pro symmystis agnoscere detrectavit, idque publico ad senatum nostrum scripto. Finem huius controversiae, restitutionem sanae doctrinae videlicet et idolomaniae abolitionem in urbe paulo post subsequuturam speramus.

Iam subiiciam quaedam nova ad nos scripta tibi forsan incognita.

Novi articuli ex oppido Koswick a *Flaccio* Illyrico allati et D. *φιλ. μελαν.* propositi die 27. Ianuarii anno 1557.[4])

I.

Consensus constituatur in doctrina iuxta Biblia, Symbola, Augustanam confessionem, Apologiam et Schmalkaldicos articulos.

II.

Reiiciantur omnes contrarii errores papistarum, Interimistarum et omnium conciliationum ex Interim ortarum, Anabaptistarum, Sacramentariorum, Serveticorum, Antinomorum, Stenckfeldianorum, Osiandricorum et Thammeri.

III.

Doctrina de iustificatione, de salute, videlicet quod sola fide in Christum gratis sine operibus legis iustificamur et accipimus salutem et vitam aeternam, retineatur pura, propter has graves causas: nimirum ut tribuatur Deo suus honos, et non

---

2620. 1) *Ant. Calvinum ad annonam coëmendam missum fuisse nos alibi legisse non meminimus. Grenus* 19. *Apr.:* Le blé étant cher, arrêté pour le faire baisser de vendre celui de la Seigneurie qui est vieux, à un prix un peu plus bas qu'il n'est au marché, c. à d. à 5 fl. la coupe.

2) *Cf. N.* 2548, *not.* 8.

3) *proprio nomine Georg. Mornhinweg Esslingensi, qui v. d. m. Wissenburgii factus postea Argentoratum rediit.* (*Roehrich* III. 93.)

4) *Corp. Ref.* IX. 60. *Schmidt, Mel.* 592 *et supra N.* 2598.

obscuretur beneficium mediatoris, et sit firma promissio et certa consolatio conscientiarum. Ideoque tollatur corruptela de necessitate operum ad salutem cum coniunctis.

IV.

Ecclesiae Saxoniae non possunt discedere a confessionibus quas ediderunt tempore proximae persequutionis contra papatum, Interim et adiaphora.

V.

Ne fiat conciliatio cum Papistis de caeremoniis nisi prius convenerit de doctrina et ipsi desierint esse persequutores verae doctrinae.

VI.

Tempore persequutionis edatur ingenua confessio et non admittatur servitus pugnans cum libertate christiana, sive in doctrina, sive in adiaphoris.

VII.

Petimus quoque amanter a reverendo viro domino praeceptore, ut publico quodam scripto contestari velit suam sententiam de rebus adiaphoris et necessitate operum ad salutem cum Saxonicarum ecclesiarum confessione coniunctam esse.

VIII.

Si altera pars existimatur occultare aliquos errores requiratur declaratio.

Hactenus *Illyricus*. Propositi etiam sunt alii articuli D. *Philippo* a legatis theologis Saxonicarum ecclesiarum, quibus bonum virum exagitare pergunt. Dissensionum et certaminum flammae ubique in Saxonia oriuntur: in quantam ecclesiarum offensionem et ruinam non difficile est videre.

Libuit haec pauca ad te, optime mi *Calvine*, perscribere, ut intellecto malo etiam tuas nostris coniungas preces ad Deum pacis, ut suam ubique ecclesiam in se et filio suo dilecto tandem respicere clementius et pacificare dignetur. Amen. Argentorati ipso die Marci anno 57.

T. Conrad. Hubertus.

Propositiones a theologis Isnaci in conventu disputatae et approbatae. [5])

I. Etsi haec oratio: bona opera sunt necessaria ad salutem in doctrina legis abstractione de idaea tolerari potest, tamen multae sunt graves causae propter quas vitanda et fugienda est, non minus quam illa: Christus est creatura.

II. In foro iustificationis et salvationis haec propositio: bona opera necessaria sunt ad salutem, nullo modo ferenda est.

III. In foro novae obedientiae post reconciliationem nequaquam bona opera ad salutem, sed propter alias causas necessaria sunt.

IV. Sola fides iustificat et salvat in principio medio et fine.

V. Bona opera non sunt necessaria ad retinendam salutem.

VI. Synonyma sunt et aequipollentia, seu termini convertibiles, iustificatio et salvatio: nec ulla ratione distrahi aut possunt aut debent.

Docti cuiusdam [6]) epistola ad quendam meum hic amicum Wittembergae scripta 25. Martii Anno 1557.

S. Credo ad vos perlatum esse quae media pacis *Flacius* proponat. [7]) Itaque non volo nec te nec me huiusmodi iniquissimis et, si licet dicere, turpissimis conditionibus quas ille fert affligere. Varie tentavit pacificationes, sed omnes eo respiciunt ut victor ipse discedat, ipse ferat laudem, alii plagis probe mulctati abeant. Longa est historia, longae ambages. Ferunt totam historiam ab ipso *Flacio* edi. Si prodibit in lucem, curabo ut et tu eam habeas. De Iusto *Menio* nosti quam indignis modis a suis sit acceptus, et adeo duriter tractatus ut coactus sit inde discedere. [8]) Nihil scripsit aliud nisi quod in renatis nova obedientia sit necessaria. Propter hanc propositionem vapulat et exsulat. Vide quid paulo post futurum sit: si nostrae delicatae aures hoc non ferre possunt, quid ferent aliud? Secessit itaque Lipsiam, et credo ipsum suam historiam scripturum esse, et simul etiam Flacianis deliriis responsurum, qui insuper ei sic adflicto insultavit. Recte divinasti causam cur *Menius* tam duriter tractetur. Qui enim non maledicit strenue *Philippo* ille iam est eiectus extra synagogam et Satanae traditus. Nihil hic novi editur. *Philippi* Chronica [9]) nondum edi coepta est, sed pergit eam

---

5) *Conventus Isenacensis habitus est a.* 1556 *de controversia Maioristica inter Amsdorfium et Menium.* (*Schmidt* 579. *Planck.* IV. 511. 517.)

6) *Cuiusnam tu videas.*

7) *In conventu Coswicensi.*

8) *scil. a Gothanis apud quos erat superintendens. M. Februario abiit* (*Corp. Ref.* IX. 91) *et a Melanchthone Lipsiae collocatus fuit. Salig* III. 67. *Planck l. l.* 524. *Obiit iam a. seq.*

9) *Chronicon Carionis quod Melanchthon germanice re-*

conscribere. Iam absolvit Alexandrum Magnum. Vale etc.

In comitiis Ratisbonae nuper habitis, si nescis, inter alia in colloquium de religione ad diem Bartholomaei apostoli, qui est Augusti 24, Wormaciae habendum ab omnibus Imperii statibus fuit consensum. Delecti autem ad hoc sunt ex adversariis viri xxvij, quorum nomina mihi tamen non constant. Totidem etiam a nostra parte, videlicet designati colloquii praesides duo, *Augustus* elector Saxoniae et dux *Wirtembergensis*. Disputatores sex: Philippus *Melanthon*, Erhardus *Schnepfius*, Iohannes *Brentius*, Iohannes *Pistorius*, D. Maccabaeus *Danus* et Iohannes *Kartz*. Coadiuncti quos vocant item sex: Heinricus *Stoll*, Victorinus *Strigelius*, N. *Rungius*, Andreas *Musculus*, Iohannes *Marbachius*, D. *Martinus* Brunsvicensis. Supernumerarii similiter sex: Erasmus *Sarcerius*, Iohannes *Schlesselius*, Iacobus *Beurlin*, Alexander *Alesius*, Andreas *Magerius*, Petrus *Praetorius*. Auscultatores ex statibus totidem: verum isti nondum sunt nominati. His viginti quatuor adiuncti sunt duo notarii: Paulus *Eberus* et D. *Schnepffius* iunior interea mortuus. Habes quae potui nova scribere omnia. Tu, mi praeceptor observande in Domino, optime vale et pro me ora. Argentorati die quo supra. [10])

T. Conr. Hubertus.

2621.

BEZA BULLINGERO.

Ex itinere cum Farello ad principes Germanos suscepto quos permovere volebant ut apud Regem pro Waldensibus intercederent, ipsam hanc causam ei commendat. [1])

(Autographon non exstat. Tria contulimus exemplaria recentiora, Genevense Cod. 119, fol. 15, Bernense Epp. VII. p. 168 et Turicense Simleri Vol. 89. Edidit Baum I. 462. Inscriptio desideratur.

S. Eam tum pietatem tum humanitatem et amplissimi senatus Schafhusiani ac Basileensis, et fratrum omnium experti sumus ut magnum ubique argumentum nobis sit suppeditatum Deo nostro gratias agendi, quod in hac causa suorum animos peculiari quodam gratiae suae motu inflammarit, ut plane speremus, quocunque tandem res cadat, conatus istos a Dei spiritu proficiscentes minime irritos fore. Quo magis dabitur a nobis opera, ut vestris praesertim precibus freti nobis ipsis non desimus. Superest hoc unum ut quum oporteat communi quatuor civitatum consilio rem geri, [2]) quam minimum morae interponatur. Satis enim intelligis Satanam, qui procul dubio novit quid paremus, nihil aeque conaturum, atque ut sanguinariae illae minae prius ad exitum perducantur, quam Rex pudore saltem coactus aliquod mitius consilium capiat. Sed quorsum haec nos apud te qui tuae summae diligentiae testes sumus? Nempe haec eo spectant non ut tu vel tui ad diligentiam excitentur, sed ut per vos ii accendantur quos prae aliis nonnihil certe frigidos ac tardos comperimus. Veremur autem ne, ut in quadrigis solet interdum accidere, ita hic quoque, si rota una tardior fuerit, trium aliarum impetum quatumvis promptum remorentur. Caeterum quia in illo nostro consilio, quod apud te habes, petimus: diserte rogari Regem ut fratrum nostrorum confessiones [3]) legere vel audire sustineat, mittimus ad te illarum exemplar gallicum quod legati secum ferant et Regi, quum opus erit, exhibeant, et rogamus magnopere ut huic rei praecipue insistant, quia speramus Regem hac occasione cogniturum, quod adversarii nostri semper illum studiose celarunt, et re cognita multo mitiorem quam unquam antehac futurum. Sed si Rex petierit, unde illas confessiones habeant legati, prudenter cavendum erit ne fra-

---

tractavit et continuavit. Imperfectum opus Peucerus post mortem soceri absolvit et edidit. Etiam latinam editionem curavit Philippus cuius P. I. prodiit Viteb. 1558. 8. *P.* II. 1560. *P.* III. 1562. *Cf. Camerarii Vit. Mel. ed. Strobel p.* 560. *Schmidt p.* 691.

10) *festum S. Marci incidit in* 25. *Aprilis.*

2621. 1) *Kirchhofer* II. 133. *Baum, Beza* I. 254. *Postquam per totum fere annum* 1556 *Pedemontani Waldenses satis tranquille suas ecclesias constituerunt (unus tantum bibliopola circumforaneus B. Hector* 16. *Iul. supplicio affectus fuerat, Hist. des Mart. f.* 430 *v. Hist. eccl.* I. 111) *tandem episcopus Augustanus suis minis eos terrere incepit* (*N.* 2579), *magis vero etiam praeses parlamenti Taurinensis de S. Juliano qui syndicos vallium ad suum tribunal citavit. Haec legationis huius videtur fuisse occasio. Nam certi nihil de ea re memoriae proditum est. Cf. tamen Ruchat* VI. 194: Le 27. Nov. 1556 Henri II. fit publier à Turin un ordre fulminant contre les Vaudois, de procéder contre eux à toute rigueur, pour les contraindre de quitter leur religion, ou en cas de refus de les extirper. Farel et Bèze, à la prière de ces églises, coururent à Berne *etc. Ibi appulerunt d.* 23. *April. a Senatu bene excepti* (*Kirchh.* 133) *qui eos caeteris civitatibus reformatis commendavit et legationis sumptus facturum se recepit* (*Baum p.* 255). *Etiam Turici a Bullingero in Senatum deducti* (*N.* 2630) *sunt, Schaffhusiae a Vogtio. Basileae Sulzerus eis literas ad Marbachium dedit* (*Epp. Marb. ed. Fecht p.* 65). *Hist. Mart. fol.* 586 *v. addit:* On n'a pas seu pour certain quelle response ils eurent.

2) *Legati quatuor civitatum a. d. V. Cal. Iun. Aroviae convenerunt de mittenda legatione deliberaturi.* (*Baum.* 271. *Ruchat* VI 195. *Hess, Bull.* II. 337.)

3) *Vere a.* 1556 *confessionem tradiderant praesidi Taurinensi supra dicto.* (*Cf. Hist. des Mart.* 585. *Hess.* II. 340.)

tres exponantur Regis irae, quasi haec ad Helvetios miserint, ut illi invidia conflaretur. Erit autem verum ac idoneum responsum, si haec dixerint sese a suis accepisse, in quorum manibus passim versentur, nec dubium esse quin haec ex veris exemplaribus sint descripta, quod ipse possit ex suis cognoscere. Deinde quod ad historiam Cabrierensium attinet, si Rex ad tollendam facti invidiam dixerit, pleraque illic esse conficta, quamvis certissima et notissima sit historia, tamen non hic putamus legatis insistendum, ne forte ferus iste Pharao irritetur, sed contra accipienda erit satisfactio: verum hac occasione rogandus erit, ut re ipsa ostendat in nostris fratribus, quantopere ab huiusmodi cogitationibus, nedum factis, sit alienus. Postremo admonemus te aulicarum artium praesertim apud nostros Gallos.[4]) Est enim hoc apud illos singularis prudentiae loco, legatorum petitiones minus gratas ambiguo vel incerto responso eludere, cui rei ita mederi oportebit ut neque elabi neque offendi Rex possit, nec universali aut quovis responso acquiescant statim.

Porro quod ad nos attinet, crastina die Mompelgardum[5]) cogitamus, inde Argentoratum,[6]) postea ad *Palatinum*[7]) et alios, ut nosti. Speramus autem Dominum hic quoque fratribus nostris per nos affuturum, praesertim si quod facitis, porro facere pergatis, id est, assiduis vestris precibus nos adiuvetis: quod quidem a vobis pluribus verbis peteremus nisi re ipsa vestram in ea re assiduitatem experiremur. Bene vale, vir praestantissime, et nostro nomine omnes collegas et fratres nobis inprimis observandos quam officiosissime saluta. Dominus Iesus sancto suo spiritu vobis magis ac magis benedicat. Basileae tertio Calendas Maii.[8])

Th. Beza tuus suo et
D. Gul. Farelli nomine.

4) *Bullingerus Bezae autor fuit ut speciales instructiones in usum legatorum conscriberet.* (*Cf. Baum.* 401 *et* 257.)
5) *ut comes Georgius eos duci Christophoro commendaret.*
6) *Cf. Hotomannum N.* 2626.
7) *Otto Henricus iam d.* 8. *Maii, Christophorus d.* 28. *Maii ad Magistr. Argent. scripserunt se suis partibus in hoc negotio non defuturos.*
8) *Cod. Genev. falso:* Martii.

2622.

DER RATH ZU BASEL AN DEN ZU STRASSBURG.

Empfehlung der Schweizer Gesandten welche bei den deutschen Städten und Fürsten Hilfe für die Waldenser suchen.[1])

(Strassb. Thomas-Archiv. Lade 22. Original. Auf der Rückseite: *Basell der Waldenser halb. Empfangen Zinstag den* 4. *May anno* 57. *lectum* 5. *May a°.* 57.)

Den fürsichtigen Ersamen wysen Den verordneten des Kriegs So mann nempt die Drytzehen der Stat Strassburg, Vnsern jnsonders guttenn Fründen vnd vertrüwtenn Lieben Nachpurenn.

Vnnser fründtlich willig diennst zevor, Fürsichtig Ersam wyss jnnsonders gutt fründt vnd vertrüwt lieb Nachpurn. Ditz tags sindt der Christenlichen Kilchen zu Genff, Nüwennburg, Losanna, vnnd anderer Orttenn gesandten, zeugenn ditz, vor vnns erschinenn, Die habenn vns von wegen der Christennlüttenn jnn Provincia (Die Walldenser genempt) jnn was massen vnd gstallt dieselbenn der wahren Religion halb geuechdett, geengstigett, getrengt, vnnd veruollget werdenn sollen, durch jrenn vor vnns dargethanen mündtlichen vnnd schrifftlichen bericht gantz Cleglich fürgetragenn, Vnnd mitt söllichem das wir den guttmüettigen lüwten ettwas hilff vnd trostes erzeugenn woelltenn trungenlichen angsucht vnd gepettenn, Ouch darnebenn zuerkhennenn geben wie sy sich ouch zu vch Dessglichen dem Durchlüchtigenn hochgepornenn Fürsten vnd Herren Herrn *Otth. Heinrichen* Pfalltzgrauen vnnd Hertzog *Christoffen* zu Wirtemberg zeuerfüegenn, vnnd glichergestalltenn by vch vnd derselbenn beiden Fürsten Churfl. vnd Fl. Gn. zethundt vnnd zehanndlenn willenns syenn, So dann wir sy hierob ann vch zefürderenn anngesucht werdenn, Vnnd wir ann dem so zu begüettigung diser sache gedienenn möchte höchstem vnnd bestem vlisse, so wyt vnns yemer möglich vnnd thüenlich, Anzewennden bereitt vnnd geneigt sindt, Da so lanngt ann vch vnnser fründtlichs begerenn jr sy jnn jrem fürtrag vnnd werbenn gönstigklichen annhörenn, vnd bedennckhen vnnd dan jnenn vff jr begirrlich annsuchen gezimmende Annleittung, Welcher massen sy jr strass vnnd Reyss zum sicherstenn vnnd bestenn zu obbenempten beidenn Fürstenn ge-

2622.1) *Cf. omnino N.* 2621 *et quae ibi annotavimus. Adde Kirchh.* II. 133. *Baum.* I. 262. *Tum Sulzeri Ep. ad Marbachium d. d. pridie Cal. Maii in Epp. ad Marbachios N.* 46, *p.* 65 *ed. Fecht.*

haben vnd verpringen mögen, mittheillenn wöllen, Alles wi wir erachtenn vnnd Vertruwen, jr zethunt vnnbeschwertt, vnnd geneigt syenn. Vnnd der güettig Gott, Dessenn vnd sines Ewigen wortes Glori vnd Eere diser handell belanget, vnnbelonnt nitt lassenn würdett. Das wöllent gutter Meinung von vnns vermerckhenn. Vch hiemit alle diennstbare guttwilligkheit erpiottennde. Datum Donnerstags den xxix. Aprillis Anno lvij.

Theodor Brandt Burgermeister
vnnd der Rhatt der Statt Basell.

2623.

CALVINUS COMITI GEORGIO.

Denunciat Gribaldum in praecipuo fidei articulo haereticum.

(Praebuit thes. Bezanus ed. Genev. p. 183, Laus. p. 393, Hanov. p. 440, Chouet p. 247, Amst. p. 113. Versionem anglicam reperies T. III. 325.)

Georgio Comiti Wirtebergensi et Monsbelgardensi.

Illustrissime Princeps ac Domine, quando vestrae Celsitudini morem gerere summopere cupio, quod non dignitati magis et generis excellentiae quam vestris praeclaris virtutibus raraeque in primis pietati debere me existimo, utinam testandae huius observantiae probandique officii aliquando laetior occasio mihi se offerat. Sed quia nunc de Matthaeo *Gribaldo* vobis sciscitari placuit, breviter quomodo se hic gesserit exponam. Ac primum in hac urbe ita versatus est, ut nunquam vel senatui nostro operam suam addixerit, vel obstrictus etiam fuerit fide data, sed habitus semper fuerit inter hospites atque exteros. Atque ut fere quotannis solebat huc venire,[1]) forte hic erat quo tempore in carcerem coniectus est *Servetus*. Ac tunc dissimulans sibi cum impiis illius erroribus quidquam esse commune, tantum obliquos sermones serebat, non esse de falsis dogmatibus exigendas poenas, quia libera cuique esset fides. Postea tamen aperuit quod initio tegebat, se ideo conqueri de senatus nostri severitate, quia sibi impune permitti cuperet impia sua deliria vomere. Ac tunc quidem colloquium meum petiit, fateor: quod ideo negavi quia ante expertus fueram quale esset hominis ingenium.[2]) Nec melior occurrebat ratio, quam ut idonei adhiberentur testes nostris sermonibus: quod ipse fugitabat. Ita tunc discessit. Paulo post quum reversus esset,[3]) significavi per familiarem amicum, liberum ei fore, si vellet, mecum fraterne conferre, modo id fieret coram symmystis meis ac tribus ecclesiasticis senioribus. Denunciavi etiam, ne quid periculi aut fraudis metueret. Assensus est, ac venit quo vocatus erat. Sed ingressus in locum ubi considebamus, quia primo ingressu manum ei porrigere nolui,[4]) tumultuose mox discessit: et tamen humaniter, imo etiam blandis verbis excusavi mihi id non licere, donec inter nos de fidei principiis conveniret. Rem enim magis seriam agi, quam ut fallacibus caeremoniis ludendum foret. Postquam vidimus hominem amice non posse placari, dedimus operam ut vocatus in curiam[5]) de sua fide responderet. Ubi non modo tergiversatus est, sed palam ostendit se nolle quid sentiret illic profiteri. Paulo

---

2623. 1) *Haller, Eph. p.* 114 *ad a.* 1557: M. Gribaldus Dr. Pedemontanus ante aliquot annos propter evangelii professionem e patria recedens locum in ditione Bernensi Sabaudica quaesivit Vargianumque dominium (*Farges*) non procul a Geneva situm emit. Cum venia senatus nostri provinciam iura profitendi in schola Pataviensi suscepit. Redibat tamen quotannis ad invisendum suum dominium, cui oeconomum aliquem praefecerat. *De tempore quo primum Genevam venit nihil certi traditum. Caeterum cf. N.* 1304 *et quae ibi annotavimus.*

2) *Calv. Zerkintae* 4. *Jul.* 1558: Respondi (*Gribaldo*) me hanc humanitatem ICto negasse, quem perfide insidiari fueram expertus. Nam si ingenue professus esset se Serveti amicum, aures praebuissem.

3) *m. Iunio* 1555 *quum propter religionem Patavio excedere coactus fuisset.* (*N.* 2374. *Trechsel* II. 285.)

4) *Colladon, Vie de C. p.* 67: Gr. lors se trouvant en ceste ville fut appellé en la compagnie des ministres où estoyent aussi aucuns des seigneurs du Conseil, anciens du consistoire. Et c'estoit afin qu'on conferast avec luy et pour essayer de le destourner de ses erreurs. Là entra ledit Iurisconsulte accompagné d'aucuns Italiens et entrant demanda en latin: Où est Calvin? tendant la main comme pour la lui presenter. Mais C. ayant respondu: Me voici, ne luy voulut toucher en main, disant: Ce n'est pas raison que ie vous baille la main iusqu'à ce que nous soyons d'accord en la doctrine: il ne faut point commencer par ceremonies. Sur quoy sans autre chose ledit Iurisconsulte s'en alla disant: Adieu Messieurs.

5) *Cf. ep. ad Zerkintem supra laudatam et Colladon u. s.:* Apres il fut appelé en la maison de la Ville devant Messieurs pour respondre pourquoi il n'avoit voulu conferer de la doctrine en l'assemblee des ministres. Là il fit de grandes plaintes de ce qu'estant allé au logis de C. iceluy n'avoit voulu parler à luy et adioustoit avec bravade: I'ay bien parlé à des Princes, des Rois et des Empereurs. A quoy C. respondit: Quant à moy ie ne me vanteray point d'avoir parlé à de grans seigneurs, seulement ie diray que ie parle chacun iour à tous ceux qui ont affaire à moy, iusques aux plus petis et povres, mais de M. de Farges, pourceque i'avois bon tesmoignage de sa main que c'est un homme soustenant des erreurs contre des principaux points de nostre foy, ie n'ay la coustume de telles gens. Mais quant à luy, il a refusé de conferer avec moy en bonne compagnie. Neantmoins lors C. refuta ses erreurs, et quant à luy il deslogea un peu apres.

post tamen elapsae sunt ei voces, ex quibus colligere promptum fuit, quam pravis erroribus esset implicitus. Quum ad modestiam hortarer, ventosa sua ostentatione palam fecit, nihil esse audacius inscitia. Itaque in tanta pervicacia, nihil profuit pia et utilis admonitio. Interea hunc clypeum opposuit, nimii et iniusti esse rigoris, quia in doctrina fidei a nobis dissentiret, non ferri in urbe. Quae eius obiectio, ut par erat, refutata fuit. Senatus hominem exterum ulterius urgendum non censuit. Et nobis etiam satis fuit curare, ne impietatis suae virus postea hic spargeret. Hoc meum testimonium quid fidei mereatur, iudicabit vestra Celsitudo. Certe ab odio proficisci non potest, quod nullum unquam inter nos fuisse *Gribaldus* quoque ipse fatebitur. Caeterum quamvis multa deliria simul misceat, specimen unum proferre visum est: ex quo facile intelliget vestra Celsitudo, minus aspere me hactenus de homine loquutum esse quam ferebat detestabilis eius impietas, imo etiam postulabat. Neque enim de meo vel alterius cuiuspiam relatu hic agitur: sed quia doctrinae genus quod in eo damnamus, manu sua scriptum prodidit,[6]) inde iudicet vestra Celsitudo, ferendusne sit profanus homo, qui tam perverse Dei essentiam lacerat, et Christum fingit novitium deum a patre diversum, et cui non eadem sit cum patre essentia. Sed quia mihi nunc propositum non est eius sacrilegia refutare, ne taedio sit epistolae meae prolixitas, putavi non posse me ex animi vestri sententia melius officio defungi, quam si confessionem manu eius scriptam et subscriptam, in qua se Italis fratribus purgare conatus est, Celsitudini vestrae mitterem. Unde Illustrissimus Princeps nepos vester satis superque cognoscet, quam profane et scelerate hic miser praecipuum fidei nostrae caput convellat ac pervertat. Valete, Illustrissime Princeps, mihique plurimum suspiciende Domine. Patrem coelestem suppliciter precabor, ut vos cum illustrissima coniuge sustentet, tueatur omnique bonorum genere locupletet. Genevae, 6. Nonas Maii 1557.

2624.

CALVINUS BULLINGERO.

Commendat ei legatum regium.

(Descripta est ex parte ab ipso Bullingero in ep. ad Fabritium proxime sequenti sub N. 2627 unde eam hic suo loco restituimus. Ipsa Calvini ep. deperdita est.)

Hunc tibi, mi *Bullingere*, Regis ad Rhaetos legatum[1]) ita tibi commendo, ut de eius pietate et integritate me sponsorem interponere audeam. Tu igitur hominem non secus ac unum ex nobis familiariter excipies. Hoc quoque testimonium apud D. *Petrum Martyrem* et alios fratres valere cupio. Uxor viro similis absque fuco pietatem colit. Quidquid in eum humanitatis contuleris mihi acceptum feram. Genevae vi. Maii 1557. — — — — — — —

Fratres nostros Curienses si de eius integritate certiores feceris, talem futurum spero ne te unquam huius testimonii poeniteat. Iterum vale.

2625.

OTTHEINRICH AN DEN RATH ZU STRASSBURG.

In Sachen der französischen Protestanten.[1])

(Original. Thomas-Archiv. Strassb. Lade 22. Mit der Beischrift: *Pfaltz der Waldenser halb. Empfangen suntags den 9. May anno 57 lectum den 10. May.*)

Den Ersamen weysen vnnsern lieben besonndern den gehaimen Rethen der Statt Straszburg genannt die dreyzehen.

Otthainrich von Gottes genaden pfaltzgraf bey Rein des Hayligen Römischen Reichs Ertztruchsäsz vnd Churfürst Hertzog jnn Nidern vnd Obern Bayrn etc.

Vnnsern freundtlichen grusz zuuor. Ersamen Weisen lieben besonndern. Wir haben Ewer schreiben vnns von wegen der bekhumerten angefochtnen vnnd verfolgten Christen jnn piemont gethon empfangen, vnnd vernomen auch der Gesanndten werbung jres anligens halben, durch vnnsere darzu verordneten anhören lassen, vnnd tragen mit disen betruebtenn verfolgten Christen ain Gnedigs Christlichs mitleiden, wollten auch nichts liebers dann

6) *Cf. supra N.* 2018 *et infra m. Sept. Trechsel* II. 285 *seqq.*

2624. 1) *Matthieu Coignet, qui usque ad a.* 1562 *in Helvetia et Rhaetia commoratus est. Eius filius Caspar sub Ludovico XIII. ap. Santones et Pictavos iudex curiae (Intendant de justice) protestantibus officia praestitit sua post deditionem Rupellae.*

2625. 1) *Vide N.* 2621 *seq. Beza et Farellus Argentorato transierant Badenam ad Palatinum.*

das wir jnen mit Rath vnnd hilff ersprieszlich sein möchten, wie wir dann kains wegs vnnderlassen wöllen vnns mit den Hochgebornen Fürsten vnnsern freundtlichen lieben Vettern vnnd Brudern, Württemberg vnd Hessen etc. derwegen zuuergleichen, vnnd da es jre bede Liebden für Rathsam ansehen würde, jnen bey Kunigclicher Würde zu Frannckhreich durch schickhung fürschrifften oder anndere weg fürdersam vnnd verholffen zu sein, wöllen wir vnns von Jnen sollichen Armen verfolgten Christen zu trost gnaden vnnd gutten nicht absondern. Wollten wir Euch hinwider gunstiger vnnd gnediger Meinung nit bergen. Datum Marggrauenbaden den 8. May Anno Lvij.

2626.

HOTOMANUS BULLINGERO.

Farellus et Beza Argentorati a Senatu benigne excepti et principibus commendati per ipsum ad Palatinum deducti sunt.

(Ex Tomo Epp. Hotom. ed. Meel. p. 13).

Farellum et *Bezam* huc venisse, opinor, non ignoras. Tam benigne a senatu nostro excepti sunt, ut eum vehementer laudent. Senatus ad Electorem *Palatinum* et Ducem *Wirtembergensem* literas dedit, quibus eos rogat ut suum legatum coniungere velint. Mihi literas perferendas dedit equumque publicum ut eos deducerem, nobis omnibus duos apparitores (suis sumptibus) in equis attribuit. Elector mihi literas et responsum reddidit, se negotium commendatissimum habere, sed confidere commendationes *Wirtembergensis* (quem Badae esse falso putabamus) [1]) et *Langraffii* multum profuturas. Idcirco ad utrumque hominem et literas misit. *Farellus* Stucardiam profecturus est, illinc Schaffusiam, ut dicebat, rediturus. Dum hic esset *Marpachius* nobiscum coenavit. Ante coenam et post de sacramentaria disputatione multa mentio. *Marpachius Farelli* et *Bezae* orationem probare videbatur, qui dicebant se non inane signum quasi Christi absentis accipere solere. Idem D. *Michael,* [2]) Electoris concionator humanissimus vir, faciebat. Itaque spes non exigua me tenet fore ut in colloquio Wormaciensi nostri audiantur. D. *Farellus* ad eam rem est aptissimus, nam eius senectus coniuncta cum integritate summa vitae apud pietatis studiosos gratiosa est. Huc accedit quod nondum scripto ullo in odium istorum incurrit.

De Waldensium periculo multi spem maximam conceperunt, fore ut Rex compescatur. Anglus centum coronatorum millium largitionem annuam Germaniae principibus pollicetur. [3]) Itaque plerique putant non facile regem Gallum illorum principum preces repudiaturum. Tantum a mora periculum est. Nam si Gallus subaudierit legationes tam multas ad se hoc nomine venturas, summittere poterit (quod tamen Deus immortalis avertat) qui prius edictum exsequantur quam legationes auditae sint. Deum aeternum oro ut saevitiam hanc ab ecclesia sua amoliatur, aut misero gregi suo constantiam cum fortitudine animi tribuat. — — — — — — Argent. xiii. Maii 1557.

2627.

BULLINGERUS FABRITIO.

Commendat ei et collegae eundem legatum Gallum quem ipsi modo Calvinus commendaverat.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 131, olim Epp. B. Tom. X. fol. 29. — Simler. Vol. 89.)

S. D. Qui hasce tuae offert humanitati literas, optime compater, Regis Galliae legatus est ad Rhaetos. Postulavit a me commendari tibi. Ego hoc ei negare non potui. Dicebam tamen ingenue: Ministrum ecclesiae Curiensis se non immiscere negotiis regiis, neque huc meam illam commendationem dirigendam, sed huc potius, ut intelligat, te Christo et verae pietati favere et te regnum Christi propagatum cupere ex animo, ut ea in re et in ea causa misceatis frequentissima colloquia. Salutavit me hic ante annos quatuor. Intellexi ex Gallis, hunc Regi esse carissimum et multa apud Regem posse, multum item iuvare fideles: quum alioqui potentis-

2626. 1) *Ex relatione ipsius Bezae, in sua Apologia ad Claudium de Xaintes* (*Tract. theol.* II. 295) *colliges haec ita intelligenda esse ut Palatinum quidem Badae invenerint, non vero Wirtembergensem quem ibidem pro tempore commorari putaverant. Rex cum Christophoro duce tum negotiationes redintegraverat.* (*Barthold, Deutschl. u. d. Hugenotten* 198 *sqq. Pfister, Hz. Chr.* I. 337. *Kugler* II. 39.)

2) *Dillerus.*

3) *Regina autore marito bellum contra Gallum parabat.* (*De Thou* II. 503 *vers. gall.*)

simus sit et magnae autoritatis apud Regem. D. Ioannes *Calvinus*, hunc mihi hisce commendavit verbis:[1] „Hunc tibi, mi *Bullingere*, Regis ad Rhaetos legatum, ita tibi commendo, ut de eius pietate et integritate me sponsorem interponere audeam. Tu igitur hominem non secus ac unum ex nobis familiariter excipies. Hoc quoque testimonium apud D. *Petrum Martyrem* et alios fratres valere cupio. Uxor viro similis absque fuco pietatem colit. Quidquid in eum humanitatis contuleris, mihi acceptum feram. Genevae vi. Maii 1557." Addit mox: Fratres nostros Curienses si de eius integritate certiores feceris, talem futurum spero, ne te unquam huius testimonii poeniteat. Iterum vale. Haec *Calvinus*. Sic ergo et tibi et D. *Philippo*[2] hunc commendo, ut sitis illi calcaria ad pietatem, et ut in hac proficiat. Communes has habebis cum nostro *Philippo*, quem valere opto. Quum plus otii erit scribam plura. Interea valete, vestri semper memores officii. Tiguri 13. Maii 1557.

Bullingerus vester.

2628.

BEZAE ET FARELLI CONFESSIO DE COENA.

Duci Wirtembergensi oblata.[1]

(Textum describimus ex autographo Bezae quod asservatur in Archivis ecclesiae Basileensis in Cod. Var. theol. et eccles. I. N. 6. — Apographa passim variata exstant Argentorati in Archivis Thomanis Var. III. 211, et Vratislaviae in Bibl. Rhedigeriana III. B. fol. 42. Ibidem exstat aliud exemplar brevius sub titulo: *Confessio de C. D. apud D. Michaelem Dillerum ill. Comitis Palatini ministrum deposita a G. Farello et Th. Beza mense Maio* 1557. De quinto Turicensi quodam exemplari vide infra N. 2629. Edidit Baum, Beza I. 406, ubi etiam aliorum exx. mentio fit quae nos quidem non inspeximus.)

2627. 1) *N.* 2624.
2) *Gallitio.*

2628. 1) *De hac confessione v. Kirchhofer, Farel* II. 133. *Baum, Beza* I. 267. *Bezam N.* 2646. 2689. *Farellum N.* 2671. 2693. — *Farellus et Beza Valdensium causa in Germaniam profecti Heidelbergae ap. Dillerum de instante conventu protestantium statuum Francofordiae certiores facti sunt, et eo autore, ut principes sibi conciliarent, statim hanc confessionem conscripserunt, quae deinde Christophoro duci pridie Idus tradita fuit Goeppingae. Hic enim tali Waldensium confessione opus esse declaraverat, ut principes pro iis salva conscientia intercedere possent. Caeterum ex ipsis variantibus patet Bezam subinde suum textum retractasse. Cf. etiam sequentia ipsius annotata.*

De coena Domini ita docetur[2] in ecclesiis Helveticis et Sabaudicis.

I. Non ex humanis rationibus sed ex verbo[3] Dei scimus credimus et profitemur Christum factum nobis credentibus sapientiam iustitiam sanctificationem redemptionem, ideoque inprimis oportere ac prorsus requiri ad salutem, ut non modo Christi beneficiorum efficacia, sed etiam ipse Christus, hoc est, ipsa Christi substantia per fidem, quae Dei donum est, nobis communicetur.[4]

II.[5] Huius coniunctionis[6] sigilla esse dicimus sacramenta, baptismum sc. tum in pueris tum in adultis, et coenam Domini in adultis: nec alios etiam eximios et excellentes sacramentorum usus omittimus.

III. Fatemur ergo[7] in coena Domini non alia[8] omnia modo Christi beneficia, sed etiam ipsius[9] filii hominis substantiam, ipsam inquam veram carnem quam verbum aeternum in perpetuam personae unitatem assumpsit, in qua natus et passus pro nobis resurrexit et ascendit in coelos, et verum illum sanguinem quem fudit pro nobis, non significari duntaxat, aut symbolis typice aut figurate[10] tanquam absentis memoriam proponi, sed vere et certo repraesentari, exhiberi, et applicanda offerri, adiunctis ipsi rei symbolis minime nudis, sed quae, quod ad Deum promittentem et offerentem attinet, ipsam rem semper vere ac certo coniunctam habeant sive fidelibus, sive infidelibus proponantur.

IV. Iam vero modum, quo res ipsa, scil. verum corpus et verus sanguis Domini cum symbolis copulatur, dicimus esse symbolicum sive sacramentalem. Sacramentalem autem modum vocamus, non qui sit duntaxat figurativus, sed qui vere ac certo sub specie rerum visibilium repraesentet quod Deus cum symbolis exhibet et offert, nempe quod superiore articulo diximus, ut appareat nos ipsius corporis et sanguinis Christi substantiae praesentiam in coena retinere et defendere: et si quid nobis forsan[11] cum vere piis et doctis controversiae est, non de re ipsa, id est, de praesentia, sed de modo duntaxat praesentiae, qui soli Deo cognitus est, a nobis autem creditur, disceptari.

---

2) creditur et docetur *Arg. Vrat. Tur.*
3) uno verbo *Arg. Tur.*
4) ut simus os ex ossibus eius et caro ex carne eius *add. Arg.*
5) *Hic articulus abest ab altero exemplari Vratislaviensi. Proinde caeteri numeri mutantur.*
6) communicationis *Vrat. Tur.*
7) credimus et profitemur *Vrat. alt.*
8) alia *om. Arg. Vrat. Tur.*
9) ipsam *Vrat. Tur.*
10) symbolice figurate vel typice *Arg. Vrat. Turic.*
11) forte nobis *Arg. Vrat. Tur.*

V. Quod autem ad modum attinet quo symbola nobiscum [12]) communicantur, physicum eum esse scimus. Nam physice visibilia illa et palpabilia sumimus. Denique [13]) quod attinet ad modum quo res ipsa, id est, naturalis [14]) et vera substantia Christi vere ac certo nobiscum communicatur, non facimus eum modum physicum, aut [15]) localem coniunctionem imaginamur, aut diffusionem humanae naturae Christi, aut crassam illam ac naturalem [16]) commixtionem substantiae Christi cum nostra, [17]) non denique crassam illam [18]) transsubstantiationem, sed spiritualem esse modum dicimus, id est, qui nitatur una incomprehensibili spiritus Dei omnipotentis virtute, quam nobis in hoc ipsius [19]) verbo patefecit: Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.

VI. Obtestamur [20]) autem omnes fratres verae pacis et concordiae amantes, ut sepositis omnibus privatis affectibus cogitent ecquid oporteat illos qui de Christi sacramentis ita sentiunt et docent pro infidelibus et haereticis traduci. Quod si quid est praeterea in quo non prorsus sit eadem singulorum sententia, quum in eo quod unum [21]) est et essentiale conveniant, speramus, si per Christi [22]) gratiam possit vere piorum [23]) conventus institui, fore ut Dominus per suam misericordiam concedat, [24]) ut vel idem per omnia sentiamus, vel saltem ut alii aliorum infirmitatem christiane toleremus, ac erudiamus, quo communibus tandem viribus et armis communem hostem adoriamur. Ita sit autem nobis propitius omnipotens Deus ut nihil hic scripsit calamus quod animus candidus et simplex non dictarit [25]) Nec sane de reliquis nostratium [26]) fratribus idem nobis [27]) dubitamus polliceri.

Acta sunt haec et a me Theodoro Beza descripta Goeppingae illustrissimi Ducis Wirttembergici oppido et ipsius Celsitudini oblata 14. Maii anno salutis M. D. LVII.

Subscripsit et Farellus Argentinae in aedibus D. Ioannis Pappi. [28])

2629.

BULLINGERI ET BEZAE ANNOTATA AD HUIUS CONFESSIONEM

(Huius confessionis textum tibi exhibuimus supra sub N. 2628 ad 14. Maii. Praeter quatuor exemplaria supra recensita in quintum incidimus in Vol. 177, Plut. VI, olim Epp. Tom. 47 fol. 249 in Archivis Turicensibus, cuius margini Bullingerus manu propria adscripsit breviores quasdam annotationes, quas et nos in margine describemus. Denique apud Simlerum Vol. 89, idem textus cum prolixiore eiusdem Bullingeri commentario exstat, ex bibliotheca Breitingeri descripto sub hoc titulo: *Confessio fidei de coena Domini exhibita d.* 14. *Maii* 1557 *ill. Principi Wirtembergensi autoribus D. Theodoro Beza et D. Guilhelmo Farello, cui accesserunt annotata Bullingeri requirentis in autoribus simplicitatem. Scripta Augusti prima* 1557.[1]) Confessionem ipsam denuo describere non attinet. Bullingeri censuras in textu exhibemus, Bezae annotatiunculas a Bullingero transcriptas in margine.)

Annotata in Confessionem praecedentem. [2])

Propositio 1. [3])

(Non modo efficaciam beneficiorum Christi, sed ipsam substantiam Christi, ut salus plene constet, nobis communicari oportet, quo simus os ex ossibus eius et caro ex carne eius.)

12) Itaque quod attinet ad coniunctionem symbolorum nobiscum *caett. Vrat. alt.*

13) *Sequentia in tribus apographis novum articulum* (V.) *sistunt, in Vratislaviensi altero sic decurrentem:* Quod autem attinet ad coniunctionem rei, i. e. veri corporis et veri sanguinis Domini nobiscum, modum eius, i. e. modum quo nobiscum communicantur non facimus physicum aut localem aut per diffusionem humanae Christi naturae, quae etsi divinae naturae unita est, tamen humana ac proinde finita esse non desinit, nec per crassam illam commixtionem Christi substantiae cum nostra, nec denique per papisticam sive diabolicam transsubstantiationem, sed spiritualem modum eius coniunctionis esse dicimus.

14) illa *add. Arg. Vrat. Tur.*
15) nec *Vrat. Tur.*
16) ac naturalem *om. Vrat.*
17) substantia *add. Arg. Vrat. Tur.*
18) denique papisticam transs. *Arg. Vrat. Tur.*
19) hoc suo verbo *Arg. Vrat. Tur.*
20) Iudicent omnes sancti ecquid *etc. Vrat. alt.*
21) unum praecipuum *Arg. Vrat. Tur.*
22) Dei *Arg. Vrat. Tur.*
23) ac doctorum *add. Arg. Vrat. Tur.*
24) nobis donet *Arg. Vrat. Tur.*
25) *Hic subsistit Vrat. alt. addito* Amen.
26) nostrarum ecclesiarum *Arg. Vrat. Tur.*
27) vobis *Arg.*

28) *In tribus apographis subscriptio sic habet:* Guilielmus Farellus his scribendis affui et subscripsi. Theodorus Beza manu mea scripsi et subscripsi.

2629. 1) *Haec Breitingerus, sed, ut nobis quidem videtur, in die errans. Ipse Bullingerus haec dicit:* Haec quae conspiciuntur manu mea scripta descripsi ex ep. Bezae missa ad D. Calvinum manu illius propria conscripta Mense Iunio 1558. accepi. *Quae hic a se descripta dicit, annotationes sunt ipsius Bezae ad suam confessionem quas Bullingerus simul respicit. Quum de tempore quo hae annotationes scriptae fuerint hic nihil dicatur, optimum duximus eas statim textui ipsi subiungere.*

2) *Numeri propositionum singularum non omnes iidem ac in caeteris exx.*

3) *Ad hanc una tantum adiecta est nota marginalis, scil. ad verba:* quae Dei donum est *add.* ac Christum ipsum nobis seminique nostro ex formula promissionis apprehendit. *Sed huc pertinet etiam quae nobis propositio II. erat, ubi de baptismo duo habet interpretamenta:* tum in pueris (fidelium) tum in adultis (si qui ex paganismo ad christianismum transferantur).

Per substantiam Christi in secunda propositione audiemus intelligi ipsam carnem Domini veram, assumptam in perpetuam unitatem personae etc.

Beneficia Christi multiplicia sunt, sed praecipua de quibus hic agi existimo remissio peccatorum, sanctificatio, iustificatio, vita et salus.

Efficacia haec fiunt in hominibus per spiritum sanctum, si fide accipiantur vera et non ficta.

Si autem fide in Christum per spiritum sanctum non plene iustificamur nisi et substantia Christi accesserit, vel nisi communicetur nobis substantia ipsa Christi, cur eius rei nulla fit mentio ab apostolo in disputatione de iustificatione instituta ad Romanos et ad Galatas? etc.

Videbimur multis non multum abesse ab *Osiandri* deliriis disputantis subtiliter de substantiali iustitia. Substantiae alioqui vocabulum non parvas semper in ecclesia rixas excitavit. Parum ergo confert ad concordiam sarciendam.

Si vero efficacia Christi, spiritus inquam Christi vivificans, vel vis Christi salvifica, non perficit fideles nisi accedat et carnis ossiumque communicatio, cur Dominus in evangelio tam diligenter inculcavit expedire ut corpore discedens spiritum submittat? (Ioann. xiv. xvi.)

Si vero per spiritum Christi mortui et excitati perficitur salus nostra, quare nunc tota reponitur in communionem carnis et ossium?

Si autem illa communio alia non est quam quae docetur a Domino Ioann. vi, cur non ita hic exponitur, sicuti exposita est a salvatore dicente: Caro non prodest quidquam, spiritus est qui vivificat etc.? Cur adducitur locus paulo obscurior aut intricatior ex Ephes. v., quasi necessaria sit ad salutem corporalis aliqua nobiscum commixtio? Neque probamus quod postea excluditur corporalis commixtio. Cur enim hic et ab initio non sic loquimur ut istis exceptionibus (quibus veluti negatur quod prius concessum videbatur) nihil opus esset? Praesertim quum oporteat confessiones esse perspicuas, disertas et minime intricatas et ancipites etc.

Interim diserte hic monemus nos non ita spiritui divino eiusque operationi salutem ascribere, ut carnem assumptam ex virgine nihil in salute nostra perficienda contulisse impie sentiamus. Dicimus enim totum Christum esse salvatorem nostrum, et quidem carne tradita expiasse peccatum et reparasse vitam: spiritu autem hanc eum qui Deus et homo est inspirare aut communicare fidelibus, atque hos fide illam recipere. Proinde sentimus Christum deum et hominem esse nostrum salvatorem.

Propositio 2.[4])

(Non modo omnia beneficia Christi, sed ipsa Christi substantia, id est, ipsa caro vera in unitatem personae perpetuam assumpta, in qua natus, passus, excitatus ex mortuis et in coelum sublatus est, non significanter duntaxat vel tanquam absentis memoria proponitur in coena, sed certo repraesentatur et exhibetur.)

Nova sane videtur afferri ratio docendi de salute nostra. Hactenus credidimus, ipsam Christi substantiam traditam esse in mortem, resuscitatam ex morte, et sublatam in coelos, in hoc ut per fidem et spiritum sanctum beneficiorum Christi efficeremur participes: neque requiri ut corporaliter ipsum recipiamus. Iam vero audimus, non modo beneficiorum Christi nos participes fieri (quod quidem minus esse videtur), sed etiam percipere ipsam Christi substantiam oportere, quae quidem videatur in hac re magis necessaria quam beneficia et effectus etc.

Asserimus substantiam Christi, id est, verum eius corpus, verum esse et manere corpus, eaque de causa quum in coelos receptum sit non amplius versari in terris, ideoque in coena memoria absentis et olim crucifixi corporis peragi, et symbolis veritatem hanc significari. Negamus itaque corporaliter praesentem esse. Non negamus interim Christum in coena fidelium praesentem esse, eo videlicet modo quo praesens esse potest, et praesentia eius salvifica et vivifica est, qua videlicet residens corpore in coelis, se ipsum vitamque suam participat membris suis coenam fide celebrantibus. Non erat substantialiter Christus in aedibus centurionis Matth. viii, aderat tamen virtute salvifica praesens languenti puero adeo ut sanitati restitueretur. Cuius quidem generis multa possent proferri ex evangelio. Interim vero unitas personae his non dissuitur. Quemadmodum ne angeli quidem divulserunt personae unitatem quum carni proprium suum tribuerunt et dixerunt: Non est hic. Et: Hic Iesus qui assumptus est a vobis in coelum etc. Act. i. Nam et Lucas dixit: Recessit ab iis et ferebatur in coelum, et nubes subduxit illum ab oculis discipulorum.

Ac miror valde autoribus confessionis placuisse hos verborum lusus: Non symbolice vel figurate tanquam absentis memoria proponitur, sed vere et certo exhibetur: quum nemo nesciat Dominum dixisse: Hoc facite in mei memoriam, deinde omnes

4) *Respondet tertiae textus a nobis descripti, et quidem priori tantum eius parti. Annotata marginalia haec sunt: Ad verba:* ascendit in coelos *addit:* ubi demum ipsum per fidem quaerimus et amplectimur sacramentis videlicet quasi scalis quibusdam eo usque ascendentes. *Porro ad verba:* typice aut figurate tanquam) nudam ac simplicem. — absentis memoriam) sive inanem imaginem. — sed vere ac certo) fidei oculis. — exhiberi et) nobis per fidem. — minime nudis) aut vacuis.

intelligant cuius rei sit memoria, denique et Augustinus in Psal. xxxvii. dicat: Nemo recordatur nisi quod in praesentia non est positum etc.

Propositio 3. [5])

(Symbola minime nuda sunt, sed ipsam rem semper vere ac certo, quod attinet Deum promittentem et offerentem, coniunctam habent, sive fidelibus sive infidelibus proponantur.)

Obscura ista sunt nec sincere proponuntur. Scimus sane Deum semper esse et in promissionibus et in sacramentis suis veracem, sive nos credamus sive non credamus. In hoc nulla est controversia. De illo lis est, an infideles in sacramentis id percipiant quod non nisi fide percipi potest? Iam vero verbis confessionis ita ludunt quasi in sacramentis semper res ipsa et symbolum, nisi nudum fateri velimus, sic coniungantur, ut qui symbolo participat re ipsa quoque particeps fiat. Ne tamen et hoc simpliciter concessum videatur, adiungitur: quod attinet Deum promittentem, ut refugium pateat aliquod, atque ita illud quod Lutherani postulant et nos dare nolumus et dedisse quodammodo et non dedisse videamur.

Lutherani omnes symbolum nudum definiunt quod rem ipsam significatam semper coniunctam non habet. Nisi hoc agnoveris clamabunt illi perpetuo te nudum habere signum. Sed revera illa merito nuda signa nuncupanda sunt quae mystica non sunt, neque a Deo consecrata sunt, atque adeo verbo Dei promissioneve et spiritus arcana operatione carent. Licet ergo negemus symbola baptismi et coenae revera et semper in se continere res significatas, non tamen nuda signa constituimus. Agnoscimus enim instituta et consecrata esse a Domino, addita promissione illustri, cui qui credit operante spiritu sancto percipit non panem duntaxat, sed vivificum filii Dei cibum etc.

Quumque sacramenta vocentur mysteria quae spiritualiter exponenda sint, et semper ita in ecclesia sint exposita, mirum est cur multis placere possint carnales prorsus nuperae et ancipites loquutiones.

Propositio 4. [6])

(Sacramentalem modum vocamus non qui sit duntaxat figurativus sed qui vere ac certo sub specie rerum visibilium repraesentet quod Deus cum symbolis exhibet.)

Rursus insidiose et insincere etiam ista ponuntur. Nam videntur haec hunc sensum prae se ferre: symbola quum non duntaxat sint figurativa exhibent simul cuilibet symbolis participanti res ipsas. Ita Lutherani volunt. Si autem quis nostrum hoc neget aut nimium illis dari clamet, sunt verba apposita quae tergiversatori commoda sint. Dicet enim: dixi symbola repraesentare, ergo et figurare, Deum autem non hominem rem vel symbola exhibere. At Deus rem non dat nisi credenti etc. Interea vero Lutheranus intellexit: Si non figurate, ergo vere et substantialiter. Sunt itaque verba confessionis sic posita ut utraque pars suum dogma iis defendere possit. Id quod lites parit non dirimit.

Signum quidem per se, ut panis vel vinum, non est sacramentum, neque res ipsa per se, ut caro et sanguis Christi, est sacramentum, sed utraque simul constituunt sacramentum. Unionem ergo vel coniunctionem in sacramentis agnoscimus, non autem naturalem qua alterum convertatur in alterum, aut alterum contineatur et delitescat in altero, sed spiritualem adeoque sacramentalem, quam constare dicimus institutione Domini, significatione item rerumve et symbolorum similitudine vel analogia et fide mutua Dei hominisque. Nam Dominus panem instituit non ut cibaret corpora singulariter, sed ut esset corporis sui figura. Etenim panis et corpus mutuam inter se analogiam habent alias copiose expositam. Unde et panem ipsum corpus suum appellavit, ut qui de pane hoc edit sciat se non panem duntaxat edere, sed ipsum quoque Domini corpus: utrumque autem suo modo et ratione certa. Fides itaque mutua, tam Dei promittentis et dantis quam credentis et accipientis hominis, coniungit signum et signatum, ita ut credens non tantum participet ore corporis pane visibili, sed ore animi per fidem panem coelestem adeoque ipsum Dominum percipiat. Unde fide absente nihil percipit infidelis nisi signum.

Quae ergo mox in confessione subiiciuntur, ut appareat nos ipsius corporis Christi substantiae praesentiam in coena retinere et defendere, nos mi-

---

5) *In textu nostro est pars praecedentis. Hic unica annotatio legitur ad ultima verba haec:* vere ac certo sacramenta, taliter tamen ut modo explicabimus coniunctam habeant.

6) *Bezae marginalia haec sunt:* Non qui sit duntaxat) aut simpliciter. — rerum visibilium) fidei oculis. — exhibet et offert) per fidem communicandum. — retinere et defendere) quamvis neque localem neque definitivam signorum et rei coniunctionem statuamus, neque Christi corpus alibi quam in coelis ponamus. Neque enim dubitamus quin Christus in coelis sedens, ubi demum et ipsum per fidem quaerimus, se ipsum, quemadmodum sonat sacramentalis verbi formula, nobis cum signis offerat, non minus vere quam si visibiliter et re ipsa ad nos descenderet, et nos illum visibiliter et realiter deglutiremus: denique aliter quidem, sed tamen non minus vere quam nos carnis oculis, ipsa externa symbola intuemur. — disceptari) Dicimus enim hunc praesentiae modum, quo res quae est in coelis cum signis quae in terra sunt neque localiter neque definitive sed vere tamen et certo coniungitur, soli Deo cognitum esse, de cuius tamen verbo minime dubitamus.

nime agnoscimus. Nam semper negavimus Christum substantialiter et corporaliter esse in coena, et hoc ipsum negamus adhuc. Et quod sequitur: „et si quid forte nobis cum vere piis et doctis controversiae est, non de re ipsa, id est, de praesentia, sed de modo praesentiae duntaxat," de nobis, non de confessionis autoribus intelligi potest. Lutherani enim modum definiunt et dicunt corporis Christi substantiam, id est, ipsum Christum corporaliter et tamen ineffabiliter in coena praesentem esse. Quid autem aliud dicunt confessionis huius autores, qui fatentur se defendere substantiae corporis Christi in coena praesentiam? Id vero nos negamus et dicimus praesentiae modum esse effabilem, id est, mysticum et spiritualem: id quod non recipitur a Lutheranis aspernantibus hunc modum et urgentibus modum corporalem et substantialem. Nobis ergo, non confessionis autoribus, cum illis manet controversia. Illi se sine nobis coniunxerunt cum illis quorum dogma hactenus oppugnarunt, nunc vero recipiunt etc.

Propositio 5. [7])

(Quod attinet modum quo res ipsa naturalis, caro Christi, nobis communicatur, non facimus physicum, localem etc., sed spiritualem modum esse dicimus, id est, qui spiritus omnipotentis virtute nitatur, quam patefecit hoc verbo: Hoc est corpus meum etc.)

Iterum perplexa sunt piis quae afferuntur ab illis. Quorsum enim pertinet tantopere urgere corporis Christi mortui et resuscitati substantialem praesentiam et manducationem vel communionem, deinde negare physicum et localem esse modum? Quasi veritas corporis loco careat et naturalis non sit. Negatur ergo iterum quod toties iam datum est. Asserunt Lutherani quoque modum praesentiae et manducationis inniti in omnipotentiam Domini, qui quum dixerit: Hoc est corpus meum, efficere etiam possit ut hoc sit quod esse dicitur, licet nobis diversum appareat. Nam praesentiae et manducationis modum homini esse incognitum, qui videlicet sciri aut intelligi non possit, credi autem duntaxat. Quid vero nostri illi aliud confitentur, dum dicunt: praesentiae modus soli Deo cognitus est, a nobis autem creditur? Non possum hic mihi temperare quin ascribam sanctissimi viri D. Ioannis *Oecolampadii* verba de hac re scripta in Dialogo quem opponit libello *Philippi* de patrum sententia in coenae negotio, ut ex his appareat quam longe absint confessionis huius autores a praeceptorum et antecessorum nostrorum in praedicandi docendive munere doctrina. „Si omnino, inquit, de modo quo manducatur Christus rogare non licet, quare alii spiritualiter edi declararunt? et quare illis licet ῥητῶς affirmare panem substantialiter esse corpus Christi? nobis autem non licet dicere panem mystice esse corpus? et quare audent illi corporaliter manducandum dicere, nos autem arguimur dicentes spiritualem esse cibum? Dicam quid hac de re actum sit in colloquio Hessico. Rogabam *Lutherum* an prorsus non liceat nobis de modo agere quo sit in pane corpus, afferebamque Augustini dictum admonentis ne de hoc dicto: Hoc est corpus meum, pueriliter sentiamus, et proinde opus nobis discere ne toti pueri simus. Rogabam igitur an ipse modum indicare vel ex me audire velit? Et quum ipse nihil afferret, ego dicebam tuto me posse hunc modum asserere quem omnes veteres doctores habent, quos ecclesia non respuit, dicentes mensam illam mysticam et in sacramento corpus sumi." Tantum *Oecolampadius.*

Praeterea per spiritualem praesentiam et manducationem veri corporis Christi non hoc intelligimus quod Lutherani et hi confessionis autores, sed illud potius: Ipsum verum et naturale Domini corpus corporaliter agere in coelis in uno aliquo et certo sibi placente loco, in coena autem adesse non corporaliter sed spiritualiter, ita ut corpore in coelis manens usque ad restitutionem omnium nihilominus se totum, id est, totam vim salvificam vel vitam per spiritum suum sanctum transfundat in suos fideles, qui et vera fide non imaginationem et rem inanem percipiant, sed ipsam vitam et salutem vere ex vero corpore et sanguine Domini: id quod scriptura dicat edere et bibere carnem et sanguinem filii hominis, ut ipse maneat in suis et sui in ipso. Adiicimus hoc fidei mysterium contegi et repraesentari symbolis sacris, quae una cum rebus suis mysticis pii percipiunt, Domino se ipsum suis exhibente, ministro symbolum administrante, impii symbolum, non res mysticas. Haec brevia esse putamus, pia, catholica, orthodoxa et perspicua, effabilia et omni-

---

7) *Ad primum comma margo haec habet:* A fidelibus quidem ad vitam aeternam *:* non quod ea ex signis ullo modo emanet, sed quod fideles per fidem una cum signis rem ipsam amplectuntur, nempe corpus et sanguinem Domini quo ad vitam aeternam aluntur. Ab infidelibus autem, nisi resipuerint, sumuntur ad mortem aeternam, propterea quod infidelitate signa profanant et Dominum ipsis oblatum aspernantur cum omnibus ipsius beneficiis. Hoc est enim quod dicit apostolus, eos qui indigne i. e. sine fide edunt ex hoc pane, reos esse corporis et sanguinis Domini, cuius nimirum corpus non diiudicent. *Porro*: diffusionem) sive immensitatem. — Commixtionem substantiae Christi) quam glorificatam quidem sed vere tamen humanam ac proinde finitam et circumscriptam esse et in coelis regnare scimus, cum divinitate inseparabiliter unitam, neque commixtionem quandam substantiae ipsius cum nostra, neque signorum transsubstantiationem animo concipimus. Quum haec omnia Christi carnem sua veritate spolient et articulum fidei de Christi ascensu evertant, et praeterea transsubstantiatio externa signa tollens omnem sacramentorum rationem ipsamque rei signatae et signorum analogiam tollat.

bus sanctis intelligibilia, profanis autem suggillanda etc.

Ergo quod sub finem adiiciunt confessionis autores: in eo quod essentiale est convenire nos et Lutheranos, non agnoscimus. Possunt quidem verba artificiose concinnari, et spes quaedam componi consensionis, remanente interim in re ipsa dissidio. Unde quum audent isti sibi polliceri reliquos ecclesiarum ministros id ipsum sentire et docere quod ipsi hac confessione sunt professi, nimium sibi permittunt. Sicuti et nimium sibi permiserunt in titulo confessioni praefigendo, ita credi et doceri in ecclesiis Helveticis. Si consensio D. *Calvini* et ministrorum Genevensis et Neocomensis ecclesiae ac Tigurinorum rectius inspiciatur, in qua fides et doctrina istarum ecclesiarum exposita est, puriora circumspectioraque de coena Domini tradi dictum est quam in hac confessione sit hactenus expositum etc.

Non putamus nisi summa urgente necessitate, in iis praesertim rebus quae maximi sunt in religione momenti, novanda esse ulla vocabula vel dicendi genera quae in scripturis non inveniantur. Deinde quoties id faciendum erit, optamus summum haberi delectum, ut plana prorsus ac minime ambigua sint quae usurpanda videbuntur, idque, si fieri possit, communi ecclesiae consensu.

Itaque in negotio de coena Domini non facile admittendum putamus adverbium substantialiter, tum quia non est usurpatum neque in scriptura, neque in veterum patrum scriptis, tum etiam quia nimis est ambiguum. Sed tamen, ne unius vocabuli causa videamur ecclesiam turbare, putamus ferri posse illius usum, modo perspicua interpretatio adiiciatur, id est, eiusmodi ut humanae Christi naturae non adversetur.

Hanc autem interpretationem requirimus: datur nobis Christus substantialiter in coenae sacramento, id est, non tantum fructus passionis ac mortis Domini nobis datur in coena, sed inprimis ipsa filii hominis substantia, hoc est, verum Christi corpus et verus Christi sanguis, ut unum cum eo simus et ita ex eo hauriamus vitam aeternam. Dicam etiam planius: sicut in externa coenae Domini actione non tantum percipimus vim nutriendi hoc corpus quae est in pane et in vino, sed ipsum panem edimus et ipsum vinum bibimus, ut succum inde hauriamus qui nostram hanc vitam sustentet, sic, quamvis non eodem modo tamen non minus vere, datur nobis in coena ipsa Christi caro et ipse Christi sanguis, ut Christo vere uniti simus omnium ipsius bonorum et vitae aeternae in ipso participes. Nam non possumus placere patri nisi in filio, et esse in filio is demum dicitur qui filio ita est unitus et coniunctus ut unum sit cum eo, sicut loquitur Dominus apud Ioannem et apostolus tum ad Romanos tum ad Ephesios, ubi comparat cum matrimonio nostram cum Christo arctissimam coniunctionem, quia nimirum sicut in coniugio dicuntur duo esse una caro, sic etiam fideles sunt unum cum Christo, cuius unitatis verum et efficax pignus est coena Domini.

Denique, ut paucis absolvam, si per adverbium substantialiter intelligatur ipsum Christum nobis dari, non autem ipsius spiritum duntaxat aut ipsius bona, putamus tolerari. Sin autem aliquis interpretetur, hoc adverbium non de re sacramenti sed de modo quo res sacramenti nobis datur, ita scilicet ut significetur ipsam substantiam Christi vere manibus tangi et dentibus atteri, quia quamvis invisibiliter tamen adsit sicut quum in terris versabatur, certum est nos nunquam hoc adverbium admissuros, quia, si hoc verum est, consequitur nunquam fuisse aut certe nunc non esse verum Christi corpus humanum, utpote quod ita statuatur esse infinitum, invisibile et non circumscriptum, ut non tam Deo unitus homo, sed in Deum mutatus homo videatur. Hoc autem qui ponit nobis certe videtur per consequentiam Christum tollere, qui nisi fuerit et sit in aeternum verus homo, finitus, visibilis et circumscriptus, periit spes nostra.

Huius porro nostrae cum Christo coniunctionis ac copulae instrumentum esse dicimus fidem, qua una percipi potest oblatus Christus. Vinculum autem est spiritus sanctus, quod facit ut qui in coelis est nobis qui in terris sumus non minus certo ac vere uniatur quam panis et vinum a nobis visibiliter et sensibiliter percipitur. Sed quomodo id agat spiritus sanctus et quomodo fides sacramentis tanquam scalis adiuta possit in coelum usque ascendere et Christo vere nos incorporare, hoc vero mysterium dicimus esse incomprehensibile, et curiosam esse hanc pervestigationem, non minus quam si quis, non contentus credere carnem Christi conceptam esse in virgine ex spiritu sancto, vellet etiam pervestigare quomodo spiritus sanctus hoc fecerit. Ideo utimur adverbio spiritualiter, non quasi sentiamus solum spiritum Christi nobis dari, sed ut ostendamus sola spiritus sancti virtute fieri ut Christi carnem et sanguinem nobis in coena oblatam et elementorum symbolis efficaciter repraesentatam verissime per fidem percipiamus. Dixit enim Dominus: Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus. Dixit etiam apostolus, Panis * quem frangimus esse communicationem corporis Domini et poculum cui benedicimus esse communicationem sanguinis Domini: quibus verbis assentimur simpliciter, nec de modo amplius quaerendum putamus.

Utinam vero pro adverbio substantialiter potius usurparetur haec formula: Nobis in coena Domini non tantum Christi bona sed ipsam inprimis Christi carnem pro nobis passam et ipsum sanguinem pro nobis fusum per fidem communicanda offerri spiri-

tus sancti virtute. Ita enim non discederemus a scripturae verbis et omnis dissidiorum occasio sublata videretur.[8])

2630.

BULLINGERUS CALVINO.

Praefatus quaedam de Bezae et Farelli itinere in Germaniam varia argumenta tractat: inter caetera nonnulla ad rem sacramentariam spectantia, de colloquio Wormaciae habendo, de Augustanae confessionis ambiguitate, de invectivis novis Lutheranorum, de libello Iacobi Andreae, cuius substantiam pluribus recenset.

(Autographon Bullingeri exstat in Archivis Turicensibus sed casu vel oscitantia nescio cuius dissectum. Initium et maior pars reperitur in Codice VI. 117 b. fol. 296, olim Scrin. C. Epp. Tom. II. sine inscriptione; reliquum in Codice VI. 129 fol. 347, olim Scrin. B. Epp. Tom. XXX. cum inscriptione. — Simler Vol. 89.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae ministro fidelissimo domino suo colendissimo et fratri carissimo.

Genff.

S. D. Reverendi domini et fratres D. *Farellus* et D. *Beza* benigne a magistratu huius urbis amplissimo et excepti et auditi et dimissi sunt. Ego in senatu interpretis munere fungebar. Impetrarunt omnia per Dei gratiam uti voluerunt rectaque abierunt Schaffhusium et Basileam.[1]) Atque hic nonnihil haesit causa. Ut enim Tigurinis Bernensibus et Schaffhusiensibus visum est optimum fore, si singuli legati mittantur ad Regem,[2]) ita hoc Basiliensibus placere non potuit, nisi celebratis prius comitiis. Nostri ergo hoc Bernam perscripserunt. Indicta sunt comitia et celebrata Aaroviae ab urbibus 9. Maii. Ac pulchre hi per Dei gratiam inter sese convenerunt. Mittetur ergo legatio ad Regem, et quidem ex singulis urbibus singuli legati. Noster delectus iam est et exspectat.[3]) Non potuit autem obtineri quod nostris visum fuerat, ut nunc et recta proficiscerentur legati ad Regem. Quum enim D. *Farellus* et *Beza* fratres profecti sint ad principes Germanos, visum est Helvetiis imprudentissime praeverti ab eis istos: atque istis omnem fore spem praecisam si repulsam patiantur legati Helvetiorum. Iam vero legatos una coniunctos Helvetios et Germanos plus apud Regem effecturos. Itaque exspectamus[4]) iam in diem fratres nostros D. *Farellum* et *Bezam*, ut ex eis audiamus quid effecerint apud Germanos principes. Si hi quoque adornant legationem, Helvetii mox illis locum et tempus indicabunt ubi conveniant. Si mittere noluerint, tum absque mora festinabunt Helvetii, qui alias quoque Germanos urgebunt ut festinent. Interea Berna nuncium et literas nomine communi mittit in Pedemontem ad D. *Brisacium*,[5]) obtestantes si quid severius ipsi in fideles exsequendum iniungatur, ne festinet: se enim iam esse accinctos itineri et recta profecturos ad Regem in causa fidelium cum Rege acturi * etc. Deus bene fortunet. Id ut praestetur precibus publicis serio instamus.

D. legatum regium mihi abs te commendatum,[6]) virum profecto piissimum, qua potui humanitate excepi et amplissimo magistratui nostro commendavi. Commendavi illum et fratribus Curiensibus et me totum illi exposui. Possum illi singulis septimanis literas mittere per mercatores. Ille se vicissim responsurum promittit. Dum hic apud nos propter pluviosum coelum haereret per biduum, Roma venit episcopus Trecensis princeps *Melphitanus*,[7]) homo quantum ex colloquio licuit colligere non alienus a nostra religione. Deus ipsi animum addat, ut aliquando quod faciundum novit audeat.

De mea ad vos profectione nihil polliceor amplius. Nosti, mi domine et frater, quali sim in te tuosque animo, utcunque nunquam te salutem Genevae. Res meae nunc ita habent multis modis ut proficisci non possim.

Comitia Polonica dissoluta sunt. Et bellum Livonicum[8]) quod gerendum creditur a Rege effecit

---

8) *Bullingerus in fine addit:* Hanc formam subiecit Confessioni exhibitae Beza, si quos offenderat placare posset 1558.

2630. 1) *Cf. N.* 2621.

2) *Bernenses et Turicenses scil. quum soli foedus cum Rege inire recusassent, sibi de hac legatione parum pollicebantur.* (*Hess, Bull.* II. 337.)

3) *Io. Escher: Bernenses mittebant Io. Wysz, Basileenses Iac. Goetz, Schaffhusiani Lud. Oechsli.* (*Hess. l. l. Baum.* 271.)

4) *Profecti sunt Helvetiorum legati m. Iulio, Germanorum ratione non habita quibus praeesse debebat Sturmius.*

5) *Marescalcum de Brissac.* (*Baum l. l.*)

6) *N.* 2624.

7) *Anton. Carraccioli principis de Melphe* (*Amalfi*) *filius, ep. Trecensium s. Tricassium* (*Troyes*). *Hist. eccl.* I. 83: lequel aiant esté de longtemps instruit en la doctrine de verité monta aussitost (*quum ep. creatus esset*) en chaire preschant avec une grande grace et fort librement contre les abus de l'eglise Romaine, hormis qu'il ne touchoit à la matiere de la Messe, et furent ces premiers sermons pour lors de grande edification. *Adfuit postea colloquio Possiacensi aperte reformationi fovens* (*ibid.* I. 767).

8) *Contra Guil. a Fürstenberg ordinis teutonici Heermeister in Livonia. Quod tamen mox finitum fuit.* (*Salig* II. 613.) *Comitia de quibus dicit Varsoviae celebratae fuerant.*

ut religionis negotium non sit neque legitime tractatum neque absolutum. Pendet itaque concertatio et causa universa adhuc. Quanquam interim verbo Dei quotidie accedunt innumeri. Ita mihi refert medicus quidam [9]) qui pridie huc a Cracovia venit. Fortassis vult Dominus non per regum edicta sed per infirmam praedicationem colligere et firmare sibi ecclesiam.

Clarissimus vir D. Andreas *Hyperius* [10]) Marpurgensis sub finem mensis Aprilis datis ad me literis testatur colloquium Wormatiae habendum fore 24. Augusti. Supremum huius praesidem futurum Regem *Ferdinandum* aut eius locum tenentem episcopum *Spirensem*: assessores colloquio deputatos ducem *Saxoniae* electorem, ducem *Wirtembergensem*, unum ex electoribus episcopis et archiepiscopum *Salisburgensem*. Colloquutores *Melanchton*, *Schneppffius*, *Pistorius*, *Machabaeus* Holsatus, *Brentius*, Onolzbachius. Ex parte adversa Iulius *Pflug*, *Sydonius*, *Delphinus*, *Gropperus*, *Pfefferus* Lovaniensis, Petrus *Canisius* Iesuita. Notarii deputati sunt *Eberus* et Goeppingensis, item praepositus et secretarius Moguntinus. [11]) Adiunxerunt colloquentibus supernumerarios utrinque plures et auditores quoque. Habebitur item deliberatio quid cum secretariis fiat. Addit ille *Melanchtonem* venturum Heydelbergam ad reformandam scholam. [12]) Vocatum enim esse a *Palatino*. Addit et hoc: per universum Belgicum mire flagrare persequntionis ignem. Id ipsum ad me perscribitur ex Augusta Vindelicorum: omnes omnium civitatum carceres refertos esse fidelibus: Gandavi, Brugis, Antverpiae et in aliis celebrioribus urbibus caedi nonnullos, atque hos magna constantia oppetere mortem. *Hyperius* idem ille non splendide sibi pollicetur de illo colloquio Vangiano, eo quod praepotentes non pauci cupiant sibi religionem aliquam ex evangelio et papismo parari qualis olim obtrusa fuerat aut inducta Galatis ex evangelio et lege etc.

Quid vero tibi videtur, reverende frater et amice? Vidistine quid nobis rursus pepererit nostra Aphrica? Saxoniam dicere volui. Existimabas tu pauculos esse qui crassam illam corporeae praesentiae opinionem sequerentur. Volebas sensum tolerabilem reddere confessionis Augustanae. Ac in hac causa sequutus est te et *Lascanus* [13]) noster. Suasimus nos ne huic pelago vos crederetis etc. Nunc turmatim excurrunt omnes, arma ferunt, omnes in nos insurgunt, omnes Westphalismum propugnant. [14]) Negant omnes confessionem Augustanam illum habere sensum. Qua in re, pace tua dixerim, plus ipsis accedo quam *Philippo*, quem scio se non ita declaraturum quin illi victores triumphent. Sed quid tum postea? Confessio Augustana non est evangelium. Superat autem omnes alios Saxones insaniendo et vituperando D. Erasmus *Alberus*. Scripsit hic librum copiosum lingua germanica in *Carlstadium*, *Zwinglium*, *Oecolampadium*, te, *Lasco*, me, et in nostras ecclesias. Hactenus in hoc certamine nihil vidi scriptum intemperantius, imo furiosius. [15]) Atque adeo tuum fuerit curare ut habeas: latinum quod te attinet reddi cures, et quod facto opus sit consultes.

Mihi quod singulariter agam imposuit *Lantgravius* senior [16]) partim, partim *Georgius* comes Montbelgardi. Quaerit Hessus: si corpus Christi sedeat aut versetur in coelis, neque redeat in terras ante iudicium, quomodo ergo ad Damascum Paulo apparuerit? Ac veram carnis visionem fuisse colliquere ex 1. Cor. 15. cap. Desidero de hoc loco etiam tuum, mi domine et frater, audire iudicium. Satis mature responderis si intra mensem proximum ad me scripseris. Comes *Georgius* misit libellum germanicum concionatoris Goeppingensis Iacobi *Andreae* doctoris Wirtembergensis, quem de coena scripsit ad *Palatinum*. [17]) Praefatus est in ipsum *Brentius* ac testatur, unicum hunc libellum omnibus piis satisfacere posse. Cupit princeps ut mature de toto libro meum ipsi perscribam iudicium. Ac suspicor illum hoc libro nonnihil esse commotum. Tractat quaestiones in universum tres: I. Quid sua substantia sit coena? II. Quid in coena percipiat

---

9) *Simlerus in margine Schneebergeri nomen suppeditat.*

10) *Cf. Adami Vitas theol.* 187. *Mangold in Herzogii Enc.* VI. 356.

11) *Onoldinus Karg*, *Goeppingensis Andreae*, *Moguntinus Driel.*

12) *Adfuit m. Octobri.* (*Schmidt p.* 617.)

13) *Io. a Lasco.*

14) Confessio fidei de eucharistiae sacramento in qua ministri ecclesiarum Saxoniae astruunt corporis et sanguinis I. C. praesentiam et de libro Calvini respondent. Magd. 1557.

15) *Ecce titulum libri cuius ipsi possidemus editionem a.* 1565 *factam. Autor iam a.* 1553 *mortuus erat:* Wider die verfluchte Lere der Carlstader vnd alle fürnemste Heubter der Sacramentirer, Rottengeister, Widerteuffer, Sacramentlesterer, Eheschender, Musicaverechter, Bildstürmer, Feiertagfeinde vnd Verwüster aller guten Ordnung. Erasmus Alberus Doctor vnd Superintendens zu Newenbrandenburg im Land zu Mecklenburg. Gedr. zu NBr. — *In fine leges haec:* Anfenglich habe ich 29 Ketzerzeichen wider Calvinum vnd Lasco gesetzt. Darnach 121 wider die Widerteuffer. Vnd zuletzt 321 wider Carlstadt, Zwingeln, Oecolampaden, Lasco, Calvinum, Schwenckfeld, Bullinger etc. In Summa 471 vnd ist keines vnter denselben das nicht des Hellischen fewers werd sey *etc.*

16) *Philippus ὁ πάνυ.*

17) Kurtzer u. einfältiger Bericht von des Herren Nachtmahl und wie sich ein einfältiger Christ in die langwierige Zwiespalt so sich darüber erhoben schicken soll. Tüb. 1557. (*Hartm. u. Jaeger, Brentz* II. 369 *et infra N.* 2674.) *Ad nomen Andreae Bullingerus in margine scripserat:* Est in magna gratia principis Wirtembergensis et Brentii hic doctor Iac. Andreae. *Sed haec verba deleta sunt.*

impius? III. Quis coenae usus? Sic autem tractat ut de singulis praemittat sententiam Lutheri, deinde nostram, postremo quid sentiendum sit exponat.

1. Substantia coenae non est panis et vinum duntaxat, sed cum pane et vino corpus et sanguis Domini. De modo esse dissidium. Lutherum explicare id per corporaliter, nos per spiritualiter. At vocem spiritualiter non satis explicare mysterium, nisi quis per spiritualiter intelligat modum coelestem et ineffabilem quo vera caro praesens intelligitur pani. Nihil autem obstare huic doctrinae articulum de ascensione Domini et proprietate naturae humanae Christi. Apud Deum enim in coelo nullum esse locum, omnes locos unum esse locum. Ideo scribi, Christum ascendisse in coelum et supra coelos, et Paulum vidisse Christum ad Damascum. Vanissimum ergo esse commentum doctrinae de coelo, quasi locus sit corporis Christi. Neque enim ullum tempus esse in coelis apud Deum, quum scribatur: Unus dies tanquam mille: et vox praedicatoris simul esse possit et in auribus multorum millium auditorum et in ore concionatoris. Dexteram Dei implere coelum et terram, ergo et filium hominis in dextera sedentem, ita ut ineffabiliter percipi possit vere et corporaliter ab omnibus quum repleat omnia. Interim tamen non imaginandum de repletione illa quasi naturalis sit, sed divina et per quam non negetur veritas humanae naturae in Christo. In scripturis narrari similia, quod Helias et Moses fuerint in Monte Thabor, quos tamen certum sit coelos non reliquisse [18]). Angelos semper videre faciem patris nec coelum relinquere, et tamen nobis in terra praesentes esse. Animam in qualibet corporis parte esse totam. Et quum per mortem migrant illico esse in coelo, neque opus ulla motione.

2. Impios dicit manducare ipsum verum Domini corpus, nec tantum illis offerri hoc sed percipi. Hic autem fingit in Christo duos effectus, alterum vitae, alterum iudicii. Christum ergo a piis manducatum carne vivificare. Eundem manducatum ab impiis iudicare. Ideoque dictum esse: Qui indigne manducat iudicium sibi edit. Sicut enim unum atque idem evangelium est aliis odor vitae ad vitam, aliis odor mortis ad mortem, ita et Christus et eucharistia. Sicuti ergo operatur vitam caro Christi in piis, ita mortem et iudicium in impiis. Proinde qui negant veram carnem manducari ab impiis spoliant Christum iudicandi maiestate et gloria. Neque vero tantum iudicat in extremo iudicio, sed quotidie, ut claret 1, Cor. xj. Sacramenti quoque veritas non innititur nostrae fidei vel perfidiae, sed institutioni et veritati divinae. Licet ergo credulus accedat, semper cibum et hospitem esse paratum. Graviter ergo errare nos qui negemus impios, eo quod fide careant, non percipere ipsum verum Domini corpus. Neque vero ignominiosum esse hoc gloriae Christi etc.

3. Multis agit de usu et abusu. De quibus iam non est dicendi locus. Plus diu satis te detinui. Rem autem gratam faceres, si de his omnibus paucula quaedam annotares et mihi mitteres mature: praesertim de impiis manducantibus ipsum Dominum. Nihil haec me olim protrita movent: sed nihilominus tuum exspecto iudicium. Satis te detinui. Vive et vale cum omnibus fratribus atque ministris. Dominus benedicat vobis. Salutant vos symmystae et fratres. Festinantissime scripsi. Ignosce ergo festinanti. Tiguri xvj. Maii 1557.

Bullingerus tuus.

18) *ab hoc vocabulo incipit fragmentum in Cod.* 129.

2631.

CALVINUS PFARRERO.

Gratulatur ei consulatum iterum delatum. Hortatur eum ut sedulo in repurganda ecclesia laboret et commendat ei exsules si qui Argentorati hospitium quaesituri sint.

(Ex Epp. a Beza editis Genev. p. 183, Laus. p. 394, Hanov. p. 441, Chouet p. 249, Amst. p. 114. — Vers. angl. III. 328.)

Quum mihi scripsisset doctor *Othomanus* [1]) te consulem esse rursus electum, vir ornatissime, statueram pro mea in te observantia tibi gratulari, et quo esses ad munus obeundum alacrior vota mea precesque addere. Nunc igitur dum oblata mihi fuit nova scribendi occasio, eam libenter arripui. Frater enim meus, qui frumenti petendi causa istuc profectus erat [2]) mihi retulit, se ita fuisse humaniter acceptum, ut facile prospiceret, nomen meum commendationis loco apud te fuisse. Pro hoc amoris testimonio nisi gratias agerem, me inhumanum fore putavi. Hinc etiam mihi crevit scribendi fiducia, quia mihi dubium non fuit quin tibi gratae essent meae literae. Etsi autem sponte ad officium propensus ullis stimulis non indiges: si tamen pro vetere nostra amicitia ardorem quo praeditus es magis excitare libere audeam, non molesta, ut spero, tibi erit haec sedulitas. Ac primo quidem, dum coniectos in te ac tuum consulatum bonorum om-

2631. 1) *N.* 2598 *de hac re nihil: alia igitur deperdita esse videtur.*

2) *N.* 2620.

nium oculos vides, ac plus spei de hoc anno quam de aliis quinque proximis concipere: haec te exspectatio sanctiore vinculo obstrictum tenet, ne tua cessatione eventus ipsos frustretur. Sed altera cogitatio studia tua piosque conatus acrius excitare debet, quod tibi admirabili Dei consilio praeclara nunc oblata est opportunitas repurgandae a sordibus papatus vestrae urbis:[3]) ubi quum per annos triginta vidisses veram pietatem, sincerumque Dei cultum florere, triste haud dubie acerbumque spectaculum hausisti oculis, ex quo impiis superstitionibus foedata est. Hoc vero iam tibi inaestimabile solatium erit, si moriens relinquas tua opera a superstitionibus purgatam: imo si nunc senex Dei cultum, in quo erigendo fideliter olim et strenue laborasti, restituas. Alterum a te peto etiam, ut tuo patrocinio miseros exsules[4]) tuendos recipias, et per sacrum Christi nomen obtestor. Nam ut inter nos colatur hospitalitas, postulat misera temporum conditio. Vale praestantissime vir. Dominus tibi semper adsit, te Spiritu invictae fortitudinis, et sanctae prudentiae gubernet, Magistratum tuum benedicat, Amen. Genevae, 19. Maii M. D. LVII.

Ioannes Calvinus vere tuus.

2632.

CALVINUS HUBERTO.

Hic quoque praeter nonnulla privata negotia talia potissimum attinguntur quae ad pendentem controversiam pertinent, et Saxones perstringuntur.

(Autographon exstat in Arch. Thomanis Argentorati Epp. var. II. f. 4. — Simler. Vol. 89. Vers. angl. III. 330.)

Pio et docto viro et fideli in ecclesia Argentinensi Christi ministro D. Conrado Huberto fratri et symmystae mihi colendo.

Argentinae.

Quod sedulo fratrem meum [1]) nuper adiuveris, hoc officio, sicut aliis pluribus, tuum in me amorem testatus es. Si quis tibi vicissim operae meae usus fuerit, gratitudinem meam cognosces. Bene vero accidit, quod non tanta frumenti copia impetrari tunc potuit: quia paulo post fratris discessum laxata fuit ea caritas, quae famem miserae plebi minitabatur. Ita in excusatione non est quod labores: quia in hac mediocri summa minus erit dispendii, quam si plus advectum foret.

Beati [2]) ventris abdicatio labem et maculam a collegio vestro absterget: sed non omnia inquinamenta eluet ac purgabit. Neque enim parvum dedecus istius ecclesiae esse duco, inter vos regnare Ioachimi *Westphali* socium,[3]) a quo scis optimum patrem nostrum *Bucerum* inter haereticos numerari. Utinam Christum cum suis membris amplecti potius discat *Marbachius*, quam ventum alis colligere.

De rebus Saxonicis quae scripsisti summo moerore pios omnes afficere merito debent. Quamquam autem simul ac inde *Philippus* migraverit, atrocius in eum saevient: exire tamen necesse est, ut liber aliquando esse incipiat. Wormaciensis colloquii minime laetum fore exitum boni omnes ominantur.[4]) Ego quid de *Schnephfio* et similibus sperandum sit, non video.

Budeum tuo nomine[5]) rogavi, ut fidem suam liberaret. Pollicitus est, sibi ut ad vestras nundinas aliquid accipias curae fore.

Libellum ab Henricho *Stephano* non ita pridem editum si forte usui tibi foret, mittendum censui. Ad poeticen natura satis eram propensus: sed ea valere iussa, ab annis viginti quinque nihil composui, nisi quod Wormaciae exemplo *Philippi* et *Sturmii* adductus sum, ut carmen illud[6]) quod legisti per lusum scriberem. Itaque quod ex me conferam, non habeo. *Viretus* musas sibi ita propitias esse negat, ut canat quidquam poeticum.

Vale, eximie vir et frater mihi ex animo colende. Inter symmystas si qui adhuc praeter D. *Theobaldum* amici restant (neque enim de illo dubito)[7]) eos peramanter cupio salutari meo nomine. Nam D. *Lenglinum* quum isthac transiens quaesiissem, miratus sum non reperiri, ac si conspectum

---

3) *Et senatus et ministri Interim penitus abolere gestiebant, verum inter maximas quibus premebantur difficultates demum d.* 19. *Nov.* 1559 *rem perfecerunt.* (*Roehrich.* III. 42 *sqq.*)

4) *Videtur Vesalienses respicere qui a Lutheranis pulsi sibi novum hospitium quaerebant. Hallerus in Ephem.* 113 *narrat d.* 12. *Maii a senatu Bernensi pluribus eorum tale Aroviae concessum fuisse.*

2632. 1) *N.* 2620.

2) *Gerungii.*

3) *Marbachium.*

4) *Neque immerito. Interruptum fuit antequam bene inchoatum esset et confusio inde etiam maior evasit. Rem ex actis narrat Salig.* III. 290.

5) *In Huberti ep. de hac re nihil. Fortasse per tabellarium eam commendaverat.*

6) *Epinicion.* (*Opp. Tom.* V. 417.) *De psalmis tacet. Quod iam iuvenis Musarum cultor fuerit, hoc solo loco, quod sciamus, ipse fatetur.*

7) *Vide quae de hoc ad Musculum scribit N.* 2548.

meum fugeret.[8]) Dominus te praesidio suo tueatur, virtute sustentet, spiritu dirigat. Amen. Genevae 19. Maii 1557.

Iohannes Calvinus tuus.

2633.

BULLINGERUS CALVINO.

Vergerius serio adhortandus ne cunctando manus praebeat Lutheranismo in Polonia quoque latius propagando.

(Ex autographo Cod. Turic. Archiv. Plut. VI. Vol. 117b, olim Scrin. C. Epp. Tom. II. fol. 370. — Simler. Vol. 89.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fido domino colendissimo suo et fratri carissimo.

Genff.

S. D. Scis, optime frater, zelum fratris nostri D. *a Lasco*, et quod cupiat negotium religionis tractari purius in Polonia, quam hactenus factum sit a Lutheranis. At modum illum non probat per omnia *Vergerius* noster, malens per initia confessionem Waldensium valere, donec meliora impetrare liceret.[1]) Eundem suspicor legatum remittendum in Poloniam nomine protestantium principum, ut animos principum Poloniae cum Germanorum coniungat. Hortaberis ergo *Vergerium*, quem quidem legatum malo quam alium, ne quid boni operis impediat, aut iuvet, quo Lutheranismus crassus alioqui obtineat etiam in Polonia. Nam si Lutheranismus obtinuerit, actum erit de sincera religione. Nam primarius ille promachus Lutheranorum Erasmus *Alberus*[2]) nunc etiam in libro contra te et nos edito defendit usum imaginum in templo et reliqua absurda. Prudenter ergo agito cum *Vergerio* nostro, ac ad postremas illas meas copiosissimas et molestissimas responde, oro, mature. Vale et oremus Dominum, ut liberet nos a malo. Tiguri 20. Maii 1557. Festinantissime.

Bullingerus tuus.

8) *Hoc potius casu factum crediderimus. Lenglinus enim* (*Ravensburgensis, pastor ad S. Guilelmi*) *sincerus Buceri assecla erat.*

2633. 1) *Vergerius disciplinam fratrum Bohemorum commendabat; scripsit etiam praefationem in eorum confessionem. Tub.* 1557. *Habebant illi in Polonia quasdam ecclesias et scholas, Lesnae etiam officinam typographicam. Quantum ad discrepantiam inter Lascum et Vergerium, fortassis de sola liturgia et rebus ad cultum externum spectantibus cogitari debet. Nimia sane profert Melanchthon ad Matthesium scribens* (*Salig.* II. 618. *Gindely, Gesch. d. böhm. Brüder* I. 402): In Polonia intelligo inter Lascium et Vergerium magna certamina fore, et uterque se armat sua factione. *Cf. etiam Bullingerum N.* 2640.

2) *N.* 2630.

2634.

BULLINGERUS CALVINO.

Mittit ei exemplar confessionis Helveticae per Vergerium.

(Ex autographo Cod. Turic. Arch. Plut. VI. Vol. 129, fol. 348, olim Scrin. B. Epp. Tom. 30. — Simler. Vol. 89.)

D. Ioanni Calvino fratri suo carissimo.

Genff.

S. D. Diebus praeteritis adobrui te, colendissime domine et frater carissime, literis meis, ut nunc quum vivam hic epistolam[1]) habeas tibi existimem parcendum, alioqui occupatissimo. Si non vidisti dudum Confessionem urbium Helvetiae,[2]) conscriptam anno 1536 quum primum te Basileae vidi et salutavi, nunc habebis ab his descriptam. Quid privatim (nihil adhuc contuli cum fratribus) consultaverimus super hac Confessione ipsi copiose referent. Rem feliciter omnem per Dei gratiam perfecerunt, ob quam legati sunt missi.[3]) Deo gratia. Vale diu, nobis superstes. Tiguri 22. Maii 1557.

Bullingerus tuus.

2634. 1) *Vergerium, quem mox Bernae et Genevae fuisse in sequentibus leges.*

2) *Quam vulgo Basileensem secundam vel Helveticam primam vocant mense Februario* 1536 *a legatis Turicensibus, Bernensibus Basileensibus, Schaffhusianis, Sangallensibus, Mylhusanis et Bielensibus concorditer recepta a Bullingero, Myconio et Grynaeo maxime conscriptam, in consilium adhibitis Leone Iudae et Megandro.* (*Hottinger, helv. K. G.* III. 700; *Ruchat* IV. 59 *ss.*)

3) *Haec omnia satis obscure dicta sunt quippe coram per Vergerium fusius exponenda. Sed non liquet qua de causa illam confessionem tum temporis nondum latine typis excriptam Calvino mittebat. Dum quis meliora, a nobis haec habe ex mera coniectura proposita. Patet Vergerium inter et Bullingerum de hac confessione nuper actum fuisse. Quid si Vergerium iter suum helveticum suscepisse dixeris, a duce Christophoro missum, ut conciliationem inter utriusque formulae asseclas praepararet, respectu habito proxime instantis*

2635.

MUSCULUS BULLINGERO.

Vergerius adfuit et de Lasco et Polonia subobscure loquutus est. Foedus cum Genevensibus usque in suspenso est.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 153, fol. 217, olim Scrin. B. Epp. Tom. 31. — Simler. Vol. 89.)

Praestantissimo theologo D. Henricho Bullingero domino ac compatri suo carissimo.

Tiguri.

S. D. Accepi quidem a D. *Vergerio* tale quid, quale est quod scribis, compater in Domino carissime, verum subobscure, quod attinet coniunctionem Poloniae cum protestantibus. De D. *a Lasco* quoque nonnulla recitavit, quod vero consilia illius perturbare velit, non significavit, nisi quod inconsultum putat, si tam tenera initia confestim per articulum coenae Domini in difficultatem coniiciantur. [1]) Venit huc inter coenandum 22 mensis huius, et mox altero die mane discessit. Ad illum quum vocarer, tuas nondum acceperam. Si redierit ad nos, faciam quod mones.

Genevenses iterum frustra societatem cum nostris ineundam tentarunt. [2]) Vereor ne res ista mali aliquid quandoque sit datura. Caetera quae nos concernunt, poteris ex D. Wolfg. *Hallero* carissimo fratre cognoscere. Optime vale. Salutant te ac tuos mei omnes, praesertim *Heinrychulus* noster. Saluta meo nomine dominos ac fratres isthic, D. *Martyrem*, D. *Bibliandrum*, D. *Gualtherum* et *Frysium*, et caeteros. Bernae 24. Maii 1557.

Wolfg. Musculus tuus
in Domino.

conventus Francofordiensis et colloquii Wormaciensis, et in eum finem Bullingero illam helveticam confessionem idoneam visam esse quae negotiationibus instituendis pro basi et fundamento inserviret? De Farelli enim et Bezae confessione nihildum Turici resciri poterat.

2635. 1) *Lucem sufficientem tibi praebebunt quae annotavimus ad. N.* 2633.

2) *Ex Actis senatus Genevensis discimus d.* 3. *Maii legatis instructiones datas, et eosdem d.* 25. *Maii rediisse.*

2636.

CALVIN A L'ÉGLISE D'EMDEN.

L'Église d'Emden avait adressé vocation à Perrucel, qui se décida à accepter la place de Francfort. Ceux d'Emden en étaient offensés et Calvin tâche de leur faire envisager la chose sous un autre point de vue.

(L'original se trouve dans les Archives de l'Église Wallonne d'Amsterdam. Nous en devons la copie à l'obligeance de M. le pasteur F. H. Gagnebin.)

A mes bien aymez freres et honorez amys Les fidelles serviteurs de Dieu et de Iesus christ qui sont en la ville de Emdem. [1])

A Emdem.

par Louis que Dieu garde.

La dilection de Dieu nostre pere et la grace de nostre Seigneur Iesus Christ soit tousiours sur vous par la communication du sainct esprit.

Treschers seigneurs et freres, combien que ie vouldroie memploier selon la faculte que Dieu ma donnce a vous aider de doctrine de conseil et admonitions, toutesfois scachant bien que vous avez homme qui tasche de vous enseigner fidellement, selon la mesure de grace quil a receue [2]) et ne doubtant point aussi que Dieu ne vous adresse en bon conseil, et que ne soiez attentifz et dilligens a exhorter les uns les aultres, ie me suis abstenu iusques icy de vous escrire. Et encores a present ie ne feray sinon vous toucher ung poinct, auquel il me semble que vous avez besoing d'estre advertis, de moderer vostre affection ung peu trop vehemente. Ie loue bien le desir que vous avez eu, davoir pour vostre pasteur nostre frere maistre Francois *de la riviere*, moiennant quil ny ait point dexcez, pour entrer en debat et contention. [3]) Mais pource quil vous a semble quil vous appartenoit, vous avez este faschez a ce que iay entendu de ce questant appelle a leglise de Francfort il a accepte ceste charge. Si vous estimez que leglise en lappellant vous ayt faict tort, ie vous prie pardonner a la necessite et ne vous esbahissez si les bonnes gens cherchant remede pour appaiser les troubles qui les ont quasi ruynez du tout, ont choisy lhomme quilz pensoient estre propre et convenable a cela. Car encores quil

2636. 1) *Comp. les lettres N.* 2564. 2566. 2584. 2588.

2) *Il parle sans doute de Pierre du Val.*

3) *Perrucel dans ses mémoires raconte toute cette histoire de sa double vocation à Francfort et à Emden et ce qu'il fit pour avoir l'avis de Calvin. Nous en avons donné des extraits à propos des lettres ci-dessus rappelées. Voyez le* 1r *vol. des Frkfrt. Rel. Handl. p.* 281 *suiv.*

eust este avec vous, vostre debvoir estoit de vous despouillier plustot que de souffrir la dissipation, dont le danger estoit tout apparent. Mais ie crains quue coniecture vous trompe, cest quil vous semble quil ayt prefere les aultres a vous, ce qui nest point croiable, veu que de long temps il ma declare combien il vous aymoit et prisoit, mesmes il sembloit quasi pour le desir quil avoit de se dedier a vostre service, quil fust trop enclin a quicter ceulx ausquelz il estoit pour lors oblige. Tant y a, que pour obeyr a la vocation de Dieu, il sest arreste a Wesel iusques a ce que Dieu len a delivre. Estant en liberte, puis quon le requeroit si instamment de venir a Francfort, il ne pouvoit, et ne debvoit refuser une telle condition, comme estant offerte de Dieu, veu quil ny avoit nulle meilleure ouverture de profiter a leglise de Dieu. Quant a lobligation que vous pretendez quil avoit envers vous, Ie vous prie de vous tenir suspectz en vostre cause propre, et vous remectre plustot a ladvis de ceulx qui ne sont point preoccupez daffection comme vous, a qui la chose attouche, aussi ie vous prie de bien considerer, si ce que ien ay tousiours respondu nest pas vray, ascavoir que telle convenance estoit pour le tenir en suspend, et par consequent le rendre inutile, iusques a ce que Dieu eust asseure ce qui estoit incertain. Quoy quil en soit, ie vous prie, mes freres, daultant que nous sommes tenus de secourir les uns les aultres, et nous esioyr au profict et salut de noz freres, quil ne vous fasse point mal qune povre eglise qui estoit quasi preste a perir, ait appelle a son ayde celuy qui estoit le plus prochain et auquel Dieu en avoit donne le moien. Vous scavez que la premiere reigle de charite est de nestre point adonnez a nous mesmes. Quant ceste modestie dominera en noz cueurs, iamais nous naurons envie ne ialouzie, que les aultres soient bien pourveuz. Daultre coste, quil vous souvienne du remede que sainct Paul propose pour appaiser toutes picques et contentions, cest que nous ne soions point menez de cupidite de vaincre et surmonter. Au reste ie vous prie aussi de penser que vous gaingnez a contester dune chose conclue et faicte, laquelle ne se peult changer, sans tout renverser. Vouldriez vous pour une contention privee anneantir une election en laquelle le nom de Dieu a este sollemnellement invocque? Vouldriez vous que pour satisfaire a vostre desir, ung pasteur fust arrache de leglise en laquelle il sert avec grant fruict? Vouldriez vous faire ung tel scandalle que dexposer en opprobre et mocquerie, non seulement leglise de Francfort, mais aussi les aultres semblables? Pensez quelle occasion les meschans auroient de blasphemer, et combien les debilles en seroient esbranlez et quasi confus. Qui plus est, vous rendriez lhomme inutile tant a vous qua tous aultres, comme vous aiant fraulde auparavant et nestant retourne vers vous, sinon par force: mais iespere que desia cest ardeur aura este moderee, et que Dieu vous aura fleschy a ceste equite, de quicter voluntairement a voz freres ce que vous avez cuyde estre vostre, et ne point empescher celuy qui est ia en bon train, de continuer a ce que Dieu en soit glorifie. Ce pendant, mes freres, fortiffiez vous de plus en plus en zele et constance, et persistez a batailler vertueusement, iusques a ce que nous recevions la couronne de gloire de la main de celuy auquel nous avons a servir dun commun accord.

Surquoy treschers freres, apres mestre recommande a vous et a voz bonnes prieres, ie supplieray nostre bon Dieu vous avoir en sa garde, vous conduire tousiours par son esprit, vous enrichir de ses benedictions spirituelles, tellement que de plus en plus il soit honore et exalte entre vous. Mes freres vous saluent affectueusement. De Geneve ce 24. May 1557.

Vostre humble frere et entier amy
Iehan Calvin.

2637.

QUADRATUS [1]) CALVINO.

In memoriam ei revocat scholas Argentoratenses quibus olim eo duce interfuerat; statum ecclesiae Mombelgardensis deflet, Farelli et Bezae nuper ibi transeuntium mentionem facit.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 110.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo et tanquam in Christo patri ac domino suo observandissimo

Genevae.

S. P. Magnas omnino gratias habeo D. *Dommartino*, viro optimo ac vere nobili, qui tecum de mea erga vos observantia verba fecerit: sed tibi, vir clarissime, etiam maiores ago quod ipsius orationi fidem habens et me vicissim benevolentia prosequaris et illud ipsum humanissimis literis tuis [2]) testatum esse velis. Utinam vero referre possem. Sane ex quo Lutetia huc reversus sum, proposui

---

2637. 1) *Comitis Georgii Wirtembergensis consiliarius Mombelgardiae. (Carré?)*

2) *deperditis. Ipse quidem hac prima vice ad Calvinum scripsisse videtur.*

non semel epistolio aliquo gratum erga te animum meum declarare, utpote qui mihi puero Argentinae anno 1540 praeceptor doctorque fueris meque concionibus et praelectionibus sacris quotidianisque etiam cohortationibus ad pietatem instruxeris: quo nomine me tibi privatim plurimum debere minimeque esse solvendo ingenue fateor. Sed quominus id facerem causa vel potissimum fuit quod cogitabam inconsultum fore si ego, tibi alioqui ignotus, sanctis tuis occupationibus obstreperem. Neque interea tamen destiti multos ex ingenti numero doctissimorum ac vere piorum librorum tuorum evolvere, iisdemque animum meum explere. Verum dolores intus coquendos habes, vir candidissime. Ah scio, atque id mihi etiam maxime dolet. Confido autem te, quo es stomacho, quidquid est huiusmodi probe digesturum. Sed cupio etiam doloris tui particeps esse. Quamobrem rogo ut hoc abs te impetrem mihique quamprimum communices. Deploro quidem et valde crucior ob huius ecclesiae statum miserrimum: [3]) tu vero causas et effectus penitus introspicis. Sed mihi tamen perferendus est meus dolor, vixque hic reperio socium in quem partem eius aliquam transferre possim. Atqui moerorem hunc meum haud parum lenivit praesentia colloquiumque praestantissimorum virorum D. Gulielmi *Farelli* et Theodori *Bezae*, qui quum Kalendis Maii huc appulissent propter urgentissimam pietatis causam, [4]) acceptis literis a Principe ad *Landgravium* ducemque *Christophorum* postridie discesserunt. Prolixum nimis foret quid et cum quibus egerint, idque melius ipsimet reversi recensebunt, vel qui has perfert deliniabit. * Vale, mi pater in Christo reverende, et si quid possum vel privatim vel publice, impera: ego libentissime obsequar. Dominus te nobis ecclesiaeque suae diu servet incolumem. Mombelgardiae 8. Kalend. Iunii 1557.

Tuus discipulus et in Christo filius
Antonius Quadratus.

3) *Vides eum minime lutheranizare.*
4) *N.* 2621.

2638.

HOTOMANUS CALVINO.

Quid eius iussu cum consule reipublicae Argentoratensis egerit exponit, et sic plura affert de Marbachio et Gerungio, illiusque iudicio de Farelli confessione.

Addit quaedam de fratre suo Lausannae degente et describit constructionem fornacis recens inventi.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 18.)

Clarissimo et spectatissimo viro D. Ioanni Calvino theologo praestantissimo et Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo

Genevae.

Fr. Hotom. S.

Clarissime vir et pater observandissime. Literas tuas [1]) ego et D. *Conradus* [2]) ad consulem nostrum detulimus, qui mirabili cum voluptate visus est utrique nostrum eas recipere, maiori etiam ea audire quae abs te scripta illi per D. *Conradum* explicabantur. Itaque continuo (erat autem in area curiae) nobis respondit primum se gratulari Genevensi reipublicae et ecclesiae de annonae caritate [3]) remissa ac propemodum exstincta, deinde se lubentissimo animo maioribus in rebus eidem ecclesiae tibique gratificari velle, si qua facultas esset.

Quod autem ad Gallorum [4]) odium pertinet statim sacramentariam causam attingi sensit. Verum quod neque ipse neque decem, ut opinor, in hac civitate de stulto et barbaro illo scripto [5]) quidquam audierunt, respondit nobis senatum in animo habere seque operam dare, ut aliqua pacificationis ratio ineatur, antequam ad colloquium [6]) theologi veniant: qui si dissentientes in re ulla reperiantur ludibrio erunt adversariis. Huic illius sermoni addatur tibi a me, *Marpachium* nuper a senatu missum ad Electorem, [7]) ut consilium ab eo ea de re caperet. Nam plane omnes boni cupiunt atque expetunt horum dissidiorum exitum, neque ulli paulo peritiores dubitant quin, si tua et Tigurina aliaeque ecclesiae, vel Tigurina sola postulet a senatu vel Electore colloquium, hoc impetret. Tibique affirmo me ab aliquo magno et pio viro monitum esse ut tibi hoc renunciem. Iam enim multi sua sponte istuc currunt: parvis stimulis excitati facile quo cupiemus descendent.

Redeo ad consulem. Tertium erat de *Beato* [8]) et altero, quorum neutrum interpres [9]) nominare voluit, ne literas illas abs te extorsisse videretur.

2638. 1) *N.* 2631.
2) *Hubertus.*
3) *cuius causa Ant. Calvinus Argentoratum missus fuerat.*
4) *gallici coetus ecclesiastici Argentoratensis.*
5) *Fortassis Erasmi Alberi de quo nuper saepius.*
6) *Wormaciense.*
7) *Palatinum.*
8) *Gerungio.*
9) *Hubertus.*

Postremo addidit se Gallicanam ecclesiam commendatissimam habiturum, quam etiam anno superiore illi commendaras. Se sperare senatum de nebulonibus et seditiosis edoctum non amplius eorum improbitatem perpessurum aut dissimulaturum: meque rogavit ut suo nomine tibi salutem perhonorifice peramanterque ascriberem, tibique nunciarem, se lubentissimo animo tibi omnibus in rebus quod poterit gratificaturum. Haec de consule.

Philippi literas binas [10]) legi nuper scriptas: decretum aulae suae fuisse ne ad Electorem veniret, illincve ante mensem Iulium discederet. Mirifice de Flaccianis querebatur. Sed excitari (ut ais) oscitantiam non incommodum videtur. Haud scio quibus oculis quoque vultu saxeum ferreumque libellum [11]) sit lecturus. Confirmo tibi sic omnibus etiam causae defensoribus displicere, ut in hac urbe duo exemplaria difficile reperiantur.

Reversus Bada *Sturmius* cum *Marpachio* (ille autem alter propter lignariam parcimoniam profectus erat: omnia enim ipse administrat) [12]) mihi dixit, *Marpachio* in cancellaria Electoris [13]) traditam fuisse D. *Farelli* et D. *Bezae* confessionem sacramentariam. [14]) Eum sua manu describere illam voluisse, dixisseque palam eam sibi placere, nisi forte quid subesset quod non intelligeret. Et addidit: Si D. *Martyr* tantundem dicere voluisset! Plane mihi visus est post D. *Martyris* discessum, qui multas ei peperit invidias, et postquam a senatu monitus est ne posthac tam acerbe inveheretur, [15]) valde in pacificationem propensus. Is [16]) apud senatum nostrum et Electorem potest plurimum. Si D. *Farellus* velit scribere, urgebo negotium.

De fratre meo [17]) gratiam habeo. Consilium animo et studio sequor, sed nervi desunt. Lausannae illum esse cuperem, at tibi confirmo illum quadraginta coronatis a me illic ali non posse. Ita est in pecunia profundenda et inanibus sumptibus faciendis adolescentulus et facilis, et, ut solebas dicere, Parisiensis, in nido ac sinu matris semper educatus. Et quo magis meas opes intelligeres, uxor gravida sumptus iam novos mihi comparat. Liberis igitur proximioribus reservo si quid de meo demenso servari potest. *Rhingraffius* [18]) tamen iam dudum discessit. Verum hoc plus satis.

Apud *Sturmium* aliquot aedificati sunt fornaces arte nova et mirabili. [19]) Vidi heri novum recentique excogitatum hac forma:



Forma est undique quadrata quae quatuor pediculis sustinetur, ut aer, in quo tota vis artis posita est, subire possit ad ignem alendum, impositum craticulae, quod in omnibus fornacibus adhibetur. In medio est ingens cacabus rotundus sed oblongus, cuius in fundo, ut dixi, clatrato ignis est qui subtus respirat, sic ut cinis illuc excidat. Is cacabus opertus est tegmine, cuius in medio parvum foramen est quo fumus emanat, flamma et calor nullo modo. Nam hic conclusus vasa omnia imposita quae vides (○○○) ita fovet ut carnes elixentur. Ab utraque parte clatratus quoque est, sed ferrea valva quae detrahi potest munitus. Ad eas fenestras tria et quatuor verua apponuntur quibus carnes torrentur. Usitatior forma tres habet gradus:

Infimus cinerem recipit, secundus ignem habet clatris ferreis impositum, tertius foramina quae ollis impositis obturantur ut calor conclusus fumum exhalare per eam partem possit quae parieti admovetur. Si mathematicus essem vel pictor, figuram tibi melius descripsissem. Sed garrire tecum volui.

Oblitus eram hoc dicere: certissimum est senatum nostrum in ea deliberatione fuisse ut centum florenos vel talleros pro D. *Farelli* viatico numeraret, neque quisquam dubitat quin, si huc rediisset, accepturus eam pecuniam fuisset. Hoc mihi dubium non

---

10) *Tales non exstant in Corpore Ref. ad quemcunque scriptae fuerint; sed ex aliis patet Melanchthoni minime in animo fuisse ut Palatinum in reformanda sua universitate praesens adiuvaret, quod et Electori Saxoniae non placebat. Vide eius epp. ad Mordeisenium d. 5 et 18 Apr. et ad Brentium d. 21. Apr. (Corp. Ref. IX. 127. 137. 144.)*

11) *Alberi puta iam supra notatum.*

12) *Praepositus erat capituli Thomani cui erant sylvae quaedam trans Rhenum.*

13) *Fortassis hoc factum est eo tempore quo M. Pfeddershemium se contulerat, ab Electore vocatus, ut colloquio cum Anabaptistis interesset (Schmidt, Antheil d. Strassb. an der Ref. der Churpfalz p. 33).*

14) *Ad hunc locum Calvinus propria manu in margine:* Miror quid hoc sit. Tu igitur doce. *Vides Bezam nihil Nostro de toto hoc negotio hucusque dixisse. Cf. infra N. 2646. 2680. Sane confessio quae Marbachio placebat Calvino suspecta esse debebat. Patet verba illa Calvini Bezae destinata fuisse.*

15) *Hoc tempore ergo Marbachius Argentorati nondum principatum in ecclesiasticis obtinebat.*

16) *Vermilius.*

17) *Francisco decem erant fratres et sorores, quorum ipse natu maximus. Pater mortuus fuisse videtur. Mater cum pluribus liberis catholicis sacris addicta erat, et illi suam patrimonii partem denegabat. Calvinus videtur ei autor fuisse ut istius fratris curam haberet.*

18) *Argentorati studiis navasse operam videtur sub H. auspiciis, qui eo abeunte partem reditus amittebat.*

19) *De quibus Blaurerum supra audisti. N. 2559. 2571. 2595 et Halleri Eph. ad 16. Iun. p. 113.*

est. Quid tamen sit futurum ignoro. Negotium satis ursi, quod ipse, ut novit D. *Beza*, excogitaram. Sed huc redire neuter voluit. Clarissime vir et pastor fidelissime vale, meque in tuis precibus meamque familiam commendatam habeto. Argent. 28. Maii 1557.

2639.

DER PFALZGRAF UND DER HERZOG VON WÜRTEMBERG AN DEN RATH ZU STRASSBURG.

Bitten den Rector Sturm mit der Sendung an den französischen Hof zu betrauen in Sachen der Waldenser. [1])

(Thomas-Archiv. Original mit der Ueberschrift: *Pfaltzgraff Churfürst vnd Hertzog zu Wirtenberg der beträngten Christen halb jn Piedmont vmb Sturmium, rectorem zu einer legation. Empfangen fritags den 28. may anno etc. 57 lectum vor Rhet vnd xxj samstag den 29. maij anno etc. lvij.*)

Den Ersamen vnnd weysen vnnsern lieben besondern Maister vnnd Rath der Stat Strasburg.

Von gottes genaden Otthainrich Pfaltzgraf bey Rhein des heiligen Römischen Reichs Ertztruchsesz vnd Churfürst Herzog in Niedern vnd Obern Bairn etc.

Christoff Hertzog zu Würtemberg vnd Deckh Graf zu Mümppelgart etc.

Vnsern freundtlichen grus zůuor, Ersamen Weysen Lieben besonndern Was bey vnns die Ersamen vnnsere auch lieben besonndern Wilhelm *Farellus* Pastor zu Newemburg vnd Theodorus *Besa* Professor Ordinarius der Schulen zu Losanna der Armen verfolgten Christenhalb jnn Piedmont, die Waldenser genant, bey vnns fürbracht vnd geworben, dessen achten wir vnůonnöten sein lange erzelung zuthun, nachdem bey euch von jnen gleichmessigs ansuchen hieůor auch beschehen, Dieweil wir dann vnns schuldig erkhennen vnnsern mitgliedern deren haupt Christus vnnser einiger seligmacher ist mit trost vnd hilff soůil an vns ist beystendig vnd berhaten zu sein, haben wir aus Christenlichem gutem mitleyden vnns neben Hochgebornen Fürsten vnnsern freundtlichen Lieben Oheimen, vettern, Senen vnd Brudern, Hertzog *Friderichen* Grauen zu Sponhaim, Hertzog *Wolffgangen* Grauen zu Veldentz, Landtgraf *Philipsen* zu Hessen, Marggraf *Carln* zu Baden vnd Graf *Jörgen* zu Wirtemberg etc. einhelliglich beschlossen vermellten betrübten vnd bekümmerten Christen zu gnaden trost vnd gutem ein legation mit werbung vnnd Jnstruction zu kö. Würde in Franckreich etc. zuordnen vnd abzuferttigen.

Nachdem wir aber diser zeit mit ainer person, die zu diser Pottschafft mit reden vnd sonnst zu gebrauchen, nit versehen, vnnd dann den Ersamen vnnsern lieben besonndern Johannem *Sturmium* Eurer Schul Rectorem, der nit allain der Frantzösischen Sprach sonnder auch der gebrauch am Hof kündig, zum tuglichisten hiertzu achteten, So ist demnach an euch vnnser freundtlichs gönnstigs begern vnd gesynnen, Jr wöllend vns denselben züůerrichtung solher Legation gutwilliglich vergönnen vnd erlauben, ob villeicht durch solhe vnnsere Jntercession den Armen betrangten Christen inn jrem höchsten anligen vnd Creutz ettwas milterung hilff vnd trost gedeyhen vnd widerfaren möchte, Wollten wir Jme *Sturmio* ettliche der vnsern, welhe mit vnd neben Jme solh werbung volbringen helffen sollten züordnen, Vnnd wiewol wir vns vnzweifenlich vorsehen, Jr werden euch hier jnn nit allain willfärig erzaigen, sonnder auch jm fall er *Sturmius* sich dessen waigern würde dartzue, soůil an Euch, anhallten, So begeren wir doch hierauf eur schrifftlichen antwurt, vns darnach, sintemal lenger verzug hier jnn ettwas gefarlich, destobas zurichten haben. Daran beweisen Jr, neben dem Gottseligen Christlichen werckh vnns freundtlichs gefallen, hinwider vmb euch günsticlich zu beschulden haben. Datum Marggraůen Baden den 28. May Anno etc. 57.

2640.

CALVINUS BULLINGERO.

Usque urget colloquium irenicum cum Germanis instituendum, quanquam inter spem et metum suspen-

2639. 1) *Badena Beza et Farellus Goeppingam se contulerant ad ducem Christophorum pridie Id. Maias.* (*N.* 2637. 2626 *etc.*). *Iam vides quid effecerint. Cf. Bezae Apol. ad Cl. de Xaintes in ej. Tract. theol.* II. 295 *et Schmidt, Sturm* 101. *ubi etiam leges memoriale scriptum quod Sturmius (qui ipse legatis sese non adiunxit) his tradidit, continens* Argumenta quibus uti in hoc negotio licebit. *Helvetii separatim legatos miserunt, duce Io. Eschero cuius diarium impressum exstat in: Neuste Samml. verm. Schriften. Zür.* 1757. III. 371 *e quo nonnulla excerpsit Baum* I. *p.* 272.

sus. Porro nonnulla habet de confessionibus Waldensium.

(Plura contulimus huius epistolae exemplaria: Genevae reperitur authenticum Calvino dictante ab Ionvillaeo scriptum, Cod 107a, fol. 156 v., ibidem fol. 155 aliud ab eodem mundatum, autographon vero Bullingero missum exstat in Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 166 fol. 32, olim Epp. Tom. 24. — Turretini apographon habes in Cod. Genev. 108, fol. 87, aliud recentius in Cod. 111b, fol. 6. Bernae bis legitur in Epp. Tom. VI. p. 527 et 712, denique ap. Simlerum Vol. 68. Versio anglica III. 332.)

Ornatissimo viro et eximio Christi servo D. Henricho Bullingero ecclesiae Tigurinae fido pastori et symmystae observando.

S. Ternas his duobus mensibus abs te literas accepi, [1]) eximie vir et venerande frater. Primis scribebas D. *Petrum Martyrem* et D. *Gualtherum* huc venturos, te vero impediri incommoda valetudine. De privati colloquii successu monebas exiguam spem esse, quando ubique primas obtinet *Brentius*, homo praefractus et nimium addictus crassis suis deliriis. Etsi autem ego quoque non semel testatus sum, quantopere metuendi sint tales congressus me videre, nolim tamen ita refugere ut de nostra diffidentia triumphum agant adversarii. Caeterum quia mihi retulerunt optimi fratres *Farellus* et *Beza*, si oblata fuerit colloquendi occasio, te ad eam amplexandam sponte esse propensum, a longiori sermone abstineo: nisi quod te summopere rogatum velim ut clarissimus senatus vester hortatu tuo vicinos nostros impellat. Neque enim repudianda est Principis voluntas, [2]) quem putavimus esse a nobis alienum, et festinatione opus est ut mature intelligat nostrorum vota ad suum consilium accedere. Quum vero hoc totum onus sustinendum tibi sit, nisi festines et strenue urgeas, timendum est ne cupide alii tempus silentio praetereant. Iam quia expedit, imo fere necesse est, testem idoneum mitti qui *Wirtebergensem* principem de pollicitatione sua appellet, vide annon mittendus sit cum altero vel pluribus *Beza* noster. [3]) Quanquam si quid videbis esse negotii, ne minimum quidem scrupulum iniici velim: quia plus satis aliunde erit remorae. Quod tamen venturum tibi sponte in mentem erat libere exponere volui, tantum ut cogites. Confessionis nulla mentio hoc tempore, si mihi creditur, fiet. [4]) Nam si difficilis esset accessus, haec esset commoda insinuandi ratio. Nunc si quis turbator actioni se volet opponere, obiiciet, antequam ad colloquium ventum fuerit, nos leges praescribere: [5]) et nullus interea usus est, quum ipse Princeps anteverterit. Imo nihil magis causam nostram iuvabit quam si pro confesso sumamus eandem nobis esse doctrinam, et uno duntaxat capite excepto inter nos sancte convenire. Confessio autem de re certa et liquida controversiam moveret. *Vergerio* non dixi quid agere statuerim. [6]) Scribam, ubi dabitur opportunitas, D. Ioanni *a Lasco* ne rigidius premendo excutiat fratres Waldenses a nostro grege. [7]) Nihil tamen agam nisi te conscio. Huic tantum dixi, optimum virum D. *a Lasco* interdum solere austerum esse: sed quia causa haec mihi nondum est comperta non pronunciare: Waldenses ante annos 16, quum adhuc essem Argentorati, misisse confessionem quae optimo *Bucero* et mihi tunc probata fuit: sed mihi postea ostensum fuisse exemplar quoddam, in quo nonnulla mihi displicent et quae nollem admittere. Vale, ornatissime vir et frater ex animo mihi observande, una cum D. *Martyre* et collegis omnibus. Symmystae mei vos omnes reverenter salutant. Dominus vos tueatur, sustentet, omni benedictione locupletet. Genevae 3. Calendas Iunii 1557.

Ioannes Calvinus vere tuus.

2640. 1) *Imo quatuor N.* 2615. 2630. 2633. 2634. *Nam quam primam dicit N.* 2615 *est, et infra not.* 4 *ad N.* 2634 *alludit.*

2) *quam Bullingero praedicasse videntur isti post suum reditum. Calvinus usque sperabat Helvetios Francofordiam et Wormatiam vocatum iri, quae spes eum fefellit. Vicini, quos dicit, Bernenses sunt, princeps Christophorus.*

3) *Quem sua confessione iam se Germanis quodammodo tradidisse ipse nondum suspicatur.*

4) *Hoc pertinet ad Conf. Helveticam nuper a Bullingero missam. Bezae confessionem adhuc ignorabat*

5) *Vides nescire eum, Principes confessionem postulasse.*

6) *Vergerius ergo nuper Genevae fuerat, cui tamen noster diffidebat, utpote lutheranizanti.*

7) *cf. N.* 2633.

2641.

BEZA CALVINO.

Plura et varia habet de rebus Gallorum maxime Parisiensium et de legatione eo missa.

(Ex autographo Cod. Genev. 117, fol. 23. Reperies etiam in Cod. 119, fol. 35, in Epp. Bern. VI. p. 1028 et ap. Simlerum Vol. 89. Edidit Baum I. 465.)

Eximio Dei servo D. Iohanni Calvino patri mihi inprimis observando Genevensis ecclesiae vere fido pastori.

Genevae.

Salutem et pacem a Domino.

Querculus [1]) noster ad te proficiscitur, sicut mihi mandaras, nec dubito quin sit futurus in vestra potestate, quamvis ei non significarim quorsum accerseretur. Est praeterea hic apud nos quidam, *Egidius* nomine, non ille impudens monachus, sed alius quispiam [2]) quem Andegavenses a pietatis zelo multum commendant. Puto bene notum esse D. *de Couleines* [3]) ex quo poteris, si libuerit, omnia intelligere. De *Merlino* [4]) nostro adhuc sum in eadem sententia, sed hoc video vestris hoc tempore non placiturum. Ex *Morellani* [5]) nostri literis cognosces quid Burdegalenses petant. Eiusmodi vero literas nunquam lego quin, sicuti incredibili voluptate afficior isti regni Dei amplificatione, ita etiam magnopere me nostrae inopiae pudeat. Video enim Dominum in his regionibus pietatis scholam aperuisse, in qua mirum est tam paucos inveniri, qui ad alios docendos sint idonei. Nempe maxima pars vel est otiosa vel aliud satagit. Ego vero mature admonendos plerosque censuerim, ut sese certatim ad opus Dei comparent. Cui enim dubium esse potest, quot operariis deinceps sit opus futurum ad ingens illud aedificium quod Dominus abhinc triennium inchoavit. Itaque hac in parte sedulo nobis, tanquam *ἐργοδιώκταις*, incumbendum puto. Caeterum de Pedemontanis si quid audieris, non dubito quin brevi nobis significes. Parisienses putarim non inutile esse admonere de legatorum [6]) profectione in aulam, ut si Lutetiam venerint salutentur ecclesiae nomine, nisi aliter censueris. Puto enim eam rem maxime profuturam, aemulatione saltem aliqua accendendis tum nostrorum tum etiam Germanorum animis. Deinde non desunt etiam aliqui, ut spero, quorum opera et consilio in aula ipsa adiuventur. Sed haec ego duntaxat propono, quod si probaris optime omnium praestiteris. Bene vale, mi optime pater. Dominus Iesus magis ac magis tibi benedicat. Lausannae, Calendis Iunii.

Th. Beza, filius tibi in Domino addictissimus.

Excipio Neapolitani, nuper praesidentis, historiam.

2641. 1) *Videtur fuisse studiosus theol. Lausannensis quem Calvinus accersebat tentaturus an Lutetiam mitti possit (Duchesne?) - Vide infra N.* 2661.

2) *De neutro certiora habemus.*

3) *Fortasse Gallus quidem propter religionem exsul.*

4) *Jo. Raim. Merlin prof. hebr. Lausannensis. Anno* 1559 *c. Vireto Genevam venit et primum in Piney ministerio functus postea Galliam petiit (Haag.* VII. 385*). Videtur eum Beza Lutetiam mittere voluisse.*

5) *Cf. N.* 2529. *Videtur Parisiis Burdigalam transiisse unde m. Dec.* 1558 *Lutetiam rediit. Cf. etiam Farelli ep. d. d.* 4. *Sept.* 1558.

6) *Helvetiorum.*

2642.

MICRONIUS BULLINGERO.

Pellicani mortem deplorat, ei Martyrem successisse laetatur. Francofordiam vocatus est ad colloquium habendum de coena Domini. Contra Westphalum qui ecclesiam Frisiae turpissime traduxit apologiam meditatur.

(Ex Füsslini Centuria N. 88, p. 408.)

S. P. Literas tuas, antistes vigilantissime, ad 26. Martii diem scriptas accepi 25. Maii die. Ex quibus quum vestram ecclesiam bono loco esse intelleximus, non mediocriter sumus exhilarati. Id duntaxat nobis refricuit dolorem quod de morte sanctissimi viri D. *Pellicani*, venerandi senis et antiquae illius aureae aetatis viri repetis. Sed hunc nostrum dolorem nonnihil lenivit quod ei D. *Petrus Martyr*, praeceptor meus observandus, successerit, cuius acumen, eruditionem et iudicium mirantur omnes, ac dolent, eum non plures ingenii sui foetus in lucem proferre. Sed hanc piam multorum de ipso querimoniam tollet, spero, iam tam quaesitas et studiis aptas sedes nactus. — — — — — —.

Vocatus iam sum Francofordiam colloquii causa quod privatim inter pastores Germanicos Francofordenses et peregrinos de coena dominica institui debet. Sed aegre hinc possum divelli tum propter apologiam *Mennonis*, [1]) tum etiam propter alia gerenda, quae adversus *Westphalum* meditor [2]) propter ipsius mendacia, quibus non modo me privatim sed omnes ecclesias Phrisicas inimicissime accusavit et apud universum mundum traduxit. Prodibit, spero, haec apologia ad proximas Francofordinas nundinas, si non Francofordiana profectio scriptionem meam impediat. Inter alia confutare statuimus illud Martini *Fabri* commentum de intermissa apud Nordanos totius institutionis recitatione, quemadmodum id nobis impingitur libro Saxonicae confessionis, quem

2642. 1) *Cum Mennone de incarnatione Christi disputaverat a.* 1554. *Cramer, het leven v. Menno Simons. Amst.* 1837 *p.* 105: Micron gaf twee jaren later in 1556 een Waarachtig verhaal von dezelve Disputatie uit: Menno daartegen in hetzelfde jaar nog een antwoord neven seenen welmeenenden doch scherpen Zendbrief: Micron daarop in 1558 eene Apologie of Verantwoording. (Apologie op 20 verscheiden Articulen v. Menno Simons tegen de Disputatie onder haer gehouden. *Joecher.*) *Plura ap. Cramerum.*

2) Apologeticum scriptum quo ecclesias Frisiae orientalis a Ioach. Westphalo aliisque ei similibus falso traductas modeste tuetur et purgat M. Micronius. — Responsum ad quandum eiusdem Westphali epistolam de iis rebus scriptam quae post anglicarum ecclesiarum dissipationem Hamburgi aliisque vicinis locis a. 1554 acciderunt, insertis nonnullis de coenae dom. negotio etc.

a vobis visum et lectum esse non dubito. — — — — — — — — — — Vale. Raptim admodum. Nordae A. 1557 Iunii 5.

Martinus Micronius.

2643.

BEZA BULLINGERO.

Enixe rogat ne occasio negligatur quae se offerre videtur quoad negotium conciliationis cum' Lutheranis. [1])

(Autographon exstat in Archivis Turic. Plut. VI. Vol. 166. fol. 138. Exemplaria recentiora habes in Cod. Genev. 119, fol. 171, in Epp. Bern. VII. p. 135, et ap. Simlerum Vol. 89. Edidit Baum I. pag. 464.)

Eximio Dei servo D. Henrico Bullingero Tigurinae ecclesiae vere fido pastori.

Tiguri.

S. Mi pater, salvi et incolumes Dei gratia domum revertimus, ubi satis prospera et salva omnia comperimus. Fratres nostri Pedemontani nihil adhuc praeter minas senserunt sed eas prorsus atroces. [2]) Compescat Dominus Satanae rabiem sicut futurum quoque speramus. D. *Calvinus* confessionem valde probavit, [3]) sed cur aliam nunc ineundam viam putet, iam, ut opinor, ex ipsius literis cognovisti, quas a me abhinc biduum accepit *Vergerius* primo quoque tempore ad te perferendas. [4]) Tempus brevissimum est, quanquam non dubito, quin *Lantgravii* causa [5]) duas minimum hebdomadas auferat, ut si quis ex nostris Francfordiam circiter Calendas Iulii [6]) venerit, non videatur operam lusurus. Insta, obsecro, et urge omnibus modis. Nam a nostris [7]) hoc responsum accepimus, se non futuros in mora, si aliis ita faciendum videbitur. Ut nihil aliud obtineatur, certe eripuerimus furiosis illis apertam calumniae occasionem, nos quum ultro ad concordiam provocemur tergiversatos. Sed et ipsos principes omnino spero multo nobis futuros aequiores, ac illos proinde multo moderatiores, si Dominus dederit ut coram, quae nobis rationes constent, intellexerint. Deinde, quam (obsecro) iniquum fuerit, optimi et (mihi crede) supra quam testari possim in hanc causam concordiae propensi principis, [8]) ultroneam postulationem aspernari? Ergo, mi pater, ego te obtestor, ut quanta maxima diligentia ac sedulitate fieri poterit totum hoc negotium, tum apud tuos tum apud reliquos nostros acceleres, ne oblatam occasionem nobis e manibus elabi sinamus.

Sed de his satis. Tabellam nostram praedestinationis [9]) ad te mitto, de qua mihi pergratum feceris si iudicium tuum ad me libere perscripseris. Bene vale, mi pater, D. Iesus magis ac magis tuis sanctis laboribus benedicat. D. *Martyrem*, D. *Galterum* caeterosque optimos et colendissimos fratres cupio quam officiosissime meo nomine salutari.

Lausanae pridie Pentecostes. [10])

Th. Beza plane tuus.

2644.

HUBERTUS CALVINO.

Abdicato Gerungio spes affulget reconciliationis. Fama est Francofurti futuram colloquii praedeliberationem. Opus Buceri posthumum.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 108.)

2643. 1) *Pertinet haec epistola ad illarum seriem, tam praecedentium quam subsequentium, quae non iam modo de legatione ad ducem Christophorum, sed maxime de ipsius Bezae confessione eidem tradita apologetice agunt. Eo maioris momenti sunt quo minus recte et lucide de his viri docti olim scripserunt. Vide Hospin. hist. sacr. p.* 433, *Loescheri hist. mot.* II. 216, *Saligii A. C.* III. 321, *Hess, Bull.* II. 359, *Baum, Beza I.* 268. 275 *seqq. Quid quod nonnulli alterum iter Bezae et Farelli autumno susceptum cum priore confundunt. Ruchat* VI. 203 *recte quidem rem exponit sed nimis breviter.*

2) *N.* 2621.

3) *Haec confessio non ipsius Bezae esse potest Goeppingae tradita (nisi eum egregie mentitum esse dixeris) nam hanc Calvino non tradiderat (vide infra N.* 2646). *Fortasse de Helvetica loquitur.*

4) *Etiam hic nodus adest quem tibi solvendum relinquimus. Vergerius ipse Genevae fuerat (N.* 2640). *Quidni huic ipse Calvinus ep. suam tradidit?*

5) *Hassus litem habebat iam semisaecularem cum principe Nassoviensi de comitatu Katzenellenbogen, quae nunc tandem Francofordiae diremta fuit, et quidem revera intra* 14 *dies (Thuan.* II. 499, *Salig* III. 257).

6) *Conventum auspicati sunt d.* 16. *Iunii Otto Henricus, Christophorus, Philippus Landgravius, Wilhelmus comes Nassoviensis aliique principes et legati.*

7) *qui scil. Calvinistis favebant.*

8) *Constat eum concordiam vel cum Catholicis ineundam quaesivisse (Pfister* I. 344, *Kugler* II. 46).

9) *N.* 2411.

10) *i. e.* 5. *Iunii.*

Clarissimo atque doctissimo theologo D. Ioanni Calvino praeceptori suo observandissimo atque carissimo.

Genevae.

Salve in Christo praeceptor observandissime atque carissime. O laetissimum hunc nobis diem dominicum, qui ecclesiae Argentinensi ab abdicatione *Beati* [1]) a toto ministerio illuxit primus et exoptatissimus. Nunc demum spem firmam concipio, mentes multorum hactenus tam gravi et diuturna discordia offensas in Domino rursus coalituras. Donet pacificator supremus homini eam gratiam ut et culpam mali agnoscat et emendare solide studeat. Dissensio inquam ad senatus nostri intercessionem diuturnam sane iam tandem sublata et compositio inter nos ea est facta, ut controversiam totam quam scis utrinque iusto iudici Deo diiudicandam detulerimus. Quare patri coelesti maximas agere gratias, ecclesiae hactenus perturbatae congratulari, coniunctionisque sanctae in capite suo Christo perpetuitatem exorare debemus omnes.

Novi quod tibi soli scribo hoc est. [2]) A viro primario hic fide dignissimo ante paucos dies audivi, ad xviij diem huius mensis [3]) praedeliberationem quandam, ut vocant, colloquii ad Bartholomaei diem indicti institutam esse Francofurtum: quo principes et respublicae nostrae partis cum praecipuis quibusdam doctis aliquot confluent. Adsit illis angelus magni consilii, ut consiliis suis omnibus actionibusque scopum hunc praefigant gloriam Christi, ecclesiarum aedificationem.

Gratias H. T. habeo plurimas de libello donato [4]) eoque duplici nomine grato, primum propter materiam ab instituto nostro non alienam, deinde propter te potissimum, praeceptorem mihi ut reverendum ita etiam carissimum. Utinam animi gratitudinem aliquando demonstrare possim. Quod D. *Budaeum* [5]) monueris ut fidem suam aliquando liberet, pergratum fecisti, etiamsi de illius fide sincera nihil quidquam hactenus dubitaverim: tamen memoriam illi refricuisse haud obesse potest. Hunc optimum virum atque germanum tuum meo nomine peramanter salutare velis, id quod te plurimum rogo.

Unum fere exciderat: hoc eodem tabellione ad *Oporinum* mitto librum de Regno Christi doctissimum, domini ac praeceptoris nostri *Buceri.* [6]) Spero eum piis omnibus haud ingratum fore, ubi ad Septembrem in lucem prodierit. Vale in Christo, praeceptor observandissime, et eidem nos precibus tuis sanctissimis commendare ne cesses. Iterum vale. Argentorati die Pentecostes qui est 7. Iunii [7]) Anno 1557.

Hum. T. observantissimus
Conradus Hubertus.

2644. 1) *N.* 2620. *Röhrich* III. 93.

2) *Mireris eum rem publice dudum vulgatam quasi secretam tractare.*

3) *Vide praecedentem not.* 6. *Deliberationem de colloquio Wormaciensi demum sub finem mensis instituerunt.*

4) *Secundam Defensionem significare videtur quae a.* 1556 *prodiit. Ultima enim admonitio m. Augusto* 1557 *demum edita nondum Argentoratum mitti poterat.*

5) *N.* 2632.

6) *scil. typis exscribendum. Prodiit m. Sept. Dicatus fuit regi Daniae Christiano Cal. Sept.* 1557 *nomine haeredum defuncti in Christo M. Buceri* (*Baum, Butzer* 609).

7) *imo* 6. *Iunii.*

2645.

HALLERUS BULLINGERO.

De colloquio quod multi meditantur ipse parum sibi promittit utilitatis, si quidem revera cogatur. Sulcerum oblique notat ob Lutheranismi suspicionem, Melanchthonem aperte ob timiditatem.

(Ex autographo Cod. Turic. Arch. Plut. VI. vol. 154, olim Scrin. B. epp. Tom. 32, fol. 578. — Simler vol. 89.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino et compatri suo colendissimo et carissimo.

S. Proxime per fratrem nihil scripsi quoniam ipse viva erat epistola. Interea tuas [1]) accepi, quibus quid tibi videatur cum principibus Germanis agendum significas. Ego, quum *Farellus* et *Beza* hac redirent, [2]) cum fratre meo Biennam profectus eram, ut ipsos non audiverim: sed *Musculus* omnia mihi retulit. *Vergerius* quoque ex Geneva reversus nobiscum atque etiam cum senatu [3]) ea de re multis egit. Probaretur omnibus nobis tuum consilium si spes esset principes haec curaturos. Exstant doctrinae ecclesiarum nostrarum passim documenta multa: sed quanti fiant, vel a principibus vel ab ipsorum theologis, satis apparet. [4]) Mihi certe pacem (cuius tamen supra modum cupidus et studio-

2645. 1) *Non reperimus.*

2) *m. Maio vergente.*

3) *ex quo facile collegeris id factum esse ex autoritate Ducis.*

4) *Hallerus, quae erat eius sana mens et prudentia, non de mutuis concessionibus faciendis cogitasse videtur, sed de fraterna utriusque partis in alteram tolerantia et cessatione criminationum.*

sus sum) cum illis hominibus nullam promitto. Expertus enim sum Augustae et alibi quales erga nos gerant animos. Itaque mihi nimium faciles videntur duo hi nostri [5]) qui ex eo quod semel humaniter excepti fuere colligunt universalem obtineri posse concordiam. Et metuo ne qua fiat ut hac concordandi ratione denuo abducamur a simplicitate veritatis, sicut prius quoque factum est. Scio enim multos ex nostris plurimum ad hanc aspirare concordiam: sed metuo ne eo nomine, ut hac ratione obtineant formulas quas vellent ipsi loquendi. Nunquam enim concordia fiet, nisi formulae concedantur periculosissimae, quibus quum alio atque alio sensu usuri simus, veterem habebimus contentionem. Vestra hac in parte ecclesia tutior erit, quae prius per Domini gratiam nihil huius dissidii sensit. Sed mihi haec, dum nostras considero ecclesias, hasce pariunt cogitationes. Et sunt de senatorio etiam numero hic non insulsi homines qui hoc et suspicentur et metuant, praesertim si Galli huius concordiae autores fuerint, qui priori etiam plus nimio intricati exstiterunt. Ad haec ipsamet Basiliensis confessio, de qua opinor te scribere, habet vocabula quaedam a *Bucero* et *Capitone* obtrusa, quae postea declarari necesse fuit, ne quis illis abuteretur aut in alium sensum, quam a nostris concessa fuerunt, verteret. Nec dubito quin adhuc Basilienses sub his vocibus suam tueantur opinionem. Scis etiam *Bucerum* et Argentinenses voluisse ut vestri studiosi sub ea confessione ipsis communicarent, et quid a nobis ad ea responsum sit. In summa: *Ich förcht immer man führe vns hinder das liecht.* Ad haec habemus in academia illa Helvetica eum [6]) qui cum Lutheranis conspirat, colludit, ministros illis mittit, confessiones eorum recipere et probare iubet, apud eos concionatur, totus illorum est, et tamen interea quoque noster esse videri vult: a quo mihi hac in re maximopere metuo. Itaque non possem me, meo iudicio, altius intromittere in hanc concordandi rationem. Si confessio una cum declaratione mittenda videretur, non abnuerem. Sed quis hoc faciet? Prius communiter hoc esset decernendum. Quod vero aliarum ecclesiarum iudicium sit ego ignoro. Si quid ergo nobis hic agendum videretur, significate nobis et respondebimus in tempore. Sine senatus nostri conscientia non velim neque auderem etiam quidquam hic praesumere. Utinam hoc unum obtineri posset, ut cessarent acerba et odiosa illa scripta [7]) et declarationes illae amarissimae quibus sublatis non diffiderem de aliqua concordia. Velim vero adhuc *Philippi* procedere consilium et ut is tandem Deo tribuens gloriam publice fidem suam profiteatur, [8]) nec in finem usque animos multorum suspenderet. Audio illum Heidelbergam venturum. [9]) Haec de concordia illa quae me premit valde, dum ipsam obtinere cupio et tamen non possum non timere maioris discordiae seminarium. — — — — — — — Genevenses hic habuere denuo suos legatos, [10]) sed sine aliqua agendi potestate, sicut semper. Itaque nihil actum est. — — — —

Vergerius triduo fuit Genevae antequam ad *Calvini* colloquium potuerit admitti. Id quod *Calvini* nomini maximam parit apud omnes invidiam.

Marchionissa [11]) quaedam ex Gallia his diebus huc venit, cui lis est cum alio quodam principe de comitatu Neocomensi. Ea hic decidetur, et nisi commode agatur periculum est ne comitatus ille in alienas perveniat manus, et ecclesiae ditionis illius omnes evertantur. In quo efficiendo Solodorenses graviter laborant — — — — — —

I. Hallerus tuus.

2646.

BEZA CALVINO.

Iam tandem monitus de sua Duci Christophoro oblata confessione verba facit, sed eam quasi nullius momenti et plane ex Calvini mente scriptam depingit. Instat ut hic ipse rem apud Wirtembergenses urgeat.

(Ex autographo Cod. Genev. 117, fol. 87, coll. cum exemplaribus recentioribus Cod. 119, fol. 25, Epp. Bern. VI. p. 1023, Simleri Vol. 89. Edidit Baum. I. 466.)

Eximio Christi servo D. Iohanni Calvino Genevensis ecclesiae vere fido pastori.

Genevae.

---

5) *Beza et Farellus. Quid vero dixisset si iam eorum confessionem vidisset! Cui vel Basileensis suspecta erat et nimis ambigua.*

6) *Sulzerum notat.*

7) *Westphali et Flacianorum.*

8) *A quo tamen ille sibi maxime cavebat, partim quae naturalis eius erat timiditas, partim quia sciebat se paucissimis satisfacturum.*

9) *N.* 2638, *not.* 10.

10) *Reg. du Conseil* 10. 25. *Mai*, 1. *Iun.*

11) *Iacqueline de Rohan marquise de Rothelin filio suo Leonor d'Orléans duc de Longueville comitatum Neocomensem vindicabat contra Iac. de Savoie duc de Nemours. Bernenses arbitri facti. Marchionissa ipsa adfuit cum filia sua quae postea Condaeo nupsit. Post duos menses Neocomensis ditio ei adiudicata fuit ita quidem ut Nemorensi aliae quaedam terrae et pecuniae summa in compensationem darentur.* (*Ruchat* VI. 221 *sq.*)

S. Haud satis scio an nobis prorsus exciderit,[1]) an vero saltem attigerimus id, de quo noster *Hotomanus* ad te scripsit, cuius ad te literas remitto. Res autem ita se habet. Quum essemus colloquuti cum *Dillero*, Palatini concionatore,[2]) nec illi displicere viderentur, quae ex nobis audierat: cuperem etiam, inquit, principi atque etiam aliis multis ista esse nota, quae ad sinistras quorundam opiniones evellendas valde iudicarem profutura. Respondimus: copiosissime haec esse iam pridem, a te praesertim, perscripta in ea ipsa Institutione quam ipse etiam dicebat sibi esse familiarissimam. Tum ille: fateor, inquit, sed multi vel non possunt vel nolunt intelligere: quod si brevi scripto ista essent comprehensa, non dubitarem illa offerre, commodam occasionem nactus, et si quid requireretur vobis etiam significare. Nos id vero libenter facturos respondimus et postridie id scriptum obtulimus, cuius exemplar inter meas chartas requisivi, simulatque *Hotomani* literas legi et tandem inventum ad te mitto. Postea apud Ducem *Wirtembergensem*, simili prorsus occasione oblata, hoc ipsum reliquimus,[3]) quod illi quoque intelleximus non displicuisse. Sed de hoc hactenus.

Miror nos Tiguro nihil accipere,[4]) et misere metuo, ne nostri tantam occasionem non inviti praetermittant. Itaque etiam cessantibus reliquis, omnino, nisi aliud tibi videtur, censuerim, ut ad Ducem scriberes, tum etiam ad *Brentium* et Iacobum *Andream*, ut saltem intelligant te huic pacificationi non defuturum. Nam quum prae caeteris in hanc arenam Dominus te produxerit, puto id proprie quodammodo non modo tui esse muneris, sed etiam a te nominatim illos quoque exspectare qui autoritatem suam in hoc negotio interponunt, nec dubito quin tuae literae magnum sint apud principes momentum habiturae. Ego quidem ita iudico: tu vero statue quod commodissimum esse censueris. Si liber essem, cuperem esse literarum tuarum tabellarius et sperarem me tibi non iniucundum responsum allaturum. Exspecto alterius nuper praesidentis historiam.[5]) Rogo etiam ut Helvetiorum confessionem[6]) quam apud te reliqui ad me remittas, ut expendam. Lausannae XIII. Iunii.

Th. Beża, filius tibi in Domino addictissimus.

2646. 1) *Ecce illum! Hucusque de industria tacuerat, nunc casu oblitum se fingit.*
2) *de quo cf. Hundeshagen in Herzogii Encycl.* XIX. 421.
3) *Sed passim mutatum. Vide* 2628 *seq.*
4) *de mittendo quodam Francofordiam ad principes.*
5) *Cf. N.* 2641.
6) *Helveticam, quam ipse Calvinus nondum ante noverat. Aliter Baumius* I. 276 *not.*

2647.

FARELLUS CALVINO.

Raptim recentissimos itineris sui eventus et profectus narrat, aliaque ad praesentem rerum statum pertinentia delibat.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 130, coll. cum apographis Cod. 116, fol. 56, Epp. Bern. VI. p. 721, et Simleri Vol. 89.)

Praestantissimo Christi servo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis theologo insigni fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Quid egerint principes[1]) nondum potui intelligere. Urbes suos miserunt legatos et hodie 15. agitur dies quod solverunt Monbelgardo. Christus non minus prosperam faciat legationem quam fuerit nostra. Si quid habes de principibus, huic indicato qui mihi referet. Audio *Tossanum* cum principe suo Francofortum profectum fuisse.[2]) Hoc mihi retulit *Aegidius*. Utinam ea quae ad concordiam faciunt probe et dextre curet. Peccatum a nobis fuit quod *Bezam* valde expetitum eo mittendum non curavimus. Ego Bernae non attigi, quum vellem tecum et cum *Vireto* conferre. *Viretus* domi non erat, ego apud te leviter tetigi sed nunc serio sapio. Nescio an *Westphalum* rursus sis conventurus.[3]) Hic te obtestatum vellem, ut hominem prorsus non attingeres: nam te indignum est cum tam insano contendere, et sane qui offensi videntur, eo sunt quod tu hominem tangas, ut in *Ochino*, quod male rem tractet. Cura quaeso tantum, si quid est quod possit quemquam movere ex iis quae ille adduxit, commonstrare quam nihil sit, et causam tantum age. Nam si cum persona agendum fuerit non erit finis. At tu donatus locuplete spiritu iudica, et amicum boni consule, si quid liberius tecum.

Principis mater istuc ventura:[4]) non est quod eam tibi commendem et ecclesiae, imo ipsi senatui. Scio enim pro gloria Dei et salute ipsius et multorum vos omnia acturos. Vale. Neocomi 15. Iunii.

Tuus Farellus.

Speramus nos Porrentruacum brevi ituros[5]) acturosque iure cum iis qui nos contumelia affece-

---

2647. 1) *Francofordiae.*
2) *Alter comes itineris fuit Matthias Coslius v. d. m. Richovillanus.* (*Salig.* III. 258.) *Erbius senex domi mansit.*
3) *Calendis Augustis libellum Ultimae admonitionis absolvit.*
4) *N.* 2645, *not.* 11.
5) *denuo sive mavis tertia vice, quum in ep. N.* 2616

runt, quum verbis, ut me ac *Careticensem*,[6]) tum verberibus, ut *Sorellum*: quod speramus in gloriam Christi cessurum precibus tuis ac ecclesiae commendamus.* Haec ita decreverunt fratres: cras cum senatu nostro agemus, ut cum literis Bernensibus nobis et ipsi adsint. Haec addidi iis quae ante coetum scribebam. Saluta collegas et omnes vicinos. Nostri te salutant. Vale iterum.

2648.

VERGERIUS DUCI CHRISTOPHORO.

Farellus et Beza principis clementiam praedicant. Gribaldi errores iam manifesti.

(Ex Arch. Stuttg. ed. Le Bret Magazin zum Gebr. der Staaten- und Kirchen-Geschichte II. 251. *Vergerii epp. ed. Kausler et Schott, p.* 139.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

Incidi[1]) in *Farellum* et *Bezam* qui magno certe animi ardore praedicant clementiam V. C. cum summa pietate coniunctam, id quod incomparabili mea cum voluptate audivi ob multas gravissimas causas. Ipsi quidem fecerunt, quantum in illis fuit ut quatuor evangelicae ecclesiae Helvetiorum mitterent aliquot ex suis ad conventum Francfordiensem: sed non credo esse missuros,[2]) ob certas causas quas coram narrabo. — — — — — — — — —

Illustrissime Princeps, urget me conscientia ut libere dicam me in hoc itinere multa novisse de D. *Gribaldo*,[3]) quae ignorabam, et quae me plane confirmarunt illum esse aliquibus pessimis opinionibus infectum, quemadmodum die 11 praeteriti mensis memini me C. V. Choeppingae in horto dixisse. Coram pluribus agam. Nunc tantum dixerim plurimos clamare et queri contra illum et verissimum esse, verissimum inquam, quod novas et pernicio-

de contumeliis nihil dictum sit, et alios comites hic et in primo itinere nominat.

6) Carintiensem *Sinler.* Sarreriensem (*s. d. p.*) *infra N.* 2653. *Si quid videmus vicum Serrières prope Neocomum innuit cf. N.* 2616, *not.* 7. *Nomen viri Lalliet.* (*Ruchat* VI. 218.)

2648. 1) *In itinere unde modo redit nunc. Fuerat in Rhaetia. Huius itineris stationes facile ex diversis m. Maii epistolis constitues.*

2) *in quo fallitur. Cal. Iun. profecti sunt.*

3) *Cf. Calvinum ad comitem Georgium scribentem N.* 2623. *Wirtembergenses ergo iam antea moniti erant. Verum, quod ad Vergerium attinet, hic ad Bullingerum N. d. d.* 11. *Aug. plane aliter.*

sissimas alat opiniones. Amicus Plato, amicus Socrates, magis amica veritas. Ideo non potui nunc parcere amico meo. — — — — Tubingae 17. Ian.[4]) 1557.

2649.

BULLINGERUS CALVINO.

Post nonnulla ad regem Galliae pertinentia et excusationem propter non susceptum iter Genevense, multus est in depingenda Lutheranorum indole, tam in genere quam speciatim Andreae et Alberi.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 81. Descripsit Turretinus Cod. 111a, fol. 224. Exstat quoque in Archivis Bern. Epp. Tom. VI. p. 723 et Turici ap. Simlerum Vol. 89.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino, Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo domino colendo et fratri carissimo.

S. D. Libenter audio literas meas, etiam prolixas et molestas, non esse tibi, domine colende et frater carissime, ingratas. Testimonium hoc est singularis tui in me amoris. Perge ita amare me: certe tu mihi vicissim carus es. Si quid praestiti in causa fratrum Waldensium, debui hoc. Est item divini muneris quidquid ex nobis proficiscitur boni. Quod reliquum est, pergamus sedulo orare, ut animum regis flectat, et cor eius molle reddat. Adduxit regem in discrimen maximum pontifex, ut iam non utatur successu et fortuna felici. Utinam non persuadeant illi effrontes illi nebulones ipsum nulla usurum fortuna meliore, nisi excisa haeresi novitia una cum haereticis consceleratissimis. Sed vivit Deus, qui illa omnia videt, et sancta sua providentia gubernat omnia. Nostrum est orare pro regis salute.

Oro te, ne indigne feras, quod consilium meum de mea ad vos profectione mutavi. Deus cordium scrutator novit, nihilominus ex animo et te et Genevensem ecclesiam atque rempublicam amare et me vobis optime velle. Sunt autem multae causae, cur nunc non potuerim venire.

Ego quale iam consilium iniri possit, quid fiat cum Saxonibus non video. Occurrit hic mihi illud Comici, quae res in se neque consilium neque modum

4) *Sic Le Bret in sua editione. Quod tamen vitiose scriptum esse luce diurna clarius est. Scribe Iunium. Cf. Baum* I. 286.

habet ullum, eam consilio regere non potes. Etenim quid agas? Non audiunt isti homines ullas rationes, obfirmarunt mentes suas, ac hoc veluti principium rerum suarum posuerunt, Schuermeros neque audiendos, neque ferendos. Eius sententiae sunt plerique omnes. Si qui supersunt moderatiores pauculi illi abripiuntur simul cum illis, vel enim ne mutire quidem audent, vel in apertum se discrimen coniicere nolunt. Videntur enim pro hostibus haberi publicis qui vel verbulum pro nobis dixerint. Si cum huiusmodi hominibus centies venias in colloquium, et non omnia illorum simpliciter approbaveris, damnaberis pro haeretico. Ab aequis et moderatis colloquiis non refugio aut abhorreo: interim scio, nihil nos effecturos ullis cum huiusmodi hominum colloquiis. Marpurgense colloquium, Isenacense, [1]) vel Wittenbergicum colloquium [2]) quid sperem dudum docuit. Docent quotidiana horum hominum scripta tam privata quam publica. Eo insania eorum erupit, ut videantur irreconciliabiles, neque ullum restet remedium quam manus Domini. Aliqua saltem est spes in moderatione principum, quamquam ne hos quidem reverebuntur isti. Idcoque si quid statuisti respondere ad scriptum Magdeburgense, [3]) perge, ne differas. [4]) Priores isti praevenerunt te. Nemo inique feret responsionem moderatam. Non indigne ferent principes, neque turbabit ea legitimum colloquium. Nisi vero aliquid a nobis respondeatur, gloriabuntur illi se causam habere iustam, nostra argumenta tam perspicue et evidenter esse confutata, ut nihil nobis quod opponamus supersit. Confirmabuntur ergo multi in errore et infirmiores etiam deflectent in errorem. Vellem tamen personis eorum praeteritis duntaxat causam respiceres, et primo confutares illorum argumenta, quae pro sua corporali adferunt praesentia, deinde nostra argumenta tuereris atque ostenderes responsiones istorum sophisticas esse, nostra argumenta perstare firma. Sed quid tibi hic ipse praescribo, qui ipse longe melius quid deceat et quid utile sit, vides? Proinde tuae pietati et prudentiae haec relinquo. Dominus instruat te spiritu suo sancto, ut quae instituis cedant ad gloriam Dei et ecclesiae aedificationem.

Respondi libello Iacobi *Andreae* [5]) brevibus, et curavi mihi describi duo exempla, alterum mitto illustrissimo principi *Lantgravio*, alterum comiti *Georgio* a Wirtemberg, a quo primum accepi. Apud illos profiteor, in nobis non futuram ullam moram, si detur locus moderato colloquio, neque nos abhorrere a conciliatione, si qua inveniri queat, nihil a scripturis discrepante. Si autem fratres nostri urserint ut simpliciter ipsorum sententiam amplectamur (id quod fecerunt hactenus) non posse nos deserta veritate perspicua recipere a veritate aliena.

Legati reipublicae nostrae nunc in comitiis Badensibus, Bernensium, Basiliensium et Schaffhusianorum legatis mox ab initio vocatis in memoriam reducent, quae princeps *Wirtembergicus* D. *Farello* et *Bezae* discedentibus dixerit. [6]) Sibi ergo videri non utile tantum, sed necessarium, ut literae scribantur mature, dum adhuc Francofordiae sunt principes, quibus reddantur certiores de bona voluntate ecclesiarum Helveticarum erga principes earumque ecclesias. Quid autem facturae sint urbes reliquae, non facile dixero. Oremus Dominum, ut illud animis ipsorum inserat, quod pertinere novit ad gloriam suam et ecclesiae aedificationem.

Iacobus *Andreae* unus est ex moderatioribus, et quantum ex tuis literis intelligo, tibi notus et familiaris. [7]) Sed utinam germanicum eius libellum [8]) possis intelligere, videres quanta confidentia Lutheranismum doceat. Illud, quod mireris, urget imprimis, impios etiam participare vero Christi corpore. Dicit merum esse figmentum humanum, si quis imaginetur coelum esse locum certum. Dicit manifestissime filium hominis et ubique esse et implere omnia. Si haec facit homo placidus et moderatus, quid exspectes aut speres de aliis? Neque hi omnes ullos coetus, ulla colloquia sibi dari petunt, sed simpliciter inculcant principibus et populo, hanc esse veritatem indubitatam, quam *Lutherus* docuit, hanc esse defendendam, contrariam exscindendam, neque colloquio neque libris nostris locum cedendum. Haec certa sunt.

Nemo unquam *Albero* [9]) te gravius accusavit. Tractavit non tantum causam coenae, sed et baptismi et infantium sine baptismo decedentium. Caeterum si diligenter (quod te facturum nihil dubito) responderis ad argumentum Magdeburgensium, confutatus erit in causa eucharistiae et Erasmus *Alberus*.

De visione *Paulli* [10]) idem tecum sentio, et iam

2649. 1) *Inter Menium et Strigelium Aug.* 1556. (*N.* 2620, *not.* 5.)

2) *An conventum a.* 1536 *innuit?*

3) Confessio fidei de eucharistiae sacramento in qua ministri ecclesiarum Saxoniae de libro Calvini respondent. Magd. 1557.

4) *Urget responsum quod prodiit sub titulo Ultimae admonitionis.*

5) *N.* 2630, *not.* 17. *Bullingeri responsio typis non exscripta est.*

6) *Quid hoc fuerit non liquet, nisi dixeris eum illos hortatum fuisse ut Helvetii literas ad principes Francofordiam scriberent.*

7) *Saepius de Iac. Andreae verba facta sunt in hoc thesauro, verum de commercio epistolico nihildum leginus. Vide tamen ad Cal. Aug.*

8) *Primitiae erant autoris literariae* (*Adami* 304) *quas Io. Mappus a.* 1559 *latinas fecit. Francf.* 8°.

9) *N.* 2630, *not.* 15.

10) *Haec ad deperditam Nostri epistolam alludere viden-*

scripseram ad *Lantgravium* eadem. Haec ad tuas literas paucis respondere volui. Tu me ama et symmystas omnes pariter, qui te salvere iubent. Vale optime. Tiguri 20. Iunii 1557. Salvi sint fratres et symmystae omnes.

Bullingerus tuus.

D. *Ionvillaeo* dic, me exclusum brevitate temporis et meis negotiis nunc scribere ad ipsum non potuisse; salvus sit. [11])

2650.

PERRUCELLUS CALVINO.

Agit de conventu principum Francofordiensi, maxime quantum ipsos Gallos quorundam ministrorum praesentia sollicitos fecerit de sua tranquillitate.

(Ex autographo Cod. Gen. 114, fol. 133.)

Clarissimo viro D. Iohanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo domino suo omni observantia colendo.

S. P. Accepi tuas literas,[1]) clarissime domine, quae nos ac simul is qui eas attulit ingenti laetitia affecerunt. Non enim dubitamus quin iis ad quos mittitur gratus atque exspectatus sit venturus. Nam quum per ea quae tu de eo scripsisti, tum etiam quantum nos in homine perspicimus, magnam spem concepimus fore ut et illis sit futurus utilis et fructum ingentem sit editurus. Mittimus cum eo qui has dabit quatuordecim coronatos cum dimidio quorum sex iam exposuisti et octo cum dimidio es pro equo expositurus.

Quod ad ecclesiae nostrae statum attinet publica in ea nunc pax viget [2]) atque tranquillitas, tametsi veteris contentionis semina ex quorundam animis prorsus evelli nondum queant: petimus igitur, ut Deum simul nobiscum precere quo id, quidquid est, mali tandem penitus evanescat. Convenerunt huc aliquot Germaniae principes qui etiamnum adsunt ea de causa ut controversia inter *Lantgravium* et Comitem *a Nassau* dirimatur. [3]) Venerunt autem cum ipsis ministri aliquot [4]) qui negotium nobis facessere ac in disputationem nos pertrahere conantur, cui rei nos hactenus assentiri noluimus istud praetendentes nos nihil agere posse nec velle aut debere, nisi tu et alii docti viri convenerint. Atque in hanc sententiam nos libellum supplicem magistratui huius urbis obtulimus: [5]) sed nihildum nobis responsum est, nec quid responsi habituri simus novimus. Interim tamen nos praeparare non desinimus, ne quo pacto fiat ut nos imparatos minusve instructos offendant. Speramus tamen id quod petiimus nos consequuturos. Quod ut fiat Dominum precamur ac ut tu idem nobiscum facias ex animo petimus. Bene et feliciter vale, clarissime vir. Deus te diu ecclesiae suae servet. Amen. Mecum ex animo te et symmystas tuos salutat dominus et frater meus Guillelmus *Holbraqus*. Francoforti 20. Iunii. [6])

Tuae praestantiae addictissimus
Franciscus Perrucellus.

2651.

LE SÉNAT DE GENÈVE AUX AMBASSADEURS.

Affaire du renouvellement du traité de combourgeoisie avec Berne [1]).

(Archives de Genève. Lettres de la Seigneurie 1557. — Minute corrigée de la main de Calvin. Nous imprimons en italique les passages autographes de celui-ci.)

Instructions et charge donne par nous sindicques et conseil de Geneve a noz bien aymez freres no[s]

---

tur. Quisnam ille Paullus fuerit tu videas. De apostolo omnino non cogitandum. An de Vergerio? quem tamen alibi hoc nomine nunquam appellatum legimus.

11) *Haec epistola quum a Calvino cum Farello communicata fuerit hic ad calcem nonnulla adiecit quae tibi infra sub N.* 2660 *exhibebimus.*

2650. 1) *deperditas.*

2) *Meliore ergo in statu res erant quam ipse praeviderat* (*N.* 2588).

3) *De his v. N.* 2643, *not.* 5 *et* 6.

4) *Marbachius, Andreae, Stolo et Dillerus Heidelbergenses, Isenmannus Stuttgardiensis, Flinsbachius et Schauburgus Bipontini, Matthaeus et Durnauerus Palatini, Kargius Onoldinus, Pistorius, Hyperius et duo alii Hassi, in summa* 31 *a suo quisque principe adducti.* (*Salig* III. 258.)

5) *Non exstat in Frkf. Rel. Handl. — Melanchthonis ep. pro peregrinis ad senatum data prid. Idus Iul. laudat Fresenius p.* 125.

6) *De anno ambigi non potes, post ea quae de conventu principum dicta sunt.*

2651. 1) *Comp. N.* 2605. 2606. 2635. 2645.

Loys Franc sindicque Amblard Corne nostre lieutenant en droict Pierre Migerand thesaurier et Michel Roset secretaire pour aller en la prochaine journee de Bade donne en nostre conseil ce mardy xxij de juing 1557.

Vous vous transporterez a Baden, et apres avoir faits nos recommandations et avoir remercie affectueusement vous leur declairerez comme suyvant leur despart nous avons essaye si la combourgeoisie se pourroit accorder avec les seigneurs de Berne Et sil leur plait de scavoir a quoy il a tenu que nous soyons departys sans rien faire que vous estes la pour leur en dire ce qui en est affin que deux mesmes jlz en puissent juger ayant entendu le fait. Toteffois vous leur ferez ung briefz recit que nous avons toujours desire que la combourgeoisie ancienne demorat en son entier Et quant les seigneurs de Berne y ont volu changer certains articles pour leur obtemperer nous sommes quasi condescenduz a ce quilz ont volu tellement quil ny avoit plus que deux articles en different, dont le principal estoit tochant les emprisonemens pour debtes lequel maintenant nous *avons este prestz et contens leur outroyer moiennant quil leur pleust nous gratifier a mectre a la combourgoisie que dune part et dautre nous feussions tenus mutuellement a nous secourir.* Tochant dautres articles quil nous ont mys en avant nous leur avons toujours respondus que nous estions prestz den attendre le droit comme aussi la raison le veult Et mesmes quant il ny auroit point de combourgoisie que nous ne saurions mieux faire que doffrir quil en soit cogneu moyennant que ce soit en journee de marche affin que nul ne soit seul juge en sa propre cause. La conclusion sera quil nous semble bien que nous ayons fait tout ce que nous estoit possible Et que nous ne scavons pourquoy lesdicts seigneurs de Berne ont reffuse les conditions equitables auxquelles nous nous sommes submys. *Si lesdicts seigneurs de Berne napprochent de leur costé, pour monstrer quilz sont contens dacquiescer a raison: lors vous adviserez quelle entree il y aura pour lalliance commune: et selon que vous verrez les choses preparees vous formerez vostre requeste pour nous y faire recevoir. Mais pource que la chose ne se pourroit despecher si tost et aussi quil vault mieux veoir ce qui sera expedient de faire, vous procederez tellement que tout ce que vous direz ne soit que pour preparer. Si toutefois vous voiez quil soit bon de traicter et practiquer a part avec quelques Cantons vous en ferez selon que loccasion sy adonnera. Et de cela nous vous donnons tout pouvoir et puissance: seulement pour disposer les choses sans rien conclurre, comme aussi il nest pas a esperer que les autres y soient si tost disposez. Que sil venoit a propos de parler du traicte par lequel les seigneurs de Berne nous veulent brider, vous direz* quen cela nous nentendons pas contrevenir au traite que nous avons passe auxdits seigneurs de Berne, parce que nous ne pensons pas et nest aussi vraisemblable quilz nous ayent volu forclurre destre confonduz avec leurs bons alliez, quant jl leur plairoit nous faire ce bien et honneur de nous recevoir. Qui plus est nous avons toujours estime que lalliance particuliere que nous avions avec eulx estoit pour nous unir au corps des ligues. Seulement ceste promesse a este faite au regard des princes estranges avec lesquelz si nous heubssions estez alliez jl estoit a creindre que cela nemportat preiudice tant auxdicts seigneurs de Berne qua tele la communaute des ligues. Mais en cas que lesdits seigneurs des ligues nous volussent recevoir nous navons jamais doubte que lesdits seigneurs de Berne ne nous y volussent plustost ayder que nuire, attendu que cela est pour leur seurte comme pour la nostre, mesme quilz en ont fait pleine et suffisante declaration quant jlz le nous ont promys.

La conclusion sera *en cas quil faille entrer en propos de lalliance commune* que sil plaisoit aux magnifiques seigneurs des ligues nous recevoir en telle alliance comme Rotwyl ou semblable, que de nostre coste nous sentans obligez a eulx plus que nous ne pourions pas leur revalloir pour le moins nous mettrons peyne de faire en sorte quilz cognoistroient par experience que la bonne amitie quilz nous auroient monstre torneroit au bien et a la faveur de leur pays.

Toteffois si cela ne pouvoit estre si tost expedie, comme nous pensons bien quil ne pourra, en attendant que la chose se puisse conclurre et parfaire, vous les prierez que leur bon plaisir soit, devant que partir de ceste journee, pourveoir et donner ordre que nous ayons quelque forme de justice moyenne et egalle avec les seigneurs de Berne. *Qui sera pour le bien et requis commun des deux villes. Ainsi que par interpost les marches demeurent comme elles ont este du temps de la combourgeoisie* et que puis cela jl nous est impossible de subsister.

Et pource que desia de leur grace jls en ont declaire leur voloir et quil ne reste sinon que la chose prenne son cours Et soit mys en execution Vous leur direz que cela est cause que vous nen faites pas plus longue poursuite, seulement que nous les prions de continuer en ce quils ont desia arreste une foys. Neanmoings sil advenoit que lesdictz seigneurs de Berne en fissent quelque difficulte pour retarder une chose si bonne et si raisonnable que vous les priez aussi en nostre nom douir et entendre les raisons urgentes qui nous contreignent a chercher ung tel remede de sans plus delayer, protestans que vous navez pas volu sans plus grande necessite les jmportuner en leur faisant plus long recit des griefz

et doleances desquelles nous ne pouvons estre solagez sinon par tel moyen, Et aussi que vous ne volez faire donner occasion aux seigneurs de Berne de se jrriter, pource que nous ne procurons sinon de maintenir paisiblement nostre droit.

La conclusion sera quoy quil en soit que les seigneurs des ligues silz desirent de nous ayder a maintenir noz franchises et libertes ne nous laissent point sans telle provision, protestant que nous avons nostre recours envers eux pource que nous sommes assez persuadez quilz desirent de subvenir a tous leurs voisins affin que raison et equite soit gardee par tout et aussi que par especial nous avons aperceu la bonne amitie quilz nous portent. *Quant a toutes les raisons qui les pourront induire nous les remectons a vostre discretion vous en laissant la charge avec plain pouvoir de ne rien laisser ne mectre en oubly.*

Si apres avoir delibere jlz vous rapellent et vous parlent de la combourgoisie de Berne pour estre moyenneurs quelle se face vous leur declairerez que si leur bon conseil et advys est tel que nous sommes prestz a suyvre comme nous avons commence et dautant que nous avons accepte totes conditions a nous possibles mesme que a ce dernier voyage nous *avons consenty avec la condition susdicte* larticle lequel seul avoit empeche cy devant que la combourgoisie fut conclue quil leur plaise maintenant jnduire leurs allies de Berne a se contenter de telle raison. *Que si vous ne les trouvez favorables envers nous* quant au point du secours mutuel *vous leur pourrez finalement dire que nous ne lavons pas* mys comme pour les contraindre a changer le traicte ancien, mais pource que nous pensons cela estre si equitable que rien plus nous le leur avons bien volu remonstrer par forme de priere. Toteffois que nous laissons cela a la discretion et jugement de messieurs des ligues.

Silz vous parlent des tailles vous respondrez que nous ne pretendons point d'aquerir privilege nouveau ou de plus usurper quil ne nous apartient mais seulement que nous pretendons quil en soit cogneu par voye de droit Ce que se doibt faire soit quil y ait combourgoisie ou non. Ainsin quant a cela quil ny a nul propos si nous avons justes tiltres danciennete que nous en soyons despoulliez et privez pour achepter la combourgoisie de Berne Car aussi en ce faisant ce ne seroit point nous allier pour garder noz libertez et franchises mais pour les rompre et annuller, ainsin que nous ne leur faisons nul tort en requerant quilz nous laissent quant a ce point en nostre condition sans nous oster ny donner rien.

Quant au superarbitre vous leur ferez les remonstrances quant destre este faictes par cy devant advisans bien quilz ne soient point offencez sus le point de la religion mais leur radoucir ce qui pourroit les fascher *insistans tousiours sur cela que rien ne soit change de ce qui est le plus equitable au regard de toutes les deux parties.* Toteffois finalement vous laisserez la chose en leur discretion apres les avoir priez davoir esgard a ce que nous ne soyons point par trop molestes attendu mesme comme deja pour complaire aux seigneurs de Berne nous avons accorde que le lieu des marches fut change a nostre grande jncommodite et a leur aisance.

Silz vous parlent de lalliance comme senquerans quelle nous entendons lobtenir vous leur direz deux choses, que nous les suplions destre en tel degre que ceux de Rotwyl pour estre maintenuz et gardez deulx en lestat auquel nous sommes aujourdhuy par la grace de Dieu en rendant de nostre coste le debvoir tel quil sera requys, Et pource que cela depend de leur bonne grace et liberalite que vous estes la pour en ouir leur responce amiable.

Si on vous rapelle pour scavoir quelles sont les raisons urgentes qui nous contreignent a demander que pour totes ces querelles et differens que peult avoir une ville a laultre jl y ait journee de marche establie vous protesterez en premier lieu que vous nestes point la pour accuser les seigneurs de Berne mais que vous priez destre excuses si pour obtenir une juste demande vous proposez les griefz que nous avons souffers jusques icy et lesquelz nous sont jnsuportables sinon quil si trouve bientost remede.

Secondement vous protesterez de ne point faire une deduite de tout ce qui se pourroit alleguer Mais seulement faire ung brefz recit par lequel messieurs des ligues entendent combien nous avons grand besoing destre secouruz pour tel besoing de justice si nous ne voulions estre du tout opprimez.

La dessus vous exposerez les jnnovations quilz nous ont faites depuys la combourgoisie finie comme de la traite des graines de la fuste et choses semblables, Et combien quilz se soient moderez avec le temps toteffois que cela na pas este sans nostre grand dommage, Et comme occasion a noz bourgeois de se facher ou estonner, comme on scait que telles deffences esmeuvent toujours grand trobles en ung populaire. Mesme quant par amitie nous leur avons allegue quelques tiltres jlz les ont mesprisez disant puys quilz ont conquiste le pays a lespee nestre tenuz a observer ce que les ducz de Savoye nous ont promys encore que ce fut avec obligation de tous les biens tant de luy que de ses successeurs. En quoy on peut juger sil ny avoit justice moyenne quelle raison nous pourrions obtenir. Mais sans aller plus loing vous leur direz quil suffit bien de prendre ung exemple. En tant de supportz quilz ont fait a noz condamnez sans avoir esgard que du temps que jceux senfuirent pour eviter la puni-

tion meritee nostre combourgoisie duroit encores en vertu de laquelle lesditz seigneurs de Berne estoient tenuz de garder le bien et honneur commun de nostre ville. Or est il ainsin que non seulement jlz ont souffert que nous fussions blasmez et vilipendez en totes assemblees publiques de leur pays Mais quant nous les avons priez et requyz dempescher que telz exces ne se fissent jlz nous ont respondu que lesdits condamnez estoient aussi bien leurs combourgois que nous comme si des membres retrenchez dune communaulte debvoit estre equiparez aux chefz et a tout le corps et plusieurs foyz pour gratifier auxdicts condamnes nous ont escriptes lettres pleines dinjures nous accusant dinhumanite etc. etc. Item quant nous avons fait proclamer a son de trompe ceux que desia de longtemps estoient comptables et redevables a nostre communaulte comme ayans heu maniement des deniers publiques a ce que jlz envoyassent procureurs pour compter et satisfaire Lesditz seigneurs de Berne nous demenacent de donner conge et licence a ceux qui se lamenteroient a eulx de pouvoir envahir noz bien riere leur juridiction Enquoy on voit que par force et crainte jlz nous voudroient empecher dexercer le cours de justice en nostre ville. Sur cela vous remonstrerez aux seigneurs des ligues en quel hazard nostre ville seroit exposee si telle permission estoit donnee de nous despouiller comme par une espece de represailles.

Item vous leur exposerez comme en la fin apres navoir rien gagne a soliciter lesdits seigneurs de Berne de reprimer plusieurs violences agressions et malefices desditz condamnes et avoir longuement attendu en patience sil y auroit fin ou yssue pource que lesditz seigneurs de Berne nous mandoient quilz avoient donne charge a leurs officiers de nous en faire bonne justice si nous la demandions Nous avons bien aussi volu essayer ce moyen Or est jl ainsin que noz gens qui ont estez envoyez aux plaidz ont endure beaucoub de moqueries et opprobres Et tant sen faut quon ayt heu esgard a la cause dune ville que nous avons este prolongez de jour en jour mesmes encores aujourdhuy nostre procureur general demicant daultant quil ne sest voulu desister de la proteste par luy faicte en nostre plaintif faict au sieur ballif de Prenier contre Philibert *Berthellier* ung de noz condampnez de ne deroguer aux sentences capitalles contre jcelluy *Berthellier* et ses consors donnees ledit sieur ballif sest deporte de juger sus ledict proces pour le present suyvant son conseil et advis jusques a ce que aultrement luy soit commande par ses seigneurs et superieurs. Cependant quant lesdits condamnez ont moleste par proces noz citoiens et bourgois les termes ont estez hastez plus que de coustume et nosditz bourgois forclos de leurs prouves soubz ombre que tous tiltres jnstrumens procedans de nous ou tesmoignages aussi de nostre ville ne doibvent point estre admys ne receuz Derogant a toute foy et authorite tant a noz sentences que a totes jnformations et choses semblables qui seront toujours admises entre voisins, mesme pource que lung de noz bourgois estant provoque par ung desditz condamnez luy dit seulement ce mot que sil estoit homme de bien jl obeiroit a sa mere, assavoir a la ville de sa naissance, nostre dit bourgois a este condamne a luy faire reparation sans avoir esgard a nostre honneur lequel estoit oultrageusement vilipende au proces dautant quil a este promys a nostre dit condamne dy jnserer tous les blasmes opprobres jniures et vilennies quil a volu degorger contre nous, et quelque protestation que fit nostre dit bourgois de monstrer par plusieurs actes et verifier ce quil avoit dit de sa partie on ny a heu nul esgard mais en a este deboute pource que tout ce qui tenoit de Geneve ne debvoit estre admys. *Et na pas tenu den faire noz plaintes et remonstrances, surquoy nous navons peu obtenir sinon que lesdits seigneurs de Berne se tenoient a ce qui en a este faict.*

En somme vous ne laisserez rien de tous les griefs, tordz, molestes, fascheries, oppressions quil nous ont faict et taschent encor de nous faire: et mesme de ce quilz nous veulent contraindre de volonte absolue a nous obliger oultre la coustume ancienne pour toutes les terres que nous aquesterons en leurs pais nous voulans fourclorre de tout droict.

La conclusion sera quen attendant mieux que pour le moins nous soions proveuz a ceste heure de iournees de marches a la forme et maniere establie en la susdicte combourgeoisie ancienne, pour vuider les differens qui sont desia et pourroient encor cy apres survenir: lesquelz ne peuvent estre vuidez par aultre moien.

2652.

UTENHOVIUS MINISTRIS TURICENSIBUS.

Narrat quid in Polonia egerit Lascus statim ab adventu suo.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Edidit Societas Parkeriana in Epp. Tigurinis Cantabr. 1548 N. 276 pag. 388 latine. Anglice Tom. II. pag. 596.)

Clarissimis viris D. Henrico Bullingero et D. Petro Martyri reliquisque Tigurinae ecclesiae pasto-

ribus ac professoribus, praeceptoribus ac fratribus suis colendissimis.

Tiguri.

S. P. Ut rerum hic nostrarum cognitionem aliquam habeatis, viri clarissimi, sciatis nos 23 superioris Februarii die Cracovia Vilnam, quae est metropolis magnae Lituaniae, ad regem profectos esse, quo 17. Martii incolumes Dei gratia pervenimus.[1]) Biduo vero post accessimus regem, qui illustrem virum D. Ioannem *a Lasco* amantissime, non sine multorum admiratione, data etiam utrique nostrum dextra, excepit, eumque dicentem ipsique regni ipsius felicitatem ac istam evangelicae doctrinae lucem sub eius gubernatione gratulantem, et reditus sui in patriam occasionem, vocationemque suam indissimulanter exponentem attente et plane benevole audivit, et suo ipsius mox ore respondit ipsius reditum sibi esse gratissimum. Vice-cancellarius vero, homo ecclesiasticus, coadiutor archiepiscopi Gnesnensis, ut suae in papam fidei et observantiae satisfaceret, 22 post die regio nomine rege praesente inter alia respondit: regem nullam aliam lucem evangelii agnoscere quam agnovissent maiores eius, eamque doctrinam esse rectam, ipsiusque maiestatem exemplo maiorum in ea perstare velle: ad haec solius regis esse vocare quospiam ad reformandas hic ecclesias, ac proinde non vocandum fuisse ipsum a nobilitate polonica. Rex vero iam antea indicaverat D. *a Lasco*, vice-cancellarium parare responsum ad illam eius salutationem, admonens eum ut quam brevissime responderet, ne ille novam replicandi telam ipsius maiestatis nomine ordiretur: ex mutuis enim disceptationibus nihil utilitatis progressui religionis accessurum esse. Si quid D. *a Lasco* ipsi vellet, hoc clam semotis arbitris ageret: se enim ipsi privatum secum colloquium concessurum esse, in quo libere de quibusvis agere queat. — — — — — — — — — — — — — —

Biduo post admisit rex D. *a Lasco* ad privatum colloquium. In quo hic admonuit regem peccati sui, eius nimirum abnegationis Christi quam biduo ante fecerat, et aliarum quarundam gravium rerum, tradens ei scriptum quoddam quod Vilnae recens conscripserat: de officio regis in tollenda idolomania et promovenda vera religione. Rex aequanimiter tulit eius admonitionem: se tamen non potuisse nunc aliud praestare, in tanta praesertim adversariorum importunitate: caeterum absoluto bello Livonico[2]) se seriae reformationi ecclesiarum incubiturum esse, quemadmodum postremis regni comitiis se facturum promisit. Et agnovit D. *a Lasco*, non tantum pro subdito verum etiam pro servitore suo, nempe secretario, eoque loco quo fuerat olim apud divum *Sigismundum* regiae maiestatis parentem, et promisit se ipsum defensurum esse adversum omnes ipsius calumniosos adversarios, permisitque ei ut et domi suae nobilium virorum ministrorumque conventus habeat et ipse quoque in aliis aedibus conveniat cum fratribus quoties videbitur. — — — —

Palatinus quoque Vilnensis,[3]) princeps clementissimus variisque naturae spiritusque dotibus ornatus, qui luculentissimam anno superiore fidei suae publico scripto edidit confessionem, nos domi suae per mensem integrum tractavit multo humanissime, dominoque *a Lasco* honestam pensionem annuam assignavit, ac filiae ipsius maiori natu, ipsi nondum visae, quam sibi in familiam dari postulavit, mille florenos polonicos in dotem promisit, eique maritum ex sua ipsius cognatione spopondit, multisque praeterea muneribus ipsum, ac etiam me quibusdam honoravit. Qui princeps quum sit vestri istic multo studiosissimus, consulto mihi videmini facturi si ei librum aliquem inscribatis ad excitandum eius animum in causa religionis. Scitis enim ipsi eiusmodi principes, praesertim viros qui ita varie intricantur, stimulis et calcaribus quibusdam egere, ut alacrius currant in instituto itinere. Ille autem latine novit, tantaeque est autoritatis prae caeteris in Lituania ut quidam aiant eum vidisse omnia in Lituania qui ipsum viderit. Neque est quisquam apud regem ipsum qui maiore autoritate sit praeditus. Quare multum fuerit tantum virum ecclesiae Christi Domini magis magisque confirmasse. — — — — —

Reliqua ex D. *Lismannino*, patre ac fratre nostro honorando, facile cognoscetis: cuius fata sic ferunt ut aliquamdiu adhuc peregrinari ab hoc regno, quod ei veluti patria iam fuit, cogatur:[4]) nulla sane culpa sua, quum et de rege ipso et regno hoc quam optime sit meritus, sed Satanae et adversariorum Christi nimia rabie, quam rex omni ex parte (quae ipsius est infirmitas) sustinere nequit. Ipse interim summam erga D. *Lismanninum*, quem interea ad vestram ecclesiam prae omnibus totius Germaniae ecclesiis cupit divertere, semper declaravit ac etiamnum declarat benevolentiam. Et quandoquidem diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, persuasus sum, hoc ipsum exsilium, nobis hic alioqui permolestum, ei et aedificationi et consolationi futurum esse. Suavis ille convictus inter primarios fratres sanctissimosque eruditissimorum virorum

---

2652. 1) *Krasinsky ed. germ. p.* 107 *hoc iter omnino non susceptum esse affirmat, scil. fontium parum curiosus. Etiam Lubien. p.* 93 *et Salig* II. 610. 614 *ex hac epistola supplendi.*

2) *N.* 2599.

3) *Nicolaus Radzivil.*

4) *Iam supra dictum est eum per aliquod tempus apud aliquem nobilem delituisse usque dum Regis ab episcopis contra eum excitatus animus procerum evangelio faventium precibus placatus fuerit.*

coetus ac congressus non poterunt ipsum non summoperę oblectari et consolari, instructioremque ac utiliorem magis magisque reddere ecclesiae Dei et Domini nostri Iesu Christi. Quae res omnibus alioqui adminiculis destituta deberet nos fratresque hic nostros abunde consolari in isthac fratris nostri visitatione. — — — — — Wladislaviae 23. Iunii anno 1557.

Vestrae omnium pietati multo addictissimus
Io. Utenhovius.

2653.

FARELLUS CALVINO.

Fata sua Porrentruensia narrat.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 131, coll. c. Cod. Turret. 108, fol. 89, Epp. Bern. VI. p. 729 et Simleri Vol. 89.)

Christi servo Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori insigniori.

Genevae.

S. Fuimus Porrentruaci [1]) cum *Sorello* et Plebano Sarreriensi. In via aliqui sacrificuli et in urbe ipsa tentarunt nobis facessere negotium, ne frustra latrones vocentur: sed impedivit Dominus. Petebamus ius nobis dici contra eos qui nos spargere zizania dixerunt. Episcopus respondit se ita iussisse eum qui haec protulit, dicens si cum ipso agere velimus, quum princeps sit Imperii, coram suo iudice conveniatur. *Sorellus* si cum Plebano agere velit, Bisuntinus episcopus est iudex et ideo adeundus: ad forum Basiliensis non spectat. Is qui verberibus affecit vocari debet ad 16. Iulii. Sed apparet non vocandum, et si vocetur non compariturum. Legit enim milites, ut aiunt, Imperii nomine. Egimus in senatu multis propter ea quae contigerant, sed potissimum ob ea quae Bisuntini egerunt. Dicebant enim se venisse ut disputarent nobiscum contra falsam impiam et putidam doctrinam nostram, rogaruntque ut, si qui venirent eiusmodi concionatores haeretici, statim ipsis indicaretur: nam mox advolarent, etiam nocte ipsa iter arrepturi et facturi. Nos obtestabamur modis omnibus senatum ut Bisuntinis indicaret, et eos invitaret ad ea praestanda quae ultro obtulerant. Corpora vitam et omnia obtulimus eaque obnoxia voluimus eorum potestati a Deo ordinatae, nec detrectamus eorum iudicium, quemadmodum ipsorum Plebanus, mortem non refugimus et quaevis tormenta, si adversarii conviceriint nos male docuisse: et ne conditio, cui nos adstringimus, remoretur adversarios qui tantum timent cuti tam bene curatae, volumus eos extra omne periculum esse, si victi fuerint. Hoc solum petimus ut ad meliora sectanda cogentur.* Senatus multum egit amice, nos benigne auditos * demum hoc responso per quatuor quos misit quid sentiret aperuit. Egit gratias quod tam propensi essemus et omnia offerremus in gratiam ipsorum. Quod attinet ad disputationem, se non esse supremos, sed sub principe. Si nos possumus * efficere apud principem ut habeatur disputatio, tunc nobis prospectum bene fore ne qua vis inferatur: alioqui se non posse nos tueri. Senatum non indicaturum Bisuntinis ut veniant, quia iam partes viderentur esse et non iudices: id per principem aut Plebanum fieri debere, credantque Plebanum iam illis indicasse. Commonefaciebamus eos qui responsum dabant quid agere deberent, et de tribubus [2]) cogendis, edocti eas non repugnaturas. Sed hoc frustra. Nos agemus cum nostris hic et cum aliis in vicinia, ut si omnes possint Bernates permovere ut plenius scribant pro disputatione, et urgeant tum episcopum tum senatum et ipsos Bisuntinos. Nescio an expediret senatum istum convenire, et Lausannensem. Si disputatio obtineri possit non dubito quin tu et *Viretus* parati sitis adesse et agere quae milites Christi decet. Laborandum erit in obtinenda, nec dubito quin Bernates id possint, aut tam reddere adversarios contemptos ac si aperta essent victi disputatione. Precemur Dominum ut hic faveat gloriamque suam illustriorem reddat.

Quadratus [3]) designatus fuit legatus pro comite *Georgio* ad Regem. [4]) Sed quum alii non venerint adhuc domi est exspectans. Suspicor legatos principum exspectare quid egerint civitatum legati, ut inde capiant consilium quid agere debeant. Christus adsit fratribus et omnia impiorum consilia et conatus frangat, nobisque semper benigne et potenter adsit. Gestio Principem [5]) tandem istuc viam arripuisse. Faxit Christus ut probe docta et plene confirmata in verbo redeat et in finem usque per-

---

2653. 1) *Cf. N.* 2647 *not.* 5. *Episcopus Bisuntinus et Parlamentum Dolae de Farelli conatibus ap. senatum Bernensem questi sunt. Quae res usque in a.* 1558 *protracta fuit.* (*Ruchat* VI. 218 *Kirchh.* 145.)

2) *Zünfte.*

3) *N.* 2637.

4) *in causa Waldensium. Quae legatio principum demum m. Iulio Lutetiam profecta est quum Helvetii iam inde redirent.*

5) *la marquise de Rothelin* (*Ruchat* VI. 222. *Cf. N.* 2645. 2647).

severet. Vale et hoc boni consule. Neocomi 24. Iunii 1557.

Tuus Farellus.

2654.

CALVINUS QUADRATO.

De Tossano queritur cuius mollitiem olim iam suspectam habuit, malitiam nunc tandem proditam perstringit.

(Exemplar authenticum non vero autographon exstat in Cod. Genev. 107a, fol. 163. Turretinus descripsit Cod. 108, fol. 91 ex quo derivatum est exemplar Bernense Epp. VI. p. 728 et denique Simleri Vol. 89.)

Eximiae pietatis et doctrinae viro D. Antonio Quadrato illustrissimi principis Georgii Wirtenbergensis consiliario amico et fratri vere colendo.

S. Me vero, ex quo suavissimas tuas literas [1]) accepi, meae tarditatis poenituit, quod non illas citius elicere tentaveram. Verum sat cito quando sat bene. Nam quia ex literis tuis intelligo, non poenitendos in pietate et literis, ex quo te non vidi, [2]) progressus fecisse, et amoris quo me olim complexus es memoriam fideliter adhuc colere, facile exigui temporis iacturam memoria haec obliterat. Porro doloris mei causas quum tibi videam non esse incognitas, breviter attingam quod dissimulare ingenuum non esset. In illo [3]) tantum et perfidiae et virulentiae esse nunquam putassem. Mollities hominis semper bonis odiosa fuit, ac plerisque ad ignaviam accedere visa est. Interior malitia quam prodidit mihi suspecta non erat: cuius hoc specimen arbitror non obscurum esse quod fratribus eius rogatu a me pridem missis capitaliter infensus ne verbo quidem me monuit, ut si quid esset vitii remedium afferrem. Biennio toto non destitit novas subinde molestias inferre, donec tandem eiiceret. Ad me nullum verbum, cuius sciebat esse partes intestinas illas discordias vel componere vel sedare. Tandem erupit crudelis amarulentia. Nam ex quo permisit *Girardo* suo in nos blaterare, ipse etiam foedas calumnias in nos evomuit, pro quibus forte quam meritus est mercedem coram mundo referet: certe coram Deo non impune cedet tanta improbitas. Eodem fere tempore quo venit illustrissimi Principis nuncius, allata fuerat *Girardi* vel *Tossani* contra me invectiva, quae mihi stomachum moverat. Etsi autem refutatione indigna erat talis insulsitas, putavi tamen monendos aliquo exemplo esse, ne in sua intemperie pergant. Ille, [4]) ut audio, Principem illustrissimum nunc sequutus est ad conventum Wormaciensem. Nisi ipse mature proterviam suam corrigat, et compescat sodalem suum *Girardum*, ubi apud Principem fuero professus, mihi non esse liberum diutius tacere, faciam ne sibi in sua vesania semper placeant. Vale, eximie vir et mihi ex animo colende. Ex villa cuiusdam amici 24. Iunii 1557. Dominus te spiritu suo regat semper, praesidio tueatur omnique benedictionis genere locupletet.

Ioannes Calvinus tuus.

2655.

QUADRATUS CALVINO.

Calvini orthodoxiam in articulo de praedestinatione ab adversarii cuiusdam vindicasse criminationibus gloriatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 112.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo et suo in Christo patri et domino reverendissimo.

Genevae.

S. P. Tametsi multis de rebus tum coram tum per literas tecum conferre percupiam, vir clarissime, animi solandi gratia, ignosces tamen quod in tanta temporis angustia pleraque omittam, quae partim ex hoc nuncio audies, viro pio et candido, partim quum dabitur occasio plenius intelliges. Quantum video parturiunt montes: quid nascatur eventus ostendet. Sed certo scimus fore ut Christus, qui est veritas, vincat atque triumphet. Perspicio sane (et cum magno quidem animi cruciatu) schis-

---

2654. 1) *Cf. N.* 2637.
2) *a.* 1540.
3) *primum scripserat:* Tossano, *quo deleto pronomen superscripsit. Est trita et vetus querela de 4 ministris dimissis. Caeterum proferuntur hic nonnulla quae quo spectent non bene perspicimus.*
4) *ut supra.*

mata exoriri in hoc monte Belial [1]) eiusque * contagionem spargi in vicinam Burgundiam. De obstinatis in suis erroribus atque sceleratis hominibus nunc taceo: utinam autem ignaris atque miseris mederi possemus, quorum nos misereri oportet. Dominus quid illis fiet providebit. Inter hos autem haud penitus deploratus est quidam Burgundio litt. doctor acutissimus atque eloquentissimus, nomine Claudius *Belinus*, Caesaris advocatus primarius Vesouvii commorans. Huic tota Burgundia in sua professione primas tribuit. Is, quantum ex ipso potui cognoscere, non prorsus omnem suae salutis curam abiecit, mihique inter disputandum caetera omnia facile concessit, praeter missam, sanctorum invocationem et purgatorium. Praeterea quum inter varios sermones tui facerem mentionem honorificam: Tolle, inquit, mihi eiusmodi hominem. Solebam enim, aiebat, antehac *Calvino* multum tribuere, sed ex quo audivi ipsum asserere Deum esse peccati autorem, non possum tantam blasphemiam ferre. Ego autem contra quum acriter instarem, ipsum (qui tanto iudicio, scientia atque autoritate polleret) minime decere falso rumori credere hominum improborum aut invidia laborantium, quin potius *Calvinum* sibi esse audiendum, aut scripta eius saltem esse perlegenda, antequam de eius dogmatibus iudicium ferret. * Praeterea me, qui *Calvini* scripta plurima perlegerim, sancte sibi * adseverare nihil in iis huiusmodi quidquam reperiri posse, nihilque ipsum in hoc negotio docere quod non prius a prophetis, Christo et apostolis, perspicue autem a divo Paulo et Augustino ecclesiae traditum fuerit. Non esse novam hanc controversiam, sed dudum in ecclesia, maxime autem temporibus divi Pauli atque beati Augustini agitatam et spiritu Dei decisam esse. Potius esse credendum Paulo, Augustino et sanctae Christi ecclesiae, imo vero ipsi Christo, quam erroneis atque fanaticis quibusdam hominibus. Ad haec ille obmutescebat. Quid enim obiiceret non reperiebat, praeter rumorem. Quid autem factu opus sit hac in re melius ipse dispicies: mei enim non est quidquam statuere. Sed quidquid iusseris ego alacriter efficiam, sive literas ad ipsum dederis, sive de ipso ad me scripseris, seu aliud quidpiam decreveris. Faxit Deus Opt. Max. ut omnia cedant in suam ipsius gloriam electorumque suorum salutem, teque nobis diu servet incolumem. Vale, mi pater ac domine in Christo reverendissime. Mombelgardiae 28. Iunii 1557.

Tuus discipulus et in Christo filius
Antonius Quadratus.

2555. 1) *ludit in nomine Montbeliard. Quid sibi velit quum de schismatibus loquatur, non bene assequimur. Comes certe Georgius concordiam discupiebat et pro virili commendabat. Exstant plures eius de ea re epistolae ad Erbium, Sulzerum et Bullingerum. Francofordiam ierat cum Tossano pacem quaerens, sed spe excidit* (*Goguel p.* 55 *seq.*).

2656.

VIRETUS CALVINO.

Ministri ad Waldenses missi aut mittendi. Alia negotia cessant.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 70.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae plurimum observando.

Genevae.

S. Mittimus *Guerinum.* [1]) Alius est qui Stephanus *Faronius* nominatur, [2]) vir bonus et non infeliciter doctus, quem spero valde illis ecclesiis utilem futurum, si plures petantur ministri. Illum convenire statui ut de eius voluntate certior fiam. Nos eadem laboramus eorum quibus tuto fidere possumus qua vos penuria. Gaudeo et Bituriges [3]) aliorum provocari exemplo. Dominus operarios ad suam messem aptos emittat.

Quaestor silentio sapiens, de quo scripsisti, hac non fecit iter. De statu vestrae urbis nihil audimus, nisi quod omnia bene habetis domi composita, quatenus foris patent. Libros insulsorum illorum hominum de quibus scribis, qui te suis scriptis impetierunt, nullos vidi. Hoc scriptorum genus sic se propriis configit pennis ut, si a nobis mercede conducti scriberent, causam nostram non possent feliciore agere successu.

De foedere [4]) ne verbum quidem audimus amplius. Proximo die dominico episcopum invisi qui se Orbam recepit. Quamobrem ad vos non pro-

---

2656. 1) *ad Waldenses.*
2) *vir alias ignotus.*
3) *M. Sept.* 1556 *ad eos missus fuerat Martinus de Argues.* (*Reg. de la Comp.*) *quem Hist eccl.* I. 104. *Martinum de Hargons dictum de Rossehut vocat, natione Vasconem. Ibid.* 113: A Bourges les assemblées continuerent non seulement en la ville, mais aussi en un village nommé Anieres, et demeura l'Eglise en repos iusques en l'an 1559 non obstant tous les aguets des adversaires.
4) *Bernates inter et Genevenses.*

fectus sit causam tenes. Urgeo *Bertellerii* sponsorem: [5]) ille quantum potest tergiversatur. Uxor Stephani *Noelis* prima navigii opportunitate se istuc sistere statuit, ut inde commodius ad maritum iter arripiat. Tu hortaberis et admonebis officii, ac simul curabis ut dirigatur. Mater illam comitatura est, quam tamen *Stephanus* non cupit ad se proficisci. Collega, *Beza* et caeteri fratres te salutant, et uxor mea et filiolae. Domi salutabis fratrem et familiam. Vale diu et incolumis. Lausannae. [6])

Tuus Petrus Viretus.

2657.

VIRETUS CALVINO.

Falsum fuisse rumorem de itinere Genevensi significat. Item suspicatur de mandatis quibusdam hostilibus Bernensium.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 52.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae observando.

Genevae.

S. Miror unde somniator ille prodierit qui me istuc ante quatuor dies affuturum nunciavit, de rebus magnis tecum acturum. Ne ulla torquearis inquietudine nuncio tibi hoc omne fictum esse. Quorsum autem nescio. Nam de suscipienda ad vos profectione ne cogitavi quidem: nec aliud quidquam habeo de quo nunc tecum agam quam de communibus ecclesiae negotiis, de quibus quotidie literis inter nos transigimus. Quaeso te, inquire diligentius, quis huius fuerit autor rumoris.

Quid dederimus consilii fratri qui tuas mihi reddidit, ex eo, quum ad vos redierit, intelliges. Multa vulgo apud nos feruntur de mandatis Bernensibus, quibus prohibeantur ex eorum agro evehi frumenta, ligna et carbones: quae falsa esse suspicor. Tu si quid habes certius nobis significa. De rebus vestris et de foedere nihil penitus audimus. Salutat te *Musculus*, qui summopere cupit cognoscere si quid est hac de re nuncii laetioris. Salutant te nostri omnes amantissime, nominatim *Beza* et uxor mea et tota familia. Vale. Lausannae Calend. Iul. [1])

Tuus Petrus Viretus.

2658.

VIRETUS CALVINO.

Eadem fere repetit.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 60.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino. Genevae.

S. Iam heri ad te scripsi de nugigerulo illo qui tibi nunciavit, me brevi apud vos affuturum ut tecum de rebus magnis agerem. Quoniam vero nescio an tibi redditae sint literae, eadem de re rursum ad te scribo, ne quid angaris isto mendaci nuncio. Utinam aliquid esset grave et serium de quo utiliter conferre possemus, ea conditione ut homines inveniri possent qui recte consulta exsequerentur. Sed non deseret suum opus Dominus, quamvis consilia servorum suorum a plerisque omnibus * despiciantur. Si quid habes rerum novarum quod nostra nos scire referat, facito certiores. Vale. Lausannae 2. Iulii.

Tuus Petrus Viretus.

2659.

FARELLUS CALVINO.

Multis et prudentissimis verbis, sed pro more contortis, eum hortatur ut leniter procedat in responsione Saxonibus danda, ne spes colloquii omnino adimatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 132, coll. cum exemplari Turretini Cod. 108, fol. 90, Epp. Bernens. VI. p. 732, et Simleri Vol. 90.)

5) *quocum ei lis erat.*
6) *m. Iunio* 1557 *scriptam fuisse docet mentio Guerini.*

2657. 1) *Annum ex mentione mandatorum Bernensium et foederis nondum icti elicimus.*

Clarissimo Christi servo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis theologo insigniori fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. *Bullingeri* literas [1]) ad te legi. Moleste fero quod tam deplorata omnia reputet cum Saxonicis et non potius speret omnia, ut est caritatis officium. Queritur valde de illorum pertinacia. Sed quid, non videt quantum *Ochinus* [2]) indigne et serviliter cum *Luthero* agens ita scripserit, ut merito omnes qui cum eo faciunt damnandi sint, nos autem cum eo facere plurimi iudicant, cuius gratia tantum non ad insaniam adiguntur. Quidquid Iacobus *Andreas* scripserit multo magis mihi placet, [3]) quam qui prorsus respuunt colloquium. Ubi aliud non esset in viro praeter votum concordiae et quod ea quae ad eam faciunt non respuit, plus probari debet quam qui prorsus reiiciunt. De principibus non potest ut de Wesphalis loqui. Sed si principes aequiores causae fuerint, facile compescentur furores tumultuantium. Quod te hortatur ut respondeas ad adversariorum argumenta, et nostra potius confirmes, praeteritis prorsus personis, de causa tantum sollicitus: id admodum mihi placet, [4]) teque propter Christum obtestor, ut ita studeas omnia agere. Nam sane te indignum arbitror, qui tractes foeditatem illorum, parumque conducere ecclesiis ipsa docet experientia. Quam fuerint multi offensi in peregrinatione [5]) intellexi. At Christus scribas et Pharisaeos durius tractat, nec parcunt apostoli improbis: ut feruntur prophetae, res loquitur. Sed videre est ubi discipuli duriorem aiunt esse sermonem et indignum auditu et quum tam improbis verbis adiungunt abitionem, Christus tantum alios convenit an abire velint. Iudaei quid non digni erant audire, tam contrarii fidei doctrinae. Vides ut Paulus in ea quam scripsit ad Romanos tam insigni epistola, intentus causae personis parcat, imo zelum commendet, scientiam desideret. Domi quum pugnes et cum fratribus, quaeso te hostibus rem gratam ne feceris fratres insectando. Sed meriti sunt. Sane, et plura. Verum causae non conducit, neque servit aedificationi. Sane tua scripta inter plurima quae omnibus ea reddunt suspicienda, hoc non paucos movet ut legant studiosius et gratius quod non omnia imples ut posses, insectatione Artichristi, neque venaris ansam perstringendi ut plerique omnes faciunt et liberius spatiantur in foeditate pontificia persequenda. Sed tu non nisi coactus et ubi res ipsa te adigit, ita ut tacere neque possis neque debeas, et paucis et veluti aliud agens impetis hostem, sed gravi semper inflicto vulnere. Hic ubi tantum hostes moleste ferunt quae vere in eos dicis, tu parcior es. Causam pietatis penitius prosequens quid cum fratribus? Et licet te impetant virulentis telis, quum tu omnia excipere possis sine laesione aliqua, efficereque valeas ut irrita cadant et te et tua serves illaesa, gratiusne tibi fuerit, ut tu par pari referas, imo quam gravissime fratres laedas, magnaque voluptate et laetitia impleas hostes, qui serio triumphant spectantes tam amaram pugnam? Quanto praestaret ut exarmatus frater fractus prorsus secederet a pugna, edoctus frustra pugnam aggressum se esse, non cum hoste sed cum fratre, qui victoriam salvus reportat fratri parcens quem conficere poterat, et ita omnes merito strenuum commendabunt ab incruenta victoria, ubi antagonista defectus armis et viribus herbam dare cogitur. Si spes certior colloquii adfulserit, non video quid responsione sit opus, nisi ita temperetur ac si cum amicissimis ageretur, re tantum summa lenitate tractata. Sed quum consilio abundes pleniori donatus spiritu, valeasque iudicio certiore, age quod magis noris esse ex usu ecclesiae, et pluribus conducere et minus gratum hostibus pietatis.

Hodie Princeps [6]) istinc rediit. Audio diligentem fuisse in concionibus. Sed nondum aliquem conveni. Vale bene cum piis omnibus, fratre *Normandio, Marchione, Budaeis, Triecio* et reliquis, ne praeteream collegas et syndicos cum piis senatoribus. Collega te salutat. Neocomi 3. Iulii 1557.

Tuus Farellus.

2659. 1) *N.* 2649.

2) *Cui aegre condonabat librum contra Westphalum editum* (*N.* 2450).

3) *Eius librum germanice scriptum non legerat, neque Francofordiensis Conventus et Wormaciensis colloquii studia et fructus praevidebat.*

4) *non vero Nostro qui sibi temperare iam minus etiam potuit quam antea.*

5) *cum Beza in Germaniam.*

6) *Marchionissa de Rothelin.*

2660.

FARELLUS CALVINO.

Sperat eum cum Vireto propediem Neocomum venturum, ubi Domina princeps Berna redux adfutura est.

(*Sequentia Farellus adscripsit in calce ep. Bullingeri ad Calvinum N.* 2649.)

S. Fidem tuam liberare cura studiosius, huc te conferens, quum receperis, te huc venturum, [1]) ubi princeps Berna redierit, [2]) quo heri concessit. Cras dicta dies fuit, quae heri primo constituta fuerat. Dominus exitum det felicem et brevi faciat negotium absolvi. Gratum valde fuit, non solum iucundum, omnia ista principi placuisse. Sed inter eos qui istuc venerunt *Marchionem* non postremum locat. Collega quum huius hunc coetum admonuerit iussit, ut hoc ad te scribens, suo te salutarem nomine. Recte feceris, si veniens tibi in via *Viretum* adiunxeris, nam utrumque optat princeps. Ego quam maxime, * si recte cesserit, ut omnium habeatur ratio, praecipue de papismo qui superest prorsus tollendo. Vale bene, cum ecclesia. Gratissimum fuit has videre. [3]) 11. Iulii 1557.

Tuus Farellus.

2661.

QUERCULUS CALVINO.

Muneri sibi apud Parisienses demandato se vix parem credit et coeleste auxilium sibi expetit. Caeterum ecclesia inter hostium machinationes fortiter se attollit.

(Ex Cod. Goth. 405, fol. 112. — Edidit Liebe p. 41.)

A. Monsieur Monsr. d'Espeville.

S. D. Commendatione tua [1]) effectum est, vir clarissime, plus oneris hic mihi ut sit impositum quam vires meae sustinere valent. Etsi enim nihil fortuito accidisse puto, sed omnia divina providentia gesta esse, tamen animum meum non potest non magna subire admiratio, quod vix degustatis religionis nostrae fundamentis primis ad hoc munus et tuo et nostrorum iudicio delectus fuerim. Dominus immensa sua clementia ac bonitate me spiritus sancti gratiis cumulate ornando hanc ratam et approbatam electionem habere velit.

De statu ecclesiae nostrae si quid cupis cognoscere, ea quo fortius impiorum eorumque optimatium machinamentis impetitur [2]) potenti Domini brachio subnixa in altum eo se magis attollit. Plura brevi cognosces quum ad vos ex nostris *πρεσβύτερος* aliquis veniet, ut virum quendam doctissimum [3]) secum reducat. Salutant te pii omnes, maxime collegae mei. Vale, vir clarissime. Dominus te ad multos annos salvum et incolumem ecclesiae suae conservare velit. Lutetiae Parisiorum 12. Iulii 1557. Raptim.

Tuae humanitati deditissimus
Thomas Querculus.

Quid Helvetiorum legati apud regem egerint nihildum habemus certi. Germanorum nondum comparuerunt. [4])

2662.

BULLINGERUS BEZAE.

Neque legatio neque literae ad principes a Senatu impetratae de negotio Waldensium. Confessio ab eo in Germania scripta et exhibita sibi mirum quantum displicere fatetur.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 117[b], olim Scrin. C. Epp. Vol. II. fol. 384.)

Theodoro Bezae S. D. Bullingerus.

Laboravi diligenter pro impetrandis ad principes literis. Legationem enim non mittendam facile intelligebam. Sed non successit quod institui. Senatus noster amplissimus, sicut et Bernensis, non putavit hic sibi agendum quidquam. [1]) Interea mittitur [2]) ad D. *Petrum Martyrem* confessio a te in legatione propter fratres Waldenses suscepta ad principes apud eosdem deposita. Quae si a te concepta et exhibita est, admonitos saltem eius rei nos oportuerat. Spargi eam audimus magno cum adversa-

---

2660. 1) *Eum revera venisse alibi notatum non reperimus.*
2) La marquise voulant aller à Berne pour y renouveler en personne le traité de Combourgeoisie, LL. EE. lui écrivirent le 7. juillet qu'elle y pourroit venir le lundi suivant (12. juillet) *Ruchat* VI. 222.
3) *literas Bullingeri.*
2661. 1) *Cf. N.* 2641.

2) impellitur *L.*
3) *An Morellanum qui hoc tempore Genevam redierat?*
4) *Cf. N.* 2653, *not.* 4.
2662. 1) *Beza Francofurtum iturus ad principes a Turicensibus commendari voluerat. Bullingerus vel ea de causa huic voto non favebat quod confessionem illam Goepingensem nunc tandem cognitam respuebat.*
2) *per Pollanum, ut patet ex ep. Martyris ad Bezam d. d. 20. Iulii.*

riorum iubilo [3]) nostrorumque dolore. Sic a Francfordia et Haydelberga nunciatur. Confessiones decet esse claras et minime involutas aut ancipites, in iis praecipue de quibus controvertitur. Ego certe huiusmodi confessionem neque facerem, neque ab aliis factae aut conscriptae subscriberem. Cuperem autem a te talem non esse exhibitam, si modo per te est exhibita. Idem iudicant mecum et reliqui qui viderunt. Quanquam paucis adhuc eius facta sit copia. Vale. Salvi sint D. *Calvinus*, D. *Pharellus* et reliqui fratres. Tiguri 16. Iulii 1557.

2663.

BEZA CALVINO.

Longa et ambigua excusatio confessionis in Germania ab ipso et Farello scriptae et silentii de eadem post reditum observati. Calvini ultima admonitio crabrones ne irritet.

(Ex autographo Cod. Genev. 117, fol. 29. Ibidem fol. 28 legitur eiusdem apographon. Alibi non occurrit. Edidit Baum. I. 467. Inscripto desideratur.)

S. Ut magis etiam mireris nostram imprudentiam, non errore tantum sed praepostero quoque iudicio [1]) factum est, ut istius scripti Tiguri non meminerimus. Nam quia spes erat instituendi colloquii, et verebamur ne quis offensus resiliret, non putavimus expedire ut ipsum scriptum eo tempore exhiberetur. [2]) De *Martyre* [3]) quidem nihil dubitabamus, sed videbamus fore ut eum adduceremus in invidiam si, quod tandem intellectum esset, cum eo uno haec communicassemus. Non sperabam autem ista nostris adversariis adeo grata fore ut ita cito dispergi vellent. [4]) Sed prudentis hominis non est dicere: non putabam. Dixi ego, homo imperitus et, quantum iam possum videre, valde imprudens, *Farello* nostro: hanc esse meam sententiam. [5]) Ipsius erat acutius in his rebus cernere. [6]) Nunc quod infectum fieri non potest rogo te ut emendes, ne quid suspicionis hic gignatur, quod nobis plurimum noceat. Nam sane miror D. *Bullingerum* ab eo tempore nihil prorsus ad me scripsisse. [7]) Utut sit, mihi satis fuerit, si imprudentia vel praeposterus metus a malitia et improbitate distinguatur. Sed haec omnia tuae prudentiae aestimanda relinquo, qui hoc onus in te receperis. [8]) *Valerandum* oportuerat nos priores monere, [9]) et miror etiam D. *Martyrem* tam parce scribere, ex quo sane cuperem intelligere quaenam sint illae duriusculae et ambiguae voces, quas tamen inprimis vitare studui, quoad eius fieri potuit. Sed eo tempore nimirum nobis propositum non erat totum argumentum tractare, sed eos potius quibuscum nobis erat negotium id est *Dillerum*, *Andream*, *Angelandrum* ab illo fervore ad moderationem aliquam adducere, qua in re spero nos operam non lusisse. [10]) Ideo factum est ut duo illa capita in quibus illos scio nominatim a nobis dissidere non attigerim, nempe infinitatem corporis Christi et infidelium manducationem, [11]) quae tamen aperte ex istis concessis refelluntur. Sed ille, [12]) nihil cogitat nisi fortassis hoc unum ut plus quam reliqui sapere videatur. Utinam vero Dominus ab istis ambitiosis et turbulentis ingeniis ecclesiam suam vindicet.

Tuam adversus Magdeburgenses responsionem non dubito, quaecunque tandem sit, bonis et doctis placituram. Sed tamen mallem profecto, ut dicam quod res est, solam causam attingi, ne hac occasione spes illa colloquii, quantulacunque est, amittatur. [13]) Sed modum hic tibi praescribere non iniquum modo sed nefas etiam esse puto. Rogo ut quidquid scripsisti, in tempore habeam.

Nudius tertius ad te scripsi [14]) nos in magna sollicitudine esse de vestro illo publico negotio: [15]) eam vero non modo non imminuit sed etiam auxit ille qui tuas [16]) heri ad nos attulit, ita visus est nobis multa quidem sed ambigua, incerta atque adeo vana garrire. Scis quid requiramus, nempe non illa *μυστήρια* quae scribi nec debent nec possunt, imo vero quae libenter etiam ignoramus, sed illud unum

3) *Vides Palatinum et Wirtembergensem cum suis theologis lecta illa confessione iam paeana cantasse quasi Helvetii in castra Lutheranorum transiissent.*

2663. 1) *Hic iam aliter ac nuper ad Calvinum N.* 2646.

2) *Beza ad marg. addit:* Colloquium a nobis cum Andrea habitum, ex quo scriptum illud natum est, illis exposuimus.

3) *Cf. Baum* I. 279. *Schmidt, Verm.* 210.

4) *Heshusius h. t. superintendens Heidelbergensis eam vulgaverat, scil. ut concessionem Lutheranis factam, non typis quidem descriptam sed viva voce et manu scriptam. Pollanus apographon nactus Turicum misit.*

5) *tacendum esse de confessione.*

6) *Culpam ergo in collegam reiicit quamvis in hoc negotio satis insontem.*

7) *Praecedentem nondum acceperat.*

8) *Videtur aliqua Calvini intercidisse.*

9) *Confer sequentem Calvini ad Martyrem.*

10) *Hic de industria minus sincere loqui videtur. Solus primum Dillerus illius confessionis scribendae autor fuerat, isque minime fervore lutherano actus. Postea vero Goeppingae Beza eandem in gratiam Andreae et Angelandri (olim Mombelgardensis) mutavit magisque lutheranizantem fecit.*

11) *non quidem expresse sed satis ambigue* (*N.* 2628, *Art.* 3).

12) *Pollanus.*

13) *Cf. Farellum eadem suadentem N.* 2659.

14) *Literae non exstant.*

15) *cum Bernensibus: postridie Idus Iul. legati Badena reduces fuerunt.* (*Reg. du Conseil.*)

16) *itidem deperditas.*

rectene an secus, et de re tota in genere quid spei nobis attulerint. Magnae turbae nos manent de quibus ad te scripsi, sed audendum est, quaecunque tandem fortuna sequatur.[17]) Bene vale, mi pater, Dominus Iesus tibi magis ac magis benedicat. Lausannae 17. Iulii.

Th. Beza tuus.

Vide, rogo, ecquid expediat nostrum illud scriptum edi aut saltem eius mentionem a te fieri in tua responsione, ut omnes vitentur calumniae et sinistrae imperitorum suspiciones. Nam ubi tibi probari intellexerint non dubito quin sedentur multorum iudicia et adversariis integrum non erit damnare quod semel approbarint.

2664.

BULLINGERUS CALVINO.

A principibus Germanis nihil exspectandum iis qui Augustanae subscribere nolint. Unice ergo laborandum ut saltem Helvetii inter se concordes maneant.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 117b, olim Scrin. C. Epp. Tom. II. fol. 371. — Simler Vol. 90.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori, Domino colendo et fratri carissimo suo.

Genff.

S. D. Nihil me apud magistratum nostrum efficere potuisse intellexisti ex *Beza*, ad quem hisce diebus scripsi.[1]) Interea intelligo principes Germanos ante annum ita convenisse cum rege *Ferdinando* ut nos pro exclusis agnoscant et non foveant.[2]) Frustra ergo ageretur, cum illis nisi quis simpliciter reciperet Augustanam confessionem. Id quod ante annos aliquot varie et multum a *Bucero* tentatum a nostris nunquam impetrari potuit. Exhibebit hic edictum principum Stettinensium ex quo intelliges non omnino vana esse quae modo commemoravi et ab amicis fidis perscribuntur ad me. Pontificii arte veteratoria et diabolica illos sibi coniungunt, ut eos a nobis avellant. Sed satis nobis fuerit coniunctos nos esse cum Christo et nos consentire, quibus Dominus dedit unum et idem sentire. Cavendum ne et nos divellamur. Variae enim et graves sunt tentationes Satanae.

Commendo tibi hunc virum bonum Ioannem *Limum* Scotum. Multa tibi referre poterit de *Philippo* nostro,[3]) qui, si fortior esset et libere quod sentit proferret, apud multos rectius haberet res. Quamquam satis certum sit adversarios nostros nihil commovendos. Insano enim furore feruntur. Vale, domine colendissime et frater carissime. Salutabis symmystas omnes. Salutabis D. *Budaeum*, D. *Ionvilleum*, D. *Badium*, D. Laur. *Normandium* et alios nobis notos. Ex Italia audimus inter pontificem et reges serio tractari de pace etc. Tiguri 19. Iulii Anno 1557.

Bullingerus Tuus.

2665.

VERMILIUS BEZAE.

A Pollano accepit Confessionem eius et Farelli nomine de Coena editam, de cuius authentia pro tempore dubitans certiora edoceri cupit.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 220.)

Clarissimo viro D. Theodoro Bezae divinarum literarum professori fidelissimo amico mihi plurimum observando.

Lausannae.

S. D. Quando non licet, carissime in Christo frater et in Domino plurimum observande, scribere fusius, quantum patitur huius tabellarii festinatio scribam, neque requirit necessitudo, qua sumus in Christo coniuncti, longa prohoemia: mihi enim liquido constat, quae significavero te in bonam partem accepturum.

Superioribus diebus Valerandus *Pollanus* ad me quandam misit fidei confessionem, ex cancellaria, ut loquitur, Palatini expromptam, quam te una cum *Pharello* edidisse ait. Quod, ut verum fatear, miratus sum haud leviter, quum hic nobiscum eundo

---

17) *Lausannenses iam parasse videntur fatalem suum de disciplina apud Senatum impetum.*

2664. 1) *N.* 2662.

2) *Etiam Ratisbonae quum comitia postr. Id. Martis dimitterentur, status protestantes separatim se obstrinxerunt decreto ut in sacramentarios, Anabaptistas, Schwenkfeldianos et Osiandristas animadverterent.* (*Salig* III. 77.) *Quod Bullingerus indies magis Lutheranis infensior fuerit, Bezae confessio citra dubium in causa fuit.*

3) *Hunc Scotum in Melanchthonis epp. frustra quaesivimus. Itaque de nomine dubitamus. In N.* 2672 *distincte legitur* Linerum Sangallensem. *Quem vix Calvino commendari oportuisset dudum cognitum. Ergo epistola quaedam intercidisse videtur.*

et redeundo fuisti: unde pro tuo candore putavi te omnino ea de re noluisse nobiscum communicare. Quare mihi persuasi eam confessionem ab aliis fuisse consignatam et exceptam nobis cum Lutheranis, una de re sacramentaria, ut fit, differentibus. Quid multis? In ea omnino sum sententia, ut a te non fuisse editam credam. Quibus autem ille qui misit, et eius consimiles offendantur, ex lineis quibusdam subscriptis cognosci potest. Quid vero ego ibi desiderem ad D. *Calvinum* scripsi, qui, ut mihi videor compertum habere, tecum illa sponte communicabit. Quod nisi fecerit, aut oblitus aut occupationibus ut solet obrutus, tu ab ipso vel meo nomine petas. Eadem ad te scripsissem nisi tabellarius adeo me urgeret. Confido quae cupio te responsurum: ut respondeas maiorem in modum peto, quo iis qui mecum ea de re loquuntur queam satisfacere. Non enim dici potest facile quanto amore atque studio tui teneat. Vale, ac me ut facis ama. Saluta, quaeso, D. *Viretum* et *Eustachium*. 20. Iulii Tiguri.

Tibi deditissimus
Petrus Martyr.

2666.

HALLER AN BULLINGER.

Händel der Genfer mit dem Vogt von Ternier.

(Autograph des Zürcher Archivs ehmals Kasten B. Epp. VIII. jetzt Gestell VI. Bd. 115, fol. 2966. — Simler Bd. 90.)

— — — — — — — — — — — — — — —

Mit Genff gat es wie von alter har. die panditen habend den Genffern zůgredt, die Genffer si mit recht fürgnon vor dem vogt von Terni. Ist ein wilder haspel. kumpt die allte sach alle in recht. die pandyten wend die Genffer söllind erzeigen das ire vrtheilen billich sigind die si vber si gen vnd die so si gricht. Die Genffer vermeinend si als ein hohe Oberkeit sigind dess nit schuldig vor einem vogt als ein nideren richter dem si nit vnderworffen vnd ist also ie länger je lätzer, das ich übel bsorg ein böss spil. Got wende es in gnaden ab. — [1]) — — — — — Bernae 20. Iul. 1557.

Ioannes Hallerus tuus.

2666. 1) Les fugitifs qui se tenoient ordinairement au Pont d'Arve continuoient leurs insolences contre les Genevois qui y passoient. Le procureur général de G. ayant paru devant le baillif de Ternier, Germain Ientsch, pour lui demander justice contre les fugitifs, en protestant en même temps que c'étoit sans préjudice des droits et de la souveraineté de ses seigneurs, lui fit voir les actes authentiques des sentences criminelles portées à G. contre ces gens-là. Le baillif l'exhorta d'abord à se désister de sa protestation, mais le procureur l'ayant refusé le baillif prononça le 22. juin qu'il ne vouloit pas juger de cette affaire à cause de son refus . . . . . Mais se ravisant ensuite il assigna de nouveau la cause sans l'instance du procureur, et le condamna à exhiber les actes faits contre les fugitifs pour juger s'ils avoient été justement condamnés. Les Genevois protestèrent de nullité contre une telle sentence qui donnoit atteinte à leur souveraineté. Cependant elle fut confirmée dans le tribunal des suprêmes appellations à Berne malgré l'absence du procureur qui ayant été jugé sans être entendu n'en avoit point appelé. (*Ruchat* VI. 190.)

2667.

CALVINUS VERMILIO.

De Farelli et Bezae confessione incaute quidem celata, verum non respuenda. Respondet ad ep. quandam deperditam.

(Ex apographo satis recenti Cod. Paris. Dupuy 102, fol. 50 v.)

S. De *Farelli* et *Bezae* confessione idem mihi fere quod tibi accidit. Quumque reversi sunt nulla eius rei mentio. Paulo post admonitus ab amico quodam [1]) spargi varios rumores, quidnam id esset sciscitatus sum: atque etiam expostulavi cum *Beza* me fuisse de re tantum * celatum. Respondit [2]) quia Iacobi *Andreae* rogatu sermonis pridie habiti summam complexus fuerat, se esse veritum ne privatum scriptum vulgando sinistram ambitionis notam incurreret. [3]) Ita dum metuit suam operam venditare suppressit quod nostra scire intererat. Caeterum quod tunc mihi displicuit gaudeo non venisse ambobus in mentem ut mihi narrarent: quo melius ipse intelligas et ego crebrius testari queam, nihil astu fuisse ab illis, vel etiam diffidentia factum. Atque haec excusatio te et alios, si qua iam forte nata esset offensio, facile placaret: nunc vero, qua te humanitate praeditum scio, te non offendet quamvis parum considerata verecundia. Sed quia *Valerando* [4]) nihil video esse propositum quam ut obliquis calumniis vel clandestinis artibus fraternum inter nos consensum labefactet, ut merito quaecunque ab homine illo proficiscuntur mihi suspecta sint: ne quid forte supposuerit, exemplar mihi a *Beza* descriptum mitto, in quo, nisi valde fallor,

---

2667. 1) *Hotmano N.* 2638.

2) *N.* 2646.

3) *Hic rem omnino aliter exponit ac revera debuisset. Nam confessionem Bezae Noster dicit substantiam fuisse colloquii cum Andrea habiti. Haec vero non est authentica historia, verum causidici pro reo oratio.*

4) *qui Vermilio confessionem denunciaverat.*

tam perspicuitas quam sincerítas tibi placebit.[5]) Etsi enim non omnia distincte expressit, quia nondum putabat opportunum esse tempus, nihil tamen vel ambiguum vel obscurum animadverto.[6]) Non omnia, fateor, quae plena exigeret rei explicatio illic traduntur: quod ego facile excuso, quia tunc occasio non ferebat. Certe quamlibet captiosi sint hostes, nihil ad vos illaqueandos reperient.

Quid de praedestinatione sentiendum sit libere et enucleate exponere ..... factum. Te vero ... ... mea verae aequis et propitiis ..... fuisse exceptum ministris laetor. Et sane opus fuit, quia partim suspensi erant auditores, partim errore impliciti, semel totam rem liquide explicari.

Vale, ornatissime vir et frater ex animo venerande. Dominus tibi semper adsit, te gubernet ac benedicat. D. *Bullingero* et reliquis symmystis plurimam salutem. Genevae 20. Iulii 1557.

Ioannes Calvinus tuus.

Salutant te D. *Marchio* noster, *Comes* et reliqui.

2668.

VERMILIUS CALVINO.

Bezae confessionem perlustrat et quae in ea sibi displiceant significat.

(Edita est ad calcem ed. secundae Locorum communium Petri Martyris Turic. 1587 fol. p. 1118. In priore enim non exstat. Titulum editor quidem facit: *Amico cuidam.* Non tamen de Calvino dubitandum si respexeris quae Beza Martyri scribit N. 2689. Excerpta quaedam suppeditat Schmidt p. 212.)

Iam quod tibi ante paucos dies, clarissime vir ac mihi pluribus nominibus observande, promiseram,[1]) scriptam illam confessionem transmitto, ita quibusdam virgulis consignatam ut eam accepi:[2]) dumque ipsam pressius considero, non existimo, ita ut est conscripta, fuisse a nostris exhibitam, quoniam apprehensionis corporis et sanguinis Domini per fidem, non ore corporis, nulla fit mentio, quae clavis totius huius controversiae videtur esse. Non sane offendor nomine substantiae, quod scio fidem nostram in corpus inane aut fictum non ferri. Sed illud miror quod in secundo articulo dicitur, symbola rem ipsam semper habere coniunctam, et in tertio declarari coniunctionis eius modum, qui dicitur non vocari figurativus tantum aut typicus. Ego sane carnis et sanguinis coniunctionem cum symbolis non aliam utique novi quam significationis, quam tamen haud vulgarem pono, sed efficacem, quod ea spiritus sanctus ut certo quodam instrumento, quemadmodum et externo verbo utatur. Nec minus obscurum est quod subdit: sed qui vere ac certo sub specie rerum visibilium repraesentet. Si verbum *repraesentare* typum aut figuram notat, bene habet: sin vero, ut crebro significat, rem vere praesentem statuere, verum non est, et occasio datur errandi. Quumque in iis rebus maxima sit perspicuitate agendum, declaratione utique fusiori, meo iudicio, fuit opus. Deinceps in eodem articulo tertio scribitur: controversum duntaxat esse praesentiae modum qui soli Deo sit cognitus. At mihi videtur a nostris confirmatum semper fuisse, modum illum esse vivae fidei apprehensionem, quare obscurum aut dubium huius praesentiae modum habendum non censeo. Lutheranae praesentiae modus non valet percipi: dum enim realem et substantialem praesentiam statuunt, aut corpus Domini fundunt in immensum, aut eodem tempore in mille locis esse praedicant, quod revera omnem quum veritatem tum rationem superat. Neque in summa video in ista confessione usquam significari nostram coniunctionem veram cum Christo eiusmodi esse quae patiatur inter nos et corpus Domini locorum distantiam, ita ut realis aut substantialis eius praesentia hic inter nos minime requiratur ad id ut vere cum ipso coniuncti simus. Haec tantum referre nunc volui, quod me nonnihil torquerem, si vere a fratribus rem ita conscriptam et consignatam censerem: sed quoniam id mihi persuadere nequeo, minus crucior: crucior tamen quod talia sub nostro nomine circumferri audiam. Nec dubito plura te animadversurum, qui monstratore non opus habeas. Nam ego aliqua benigne interpretor, et mihi omnino persuadeo, quae scripsi abs te in bonam partem accipienda, quum ambigere non debeas ab optimo animo ea omnia proficisci. Sed tuis occupationibus non ultro obstrepam. Vale, ac me ut facis ama.

---

5) *hoc est exemplar cum Bezae annotationibus* (*N.* 2629).
6) *Dixeris eum prò domo orationem habere.*

2668. 1) *Haec prior ep. non exstat. Ad eam C. respondit N.* 2667. *Hanc vero scribit antequam illam Calvini acceperit. Quod luce diurna clarius apparet ex N.* 2690 *ubi tandem illam respicit. Patet ergo hanc fere d.* 20. *Iul. scriptam fuisse.*
2) *a Pollano.*

2669.

BEZA CALVINO.

Mittit ei Petri Martyris epistolam, et de Turicensibus queritur iniquius de ipso propter istam confessionem iudicantibus.

(Ex autographo Cod. Genev. 117, fol. 18. Ibidem fol. 17 exstat exemplar recentius scriptum. — Edidit Baum I. 469.)

Eximio Christi servo Iohanni Calvino, patri mihi inprimis observando, et Genevensis ecclesiae vere fido pastori.

Genevae.

Placuit mihi in hoc homine[1]) mira, quantum coniicere potui, simplicitas, ex quo spero fore ut quaedam tibi non ingrata intelligas. Sed et tibi cogitandum censeo de quo non ita pridem ad te scripsi, nempe, ut quum isti tam sint ignavi homines, tamen intelligant per omnes non stetisse, quominus oblata colloquii occasio arriperetur. Certe hic mihi nequeo temperare, quod non saltem *Wirtebergensi* actae sint gratiae[2]) pro tam egregia ipsius voluntate, neque dubito quin ista ignavia sit plurimum, nisi Deus nos respexerit, nobis apud plerosque principes obfutura. Tu igitur quandoquidem certo Dei consilio istis certaminibus es obiectus, vide, etiam atque etiam rogo, ut quod facis porro facias, id est istis impedimentis, quacunque ratione poteris, occurras. Mitto ad te D. *Martyris*, literas[3]) quas idem hic nunc mihi hodie reddidit a prandio. Omnino mihi respondendum est.[4]) Sed hic quoque necesse est ut meum errorem luas, id est, ut ea ad me mittas de quibus scribit, simulque paulo copiosius quam interdum soleas huic meae imprudentiae consilium opportunum suggeras. Quidam mihi submurmuravit te constituisse a nobis in proxima tua profectione futura aliquantulum deflectere. Hoc vero cur tibi faciendum putes non video. Si tamen ita censes, da saltem operam ut mature intelligam ubi me tibi occurrere oporteat, ne nobis elabaris. Bene vale, mi pater. Dominus Iesus tibi assidue magis ac magis benedicat. Laus. die 26. Iulii.

Th. Beza filius tibi in Domino deditissimus.

2669. 1) *in tabellario puta, per quem ep. N.* 2665 *Calvino mittebat.*

2) *Sane is pacis studiosior quam Brentius, verum et ipse Helvetios potius allicere volebat quam iis aliquid concedere. Quem si cum Flacianis conferas aequiorem iudicem agnoscas oportet. Beza vero nihilominus vel se excusare vult vel sibi fucum fieri passus est.*

3) *N.* 2665.

4) *N.* 2689.

2670.

HALLERUS BULLINGERO.

Genevensium in exsulum amicos insignis et crudelis severitas.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 236. — Simler Vol. 90.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

Genevenses pergunt suo more. Quemdam suorum civium nuper, qui cum exsulibus ipsorum prandium sumpserat, in hospitio quodam ditioni ipsorum confini, tortum decollarunt et caput palo infixerunt erecto e regione eius hospitii ubi pransi erant, ut videatur in illud [*in*]tueri. Quid ex eo tandem sequuturum sit pru[*dentes*] facile cognoscunt. Dominus avertat a nobis haec m[*ala*]. — — — — — — — — — — — — — — — — Bernae 26. Iulii 1557.

I. H. tuus.

2671.

FARELLUS BULLINGERO.

Summopere sibi et illi gratulatur quod tam sollicite de iuvandis legatione piis Gallis ubique et ab omnibus actum sit. Evangelii progressus indies laetiores laudat. Pravos libros, inter alios et Theologiam germanicam, Anabaptistarum foetum, diris devovet.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 115, olim Scrin. B. Epp. Tom. VIII. fol. 2959. — Simler Vol. 90.)

Praestantissimo Christi servo Heinricho Bullingero quam fidelissimo pastori ecclesiae Tigurinae fratri et symmystae quam plurimum observando.

Tiguri.

S. Legatos urbium audio rediisse a tam pia legatione: sed quid impetrarint aut effecerint non intellexi. Gratias ago Christo servatori quod omnium non tantum pastorum, inter quos tu non postremus fuisti, et reliqui sane officium fecerunt, verum etiam senatorum ac plebis etiam corda permoverit ad adiuvandos pios fratres, quacunque potuerunt ratione, et precibus apud Dominum et alia via apud homines. Sane gratulor omnibus hanc pietatem, hoc tam sanctum studium. Oblivisci non possum eiusmodi officiorum, quin supplex posco

Dominum, retribuat bonis ut solet optima. Ita procul dubio in ecclesia pergendum est, ut membra corporis Christi mutuis officiis studiosius sese prosequi debent, ut serventur parta et nova acquirantur. Quam optarim te, qui potes, pro me gratias ageres ecclesiis qui* cum ista studiose egerunt pro piis. *Hallerus* coepit strenue, tu quid non egisti? *Simpretus** plus quam auderemus petere: *Sulcerus* et domi apud suos et literis apud alios nihil non egit. Quid possumus a senatibus expetere quod non sit effectum, imo supra quam peteremus? Dum haec fiunt apud pias ecclesias Christus agit mirabiliter in piis: magis et magis roborantur animi, pastores hortantur, plebs tantum non antecedit promptitudine et alacritate. Quo plus minantur pontificii eo minus timent pii. Maximi ducunt, si fuerit voluntas Domini, pro Christo et evangelio pati. Tantum abest ut pastores suam deserant stationem, quod* alios oportet indies addi, crescente gregis numero. Si qui velut in parte nostri videantur, partim nobis accedentes, sed non plene sese Christo committant, et alia ratione sese tueantur quam aperta Christi confessione, ut pauci videntur, hi quamvis non prorsus reiiciantur, tamen summo studio laborant tum pastores, tum firmiores ut roborent infirmiores et eo adducant ut toti a Christo pendeant. Progressus est insignis: adaugeat Christus numerum, fidem et dona sua piis. Spes mihi multa adfulgebat de non vulgari profectu evangelii, sed sentio quendam miro astu rationem intervertere. Quod fit in praedicatione, idem fit in libris. Ut enim piorum libri supra modum aedificant, ita et impiorum mire perdunt. Dabat mihi aliquis quaedam *Cratoaldi* [1]) et Casparis *Schuekfeldii* scripta legenda, ut me in partes suas traheret. Quot impia legi multo astu et dolo illic! Typographus nomen non adscripsit suum. Fuit et ad aliquot horas lecta, ut dicitur, Theologia germanica, [2]) quam olfacio Davidis *Georgii* perditissimi hominis, *Boini* [3]) et eiusmodi pestium esse. *Oporinus* videtur natus ad omnia sine delectu in medium producenda, ut sequatur quisque quod vult et ut vult. (Excussit* tam impium opus). Quam traducitur impie Germania, quod pro theologia verae doctrinae fidei et revelata per spiritum sanctum prophetis et apostolis, scripturis sacris comprehensa, habeatur delirium anabaptisticum. Et quo spectat politia Platonis et deliria Dionysii? ut prorsus abducant a Deo: ad nudam volunt contemplationem adducere. At nostra per Christum ad patrem venit. Christus haec avertat mala. Sane expediret tam impia prohibere, quae non dubito te cum tuis aversari, quod satis patet. Quod enim istic non passus es, illic excussum fuit.

Quid fuerit Francforti actum, [4]) de iis de quibus tecum agebamus nihil audivimus, nisi *Tossanum* eo cum principe *Georgio* fuisse. Christus Iesus veram det pacem et sanctam concordiam. Vale, mi optime *Bullingere*. Te Christus servet ac tuos, ut precor Dominum, cupiens et tuis adiuvari precibus. Saluta quaeso pios collegas, totum sanctum coetum pastorum et doctorum. Pium insuper legatum, sed prius patres qui eum miserunt. Christus ipsis faveat semper. Nostri omnes te salutant. Neocomi 28. Iulii 1557.

Tuus Farellus.

2672.

BULLINGERUS CALVINO.

Legati Lutetia redierunt, bene excepti et promissionibus plus satis onerati.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 92. — Praebet Cod. Turretini 111ª, fol. 231, Epp. Bern. exhibent Tom. VI. p. 619. Simlerus Vol. 89. Inscriptio desideratur.)

Rediit legatus noster. Totam historiam exposui tibi per Ioannem *Linerum* Sangallensem. [1]) Benigne excepit legatos Rex et dimisit, ore proprio pollicens tandem et in ultimo digressu, ita se in hac causa acturum ut urbes intelligant, preces vel supplicationes legatorum plurimum potuisse aut valuisse. [2]) Dono dederat 800 coronatos. At legati noluerunt. Agentes enim gratias pro liberalitate testati sunt ideo se neque aurum neque argentum

---

2671. 1) *Valentinus Krautwald canonicus Liegnicensis Silesius, Schwenkfeldii assecla. Cuius scripta recensent Walch, bibl. theol.* II. 69 *et Adelung Ioecheri continuator, et ante eos Catal. libror. Schwenkf.* 1561. *fol.* 34 *v. Farellus Schwenkfeldii scripta latine versa legere poterat; qui duo tantum hoc sermone conscripsit, quinque vero translata sunt.*

2) Theologia germanica, libellus aureus, quomodo sit exuendus vetus homo induendusque novus, ex germanico anonymi equitis Teutonici translatus studio Iohannis Theophili (*Castellionis*) Bas 1557. 8. La theologie germanique, livret auquel est traité comment il faut depouiller le vieil homme et vestir le nouveau. Anvers 1558. 8. (*Trechsel* I. 214. *Maehly* 64. *Colladon, Vie de C. p.* 11.)

3) *Bauhin medicus Basileensis* (*N.* 2155. 2197. 2216). *Is apud Oporinum olim correctoris vices obierat.*

4) *fere nihil.* (*Salig* III. 271 *sqq.*)

2672. 1) *Vide N.* 2664, *not.* 3.

2) *Alloquutionem legatorum ad Regem Bullingerus germanice conceperat.* (*Hess.* 338.) *Introducti fuerunt a Connestabili de Montmorency. Responsum obtinuerunt quale ab aula exspectari debebat.*

accipere ut inde Rex intelligat illa non quaesita, sed incolumitatem fratrum, qui sunt membra nostra et eiusdem religionis consortes. Ergo si velit Rex gratificari parcat innoxiis et fratribus nostris. Hoc fore nobis omnibus pergratum. Rex alioqui scriptam dederat ante discessum responsionem, [3]) unde liquide satis intelligi non poterat quae eius voluntas. Non enim dicebat se in instituto perrecturum neque dicebat se illis parsurum. Legati Principum, dum nostri Montbelgardum venere, [4]) iter ingressi sunt. Ita Comes *Georgius* Wirtembergensis narravit nostris. Mittunt Palatinus, Hessus, Wirtembergensis, Badensis. [5]) Boni consulas haec, obsecro. Plura iam non potui. Sed haec summa est rei totius. Vale iterum atque iterum. [6])

2673.

CALVINUS FARELLO.

Si non statim at certe propediem Neocomum veniet. Liber contra Westphalum iam prelo subiectus est et fere absolutus. Consilium amici, scilicet ut sibi temperaret in confutando adversario, quominus sequeretur in causa fuit huius ipsius hostilis animus.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 157. Cf. Cod. 108, fol. 93; Epp. Bern. VI. p. 734 et Simleri Vol. 90.)

Eximio Christi servo Guillelmo Farello, ecclesiae Neocomensis fidelissimo pastori fratri et symmystae carissimo.

S. Lectis *Christophori* [1]) nostri literis nulla in me fuisset mora, quin vestro desiderio [2]) obsequerer, nisi mihi aliunde iniecta esset manus. Sed ubi subolfeci discessum meum nonnullis quibus morem gerere cupio, [3]) molestum fore, paulisper differre malui donec meam operam non tantopere flagitent necessitates domesticae. De rerum nostrarum statu nihil scribo ne frustra te excrucies. Et coram liberius exponam, quae non capiunt literae, modo pauxillum mitescat eorum inhumanitas, qui ad nos diruendos [4]) extrema quaeque tentant, Scribes quamdiu istic futura sit Principis mater: quo me celerius expediam, si forte discessum maturet, quod tamen non arbitror.

In *Westphalo* et reliquis difficile erat mihi temperare, ut consilium tuum ferebat. Fratres esse dicis, qui fraternum nomen, si a nobis oblatum est, non respuunt modo, sed exsecrantur. Et quam essemus ridiculi, fraternum iactando nomen apud eos quibus deterrimi sumus haeretici. Atque ut tibi vel aliis sequi, quod praescribis, fuerit non grave, alia fuit ingenii mei ratio. Liber dimidia iam ex parte est excusus. Si quis ultra sex dies ad te proficiscetur, integrum, ut spero, tibi feret. Duobus enim prelis subiectus est. [5]) Vale, optime frater et integerrime, cum *Christophoro* et reliquis fratribus. Dominus vos et regere et tueri et benedicere pergat. Saluta etiam diligenter civium magistros meo nomine et praefectum. Amici te plurimum salutant. Genevae Calendis Augusti 1557.

Ioannes Calvinus tuus.

2674.

CALVINUS ANDREAE.

Gratias agit de libro sibi misso quem tamen utpote germanicum legere nequit. Suam erga Saxones acerbitatem excusat, ad pacem se propensum affirmat, sententiam contra ipsum Andream firmiter sustinet.

(Ex Cod. Genev. 107a, fol. 156. Edidit Beza Gen. p. 184, Laus. p. 395, Hanov. p. 442, Chouet p. 249, Amst. p. 114. Autographon quod Stuttgardiae in bibl. regia asservatur in nostrum usum contulit Vir doct. T. Schott, editor epp. Vergerii ad Christophorum ducem. — Anglice legitur in ed. Philad. III. 334.)

3) *ap. Hess. Bull. p.* 346.
4) *in reditu.*
5) *cum tribus aliis. Etiam Sturmium invitarunt ut cum legatis iret; hic vero recusavit.* (*Kugler* 45. *Schmidt, Sturm.* 101.)
6) *Non bene constat quando legati Helvetiorum redierint quanquam exstat Escheri Turicensis de hac legatione diarium ex quo plura ap. Baumium* I. 272. *Hess*, 337. *Iam supra vidimus Helvetios Lutetia abiisse antequam Germani advenerint.* (*N.* 2661 *P. S.*) *Patet tamen hanc scriptam esse post N.* 2664.

2673. 1) *Liberteti.*
2) *cf. proxime sequentem Bezae.*

3) Sur ce que M. Calvin est en deliberation daller dehors a Neufzchastel a este icy parle quil y a beaucoub daffaires pour lesquelz il debvroit demorer. Parquoy arreste que les Sieurs . . . . . luy remonstrent cela et le prient de demorer: autrement quil soit a son choix. (*Reg. du Conseil Vol.* 53 *f.* 253.)
4) dirimendos *Apogr.*
5) *Ultima admonitio prodiit* 20. *Aug. Vide Prolegg. Opp. IX. p. xxiij.*

S. Literae tuae [1]) hoc saltem nomine mihi non parum gratae fuerunt, eximie vir et ex animo colende frater, quod inter infaustas tristesque dimicationes, quibus invitus exerceor, eodem te semper erga me esse animo testantur. Utinam passus fuisset *Westphalus* qua coeperam moderatione sedandis contentionibus dare operam. Eius tamen furorem nunc superarunt vicini quidam Saxones: [2]) ac palam iactant, non aliam sibi fuisse excandescendi causam, nisi quod blandius quam vellent eos compellaverim. Nunc quando mihi mansuetudinem excussit eorum petulantia, coactus sum asperius cum ipsis agere. Neque tamen impediet haec vehementia, si quibus cordi erit pacificatio, quo minus sedulus [3]) accedam. Et sane quo magis exarsit incendium, eo maiore studio ad illud restinguendum accurrere decet eos omnes, quibus hactenus datum fuit quiescere. Librum tuum, [4]) quia linguae germanicae sum ignarus, cuidam amico legendum dedi, qui mihi summam referret. Quantum intelligo, absque acerbitate aut cuiusquam contumelia quod oppugno defendis. Etsi autem tuam moderationem exosculor et laudo: mihi tamen non parum dolet, plus esse in sententiis nostris dissidii quam putaveram. Caeterum, modo non ad hostile usque odium crescat [5]) dissensio, quod adhuc occultum est, tandem patefaciet Dominus. Quid de promiscua manducatione sentiam, clare antehac exposueram, et in hoc postremo opere saepius repeto. Tantumque abest, ut suis argumentis dimoveatur, ut mirer sibi [6]) non venisse in mentem, impios Christum respuendo magis quam recipiendo sibi accersere interitum. Quod si tamen explicatius [7]) aliquid a me desideras, ubi rationes meas paulisper expenderis, quid in mea doctrina improbes, fac me certiorem. Exitum conventus Wormatiensis non alium fore divino, nisi ut papistae tempus extrahendo principes sincerae religionis patronos veteri more eludant. [8]) Vale, ornatissime vir et mihi observande frater. D. *Brentio* salutem plurimam opto. Dominus te spiritu suo regere, virtute fulcire et benedictionibus augere pergat. Genevae, Calendis Augusti 1557.

Io. Calvinus tuus.

2674. 1) *deperditae.*
2) *quos recensuimus in Prolegomenis Opp. IX. p. xxij.*
3) sedatus *Edd.*
4) *cf. N.* 2630.
5) erumpat *edd.*
6) tuis arg. dimovear, ut mirer tibi *edd.*
7) explicatius *om. edd.*
8) *imo ne ad hoc quidam usque ventum est, quum Lutherani suis intestinis controversiis in medium productis colloquium diremerint antequam inchoatum fuerit.* (*Planck* VI. 129.)

2675.

CALVINUS HAGENIO.

Fatetur se ab Andrea alia exspectasse ac liber eius praestat, quum ille citra acrimoniam caeterorum purus putus Lutheranus sit, ita ut de pace concilianda hac ex parte nihil sperari queat.

(Ex thesauro Bezano ubi pracedentem sequitur in omnibus editionibus, et revera eodem ac illa tempore scripta videtur.)

Quod doctor Iacobus *Andreas* libro suo rationem aliquam consensus quaesivit, nec modo lenire exasperatos animos sed etiam quod erat asperius in doctrina mollire conatus est, etsi eius studium laudo, fructum tamen huius operae non tam uberem spero quam initio putaveram. Miratus enim sum non minus a nobis quam ex professis hostibus quemlibet dissidere: cuius rei nullum hactenus signum dederat. Sic ex boni viri relatu intelligo, excepta amarulentia prorsus idem doctrinae genus ab eo defendi, quod nobis obtendunt Saxones, nos vero toto animo reiicere cogimur. Itaque non immerito te retineri agnosco, quominus eius iudicio subscribas. Nec vero est quod te ab hac ingenuitate et constantia deterreat ullus metus. Neque servis Christi vel durum vel insolens videri debet, si pro defensione purae sanaeque doctrinae subeunda sint multorum odia. Apud vos caeca magis pertinacia quam errore certatur. Utinam ne accederet voluntaria quoque caecitas in quibusdam, quos fastus nihil dispicere patitur. Si qua tamen spes erit pacificationis, libentissime quocunque vocatus fuero accurram: si repudior, non leve mihi solatium erit, quum mihi probe conscius sim bonam causam me agere, quaesiisse tamen quod optimum erat sedandis turbis remedium.

2676.

BEZA FARELLO.

Eorum confessio a Pollano Turicensibus denunciata, ab iis minime benigne excepta, a Calvino probata, excusatione opus habet ne maius inde oriatur incendium. Nova ex Gallia addit et criminationes plus minus falsas contra Castellionem eiusque amicos.

(Ex autographo bibliothecae pastorum Neocomensium. — Edidit Baum. I. 469.)

Eximio Dei servo D. Gulielmo Farello patri mihi inprimis observando Neocomensis ecclesiae vere fido pastori.

Neocomi.

S. Magnopere peccatum est a nobis in eo quod nostram illam confessionem Tigurinis non ostenderimus. Eam enim nunc misit ad nostrum *Martyrem Valerandus*, miris notis deformatam. Sed parum erat illi displicuisse, nisi *Martyr* quoque ipse ita improbaret ut eo uno se ipsum soletur, quod a nobis non putat fuisse exhibitam. *Bullingerus* acerbius etiam rescribit, se neque eiusmodi confessionem fuisse editurum neque exhibitae posse subscribere. D. *Calvinus Martyri* rescripsit, sibi contra valde probari et nostrum errorem excusavit.[1]) Ego constitui illi placidissime respondere.[2]) Interim tibi quiescendum puto, dum et illorum querelas et meum responsum ad te mittam, ut una congruamus. Visum est tamen de istis te admonere, ut mature tecum de responso deliberes. Spero D. *Calvinum* intra triduum huc venturum, ad vos properantem.[3]) Utinam possem illi comes adiungi, vel eam ob causam ut praesentes de re tota constitueremus. Nam nisi caverimus (cautio vero tota in precibus et moderato responso posita videtur) pro eo quod ita conati sumus offensionibus mederi, novum incendium excitaverimus, quod Deus avertat. De conventu frustra, ut video, nobiscum loquutus est optimus ille Princeps.[4]) Viderint quo modo coram Deo respondeant qui hoc consilium impedierunt.[5])

Quid a nostris legatis[6]) actum sit mirum est nos nondum intelligere potuisse. Germanos scio numero septem nostrorum reditum consequutos. De fratribus nihil iampridem audivimus. Andusae[7]) certum est maximam excitatam esse persequutionem, et quod tristius est, in multis captivis paucos constantes inveniri. Deus nos respiciat et suos confirmet. Bene vale, mi pater, cum collega tuo et fratribus reliquis. Optimum fuerit in vestro conventu vel seorsim quaerere ex *Archesio*[8]) vestro quis sit aureolus ille libellus Antwerpiae impressus de quo nuper ad suum quendam amicum in hac urbe scripsit. Ita fortassis sese prodet hypocrita. Iterum vale. Lausanae 2. Augusti.

Th. Beza,
filius tibi in Domino addictissimus.

Vide quomodo agas cum *Archesio*. Nam huc scripsisse certum est. Sed unum duntaxat testem habemus qui literas vidit et legit in eius manibus ad quem scriptae sunt. Is vero plane est illi similis aut etiam deterior.

Castalionis frater Lugduni interceptus est et in carcerem coniectus cum impurissimo fratris libello de praedestinatione quem ibi excuderat. Aiunt ipsi fuisse in animo *Servetum* etiam recudere cum fratris scholiis adiunctis.[9])

2677.

CALVINUS MELANCHTHONI.

Queritur se dudum nihil ab eo accepisse, et presse hortatur eum ut tandem aliquando silentium rumpat et bonam causam publice defendere audeat, occasione iam oblata vel saltem non negligenda si qua offeratur.

(Manu scripta non exstat. Praebent edd. Epp. Bezanae, Genev. p. 185, Laus. p. 397, Hannov. p. 444, Chouet p. 250, Amst. p. 115. — Versionem gallicam exhibet ed. Berol. p. 243, anglicam ed. Philad. III. 335.)

Qui factum sit ut toto iam triennio nihil ad meas literas responderis,[1]) nescio: quia tamen ex tam longo silentio coniicere merito licebat non adeo tibi fuisse gratas atque etiam meum studium abs te repudiari, nihil nunc scribere ausus essem, nisi ab hoc optimo sene[2]) certior factus essem eodem te semper erga me esse animo: quod alioqui creditu

---

2676. 1) *De his omnibus v. epp. m. Iulio scriptas.*
2) *N.* 2689.
3) *Cf. N.* 2673.
4) *Christophorus.*
5) *Bullingerum notat cuius v. epp. N.* 2662. 2664.
6) *Helvetiis Lutetiam missis. Germani etiam minus urbane dimissi sunt.*
7) *Primus in montibus Cebennensibus evangelium praedicavit Claudius Rozier Franciscanus Alesius, post eum* 1547 *Nicolaus Ramondy. A.* 1556 *deinde Genevenses aliquot ministri advenerunt qui magno populi concursu excepti sunt. Sine mora contra haereticos promulgato edicto regio* 3. *Iul.* 1557 *gladio et igne saevitum est, ita ut die* 22. *Aug. Rozerius quoque ille supplicio affectus fuerit.* (*Hugues, hist. de l'égl. réformée d'Anduze p.* 46 *ss.*) *A.* 1560 *demum nonnullae ecclesiae constitui potuerunt, inter quas Anduzensis per Paschalem Boust.* (*Hist. eccl.* I. 218.) *Petrus d'Aireboudouze Anduzensis iam a.* 1555 *minister fuit in Iussy* (*N.* 2250).

8) *Assecla fuit Castellionis qui a.* 1556 *cum Neocomensibus rem habuit* (*N.* 2411). *De libello aureo v. N.* 2671, *not.* 2.
9) *Falsus erat rumor. Certe nihil tale in lucem prodiit. Etiam quae de libro contra praedestinationem dicit non recte dicta videntur* (*vide Prolegg. Opp. IX. p. xxix*), *nisi forte de eo scripto intelligi debeat contra quod Calvinus suam Brevem responsionem edidit. Verum et illud Castellio suum esse negavit.*

2677. 1) *ultima Philippi fuerat N.* 2204 *m. Maio* 1555 *scripta.*
2) *nobis ignoto.*

difficile erat. Nunc collecta nova fiducia, quia te hoc mense Wormaciae fore confido,[3] quo literae meae et tutius et maturius ad te pervenient, occasionem hanc praetermittere nolui. Tantum cuperem mihi laetius offerri argumentum. Et tamen si partem veteris erga me amoris retines, hoc quidquid est molestiae facile vorabis, quod curas et dolores meos familiariter in sinum tuum exonero. Vicinos tuos[4] tanta in me intemperie bacchari, non dubito quin pro modestia tua et humanitate valde tibi displiceat: imo quum non hominem unum sed pios omnes, nec privatam unius doctrinam sed communem fidem oppugnent, tibi causae societas non vulgarem moerorem afferre debet. Caeterum, quando semel in hanc arenam protracto liberum non est pedem inde cito retrahere, truculentas vero bestias humano more tractare absurdum fuisset, dabis vehementiae meae veniam quae in tanta indignitate a me cohiberi non potuit.[5] Si quid te privatim offendet, non longa excusatione opus fore arbitror. Quia subinde fallendis imperitis fucum ex tuo nomine videbam facere adversarios, ne viderer in re tam clara tergiversari (quod minime ingenuum erat) fidem tuo testimonio saepius deferre non dubitavi.[6] Hac in re culpam, de qua me purgare operae pretium sit, adeo non agnosco, ut iure optimo conqueri de tua cunctatione liceat: etsi a turbulentis certaminibus abhorres, scis tamen quid suo exemplo Paulus omnibus Christi servis praescribat. Certe maior tibi, quam in eo spectata fuit, moderationis laus non est appetenda. Quum ergo ille summa lenitate praeditus per seditiones intrepide transierit, nec eadem nobis molesta sit hodie conditio. Ac tibi omnino iam videndum est quidem mature, ne tibi apud posteros dedecori sit nimia taciturnitas. Quod si, dum suis telis undique te confodiant hippocentauri isti, exspectas, timendum rursus ne parum opportuna censeatur confessio quam tanta necessitas extorserit. Quid si mors occupet? Nonne ut tibi decedat omnis autoritas fidesque abrogetur, serviliter timidum fuisse clamabunt? quam infamiam ut abs te extergere festines, non es pluribus verbis monendus. Si pacificandi ratio quaeritur, una spes erat in colloquio,[7] quod te quidem expetere non dubito: tantum cuperem animosius flagitari. Nam quum videas principes non modo cessare, sed etiam alio a suis doctoribus retrahi, colligis haud dubie clausos esse aditus omnes, nisi aliis instar fraeni, aliis vice stimuli sit tua autoritas. Nuper audivi, quod minime speraveram, Ducem *Wirtebergensem* sponte iam huc propensum esse: imo si ea fuisset quae esse debebat humanitas, oblata erat quam semper optavimus occasio: sed quia multorum animis insidet prava suspicio, magis alienatos esse a nobis animos principum quam ut placide audiamur, congressus omnes formidant.[8] Addunt etiam illud, non nisi praefractos homines te uno excepto venturos, qui imperiose praescribant ne a suis placitis discedatur. Neque tamen eorum qui sic loquuntur tanta est morositas, quin libenter venturi sint si vocentur: hoc nunc in te onus recumbere existima, ut tua oratione persuasi principes nostros ad colloquium invitent: vel Argentorati, vel Tubingae, vel Heidelbergae, vel etiam Francfurti commodus esset locus: tantum si hoc impetres, ut ad placidam disceptationem utraque pars descendere parata sit, meliorem fore spero exitum, quam divinent multi suspiciosi homines. Quod si te hoc negotio infecto iterum in Saxoniam recipis, vereor ne sero te poenitcat, exitialibus istis turbis non allatum fuisse tua opera remedium. Ac nunc memineris non tam votis hic tibi esse agendum quam strenua sollicitudine, ut ad satagendum paulo ferventius quam mores tui ferant intentus sis. Iam vero si non tam flexibiles erunt principes, non tamen negligendum erit, quod anno superiore amicis quibusdam scripsisti, te operam daturum, ut cum piis, integris et moderatis hominibus ipse convenires. Ex eorum numero si me unum esse censes, quaecunque aliunde urgeat necessitas, hoc tamen in praecipuis votis est mihi, antequam Dominus in regnum suum coeleste nos colligat, quo alacrius ad mortem properem, iucundissimo tuo conspectu semel adhuc in terra frui, et mala quibus mederi non possumus, apud te deplorando aliquid levationis sentire. Vale, praestantissime vir et mihi ex animo semper observande. Dominus te semper suo spiritu gubernet, praesidio tueatur et ad hanc actionem te sancta prudentia invictaque fortitudine instruat, tuosque pios conatus benedicat. 3. Nonas Augusti. 1557.[9]

3) *d.* 15. *Aug. Wittemberga profectus, d.* 28. *Wormaciam venit quo et tabellarius se conferebat.*

4) *Lutheranos Saxones.*

5) *Videtur ei una cum hac epistola Ultimam admonitionem iam magna ex parte typis exscriptam vel misisse, vel certe commendare voluisse posteri mittendam.*

6) *Vide ex. gr. Opp.* IX. 148. 154 *etc.*

7) *Revera Palatinus et Wirtembergensis Wormaciae inter theologos concordiam procurare studebant, exclusis tamen Calvinistis. Conciliationi fundamentum posuerunt Augustanam cum Apologia, damnatis sectis, non vero sacramentariis, et ritibus externis inter adiaphora relegatis. Melanchthon vero probe sciebat quid a Flacianis exspectandum esset.* (*Schmidt, Mel.* 603 *seqq.*)

8) *Bullingerum aliosque innuit.*

9) *Melanchthon ad Calvinum scripsit postridie Non. Oct. sed de hac ep. ne γρῦ quidem. An non acceperat? An rem de qua interpellatus fuerat tractare recusabat? An denique coram cum Farello Beza vel Budaeo argumentum illud attigisse satis habuit? Etiam ad Bullingerum nihil ad rem.* (*Corp. Ref.* IX. 283. 296. 327. 379.)

2678.

LES DÉPUTÉS DE GENÈVE AU SÉNAT DE BERNE. [1])

Affaire des exilés et du bailli de Ternier.

(Minute originale de la main de Calvin. Arch. de Genève. Lettres de la Seigneurie Année 1557. Bonnet II. 126. Trad. angl. III 339.)

Magnifiques seigneurs, nous sommes icy envoiez de la part de noz superieurs, pour vous declarer leurs doleances de ce quilz sont ainsi traictez comme on le voit a loeil: attendu les belles promesses dont vous les avez entretenus, et surtout les prieres et exhortations qui vous ont este faictes par les Magnifiques seigneurs des Ligues voz alliez, [2]) de ne point molester la ville de Genefve par voie de faict, mais de vuider les differens par voie de iustice. Or, si vous dictes que vous nattentez rien par violence, il vous plaira de mieux penser aux raisons quon vous a desia remonstre et que nous toucherons icy en bref.

Vous scavez que durant le temps de nostre combourgeoisie, [3]) quant nous vous avons plusieurs fois requis en vertu du debvoir mutuel que nous avions a maintenir lhonneur dune ville a laultre, quil vous pleust mectre ordre que nous ne fussions pas ainsi oultragez, comme nous estions par noz condamnez, sur ce vous avez tousiours respondu que si nous demandions iustice, quelle nous seroit faicte bonne et brefve, ainsi que vous laviez commande a voz officiers.

Nous doncq voians quil ny avoit nulle fin, mais que le mal croissoit tousiours, avons a la fin voulu essaier, apres avoir eu longue patience, si raison nous seroit faicte.

Toutefois, affin deviter toutes cavillations et subtilitez obliques en intentant la cause, nous avons notamment proteste que seulement il fut cogneu du faict des iniures, sans rien attenter a noz sentences comme aussi il ny avoit nulle raison ne propos.

Quant telle protestation neut este faicte, encor scavez vous que de droict commun, si le moindre du monde a este iniurie, cest a celluy auquel la denonce est faicte de prouver le faict ou aultrement il sera condamne. Combien doncq plus ceste raison doit elle estre gardee, quant une [4]) iustice a este oultragee par des malfaicteurs.

Or tant sen faut quon nous ait garde lequite dont on a tousiours use envers les plus mesprisez du monde, que vostre ballif nous a soubmis a prouver que nous avions bien condamne noz subiectz, voire mesme a son dire, et selon que bon luy sembleroit den prononcer. Mais oultre cela il na pas laisse de proceder contre nous en faveur desdictz condamnez, combien que laction fut commune a deux qui avoient este pendus soubz vostre iurisdiction et par vostre ordonnance. Or, puis que ceux la estoient nommez pour parties au proces, et que ceux qui restent les eussent acceptez et advouez pour leurs consortz, comme les actes en font foy, cestoit pour le moins que les heritiers prinssent la cause, puisque cestoit une action inseparable.

En cela nous avions assez iuste cause dappel, et aussi de ce que sans attendre sil y auroit appel ou non, contre tout ordre de droict, il remit a huitaine les parties en cas dappel en vostre ville. Le plus paovre marault aura dix iours pour introduire un appel, si bon luy semble. Nous voz voisins sommes forclos du droit commun, et devant quavoir ouvert la bouche, sommes renvoiez devant voz iuges des appellations, si nous pretendons dappeller.

Or est il ainsi que nous navons point appelle, mais nostre procureur a proteste de nullite, pource que a la verite la sentence du balif estoit nulle de faict, comme nous dirons tantost plus a plain.

Mais quoy quil en soit voz iuges des appellations nont pas laisse den cognoistre sans que nous feussions remis [5]) par devant eux, ny [6]) que la cause leur fut devolue. Nous vous prions de bien penser si cela a iamais este veu ny ouy, que des Iuges dappellations congneussent dune cause dont nulle des parties na iamais appelle, et sans que la partie soit remise, si elle peult estre condamnee par contumace. Et pour monstrer combien nous devions esperer en appellant au lieu que vostre ballif avoit

---

2678. 1) *Voyez l'extrait de Ruchat ci-dessus N.* 2666. *Voici la suite de cette relation:* Par une autre sentence du 5. Août le baillif libéra les fugitifs de la dénonce des Seigneurs de Genève et condamna les syndics et la communauté à faire réparation et à crier merci aux bannis, et à payer les dépens du procès qu'il régla a 1169 fl. 7 sols, au lieu de 2000 écus qu'ils avoient demandés. (*Roset* VI. 25.) Une procédure aussi étrange, qui mettoit Genève au niveau des villes sujettes de Berne, causa une rumeur et fermentation extraordinaire à Genève, d'autant plus que les fugitifs menaçoient d'exécuter eux-mêmes la sentence qu'ils avoient obtenue. Cela fit que tous ceux qui avoient des biens sur les terres de Berne sauvoient leurs blés en paille et à la hâte dans la ville. Les Genevois envoyèrent des députés à Berne (*Le Franc et Louis Roset*) pour demander qu'on surseît à l'exécution en déclarant qu'en cas de refus Genève y verroit une oeuvre de fait et de violence, quelque couleur de droit qu'on prétendît lui donner. L'exécution fut sursise. (*Reg. du Conseil* 6. *Août. Reg. de la Comp. même date.*) *La présente lettre est écrite (sur la demande du Conseil) pour servir de lettre de créance et d'exposé de la cause à défendre pour et par les députés Genevois.*

2) *à Baden en Avril et Juillet* (*N.* 2605. 2606).

3) *Le traité d'alliance entre Berne et Genève était expiré depuis le* 8. *février* 1556.

4) vostre *Bt.*

5) reniez *Bt.*

6) vu *Bt.*

reserve les despens de la cause iusque a la sentence definitifve, les dicts Iuges, sans nous ouir, nous ont condamnez a tous despens.

Vous dictes maintenant que nous en devions appeller, si nous eussions este grefvez. Et de faict il ny avoit que trop de raisons. Mais nous navons pas tant oublie la grace que Dieu nous a faicte que de remectre nostre Iurisdiction entre les mains de vostre balif, ny de voz iuges, ny dautres quels quilz soyent.

Et pource que par voz lettres, il ne semble pas que vous aiez bien entendu la necessite qui nous a contrainct a protester de nullite: de rechef nous le repliquerons icy brefvement vous priant dy mieux penser.

Quant vostre balif neut pas iuge de la cause a nostre gre, si eussions nous eu patience, usans du remede ordinaire dappellation, et encor que nous neussions pas obtenu en vostre ville ce que nous esperions, nous avions bien faict nostre compte de nous armer aussi de patience en cest endroict. Mais quant vostre balif expressement contre la protestation et la forme du proces intente a entreprins de iuger sur nous, et notoirement est sorty des limites de sa cognoissance, et na pas iuge sur la cause, mais a plus attente contre nous que nulle ville franche ne devroit et ne vouldroit contre une aultre, ceust este grande sotise a nous dappeller de sa sentence, comme sil avoit nulle iurisdiction sur nous, ou mesme ceux que vous avez commis pour iuger sur voz subiectz.

En somme, quant il ny eut eu nulle proteste, encor vostre balif devoit simplement iuger sur le faict des iniures, si on ne vouloit introduire une coustume nouvelle, que tous malfaicteurs fissent le proces a leurs iuges, en disant quilz sont mal condamnez. Mais la protestation avoit ferme la porte a vostre dict balif pour nentrer en telle cognoissance, ce que neantmoins il a faict: et pour tant est sorty hors de la cause. Voila qui nous a faict protester de nullite, en quoy nous persistons, et ne pouvions, sans nous faire grand trop [7]) et preiudice, entrer en appel, daultant que cestoit nous rendre subiectz. Ce que vous ne devez pretendre ne desirer.

Maintenant il est advenu que vostre balif aiant comme susdict ..... [8]) taxe les despens ausquelz soubz umbre de contumace on nous a condamnez, sans nous avoir remis, sur le champ a donne sentence definitive contre nous, condamnant nostre procureur general a faire telle reparation honorable a des pendars et iustement condamnez a estre mis au gibet, comme de droict ilz estoient tenus de la nous faire, avec tous dommages et interestz.

Nous ne sommes pas si hebetez que nous ne voions ou cela tend. Et de faict on a veu par trop que la partie adverse se tenoit bien asseuree davoir gaigne sa cause devant que le Iuge eut prononce, veu que tous sont devenus chevalliers souldain, combien que leur estat ne portat iamais daller qua pied, et que iamais on ne les y ait veu qua ceste heure, comme silz vouloient monstrer que nostre bourse est entre leurs mains.

Mais encor de cela nous le laissons, pource que ce nest pas vostre faict. Seulement quant a ce qui vous concerne, nous vous prions au nom de Dieu de mieux priser ce qui desia vous a este remonstre. Car [9]) toute la procedure qui sest faicte depuis la sentence de vostre balif, par laquelle il ordonnoit que noz proces luy fussent produictz pour iuger dessus, a este nulle.

Et de faict luy mesme la assez monstre. Car devant que donner telle ordonnance, il requit nostre procureur de se vouloir se depporter de sa protestation. Et voiant quil ne pouvoit obtenir cela, il declaira quil nen pouvoit prononcer, sil ne luy estoit commande. Il veoit bien doncq quil ne luy estoit licite dattenter ce quil a faict depuis, nous ne scavons de quelle authorite ou adveu.

Mais puis quainsi est, nous vous prions nous scavoir a dire sil vous plaist dacquiescer au deppart de Bade, comme noz superieurs lont tousiours pense, sinon quilz ont este fort esbahis que quant par deux ou trois fois ilz vous ont requis et sollicitez de tenir iournee commune, ou il fut cogneu des differens qui sont ville a ville, vous avez dissimule cela en voz responses: qui nest pas, comme il nous semble, selon lintention de voz alliez.

Nous scavons que vous estes forts et puissants: mais tant plus devez vous moderer le pouvoir que Dieu vous a donne a supporter voz paovres voisins a ce quilz se puissent entretenir avec vous.

De nostre coste, nous cognoissons nostre petitesse, et ne sommes pas si desprouveuz de sens, Dieu mercy, pour nous enorgueillir oultre mesure. Mais, sinon quil vous plaise de prevenir [10]) par remede opportun, nous ne pouvons souffrir destre ainsi foullez que nous naions recours ou nous esperons de le trouver, comme Dieu nous y a donne entree. Cest que par les seigneurs des Ligues, il soit cogneu qui a tord ou droict.

Toutefois nous esperons quaiantz entendu ces

---

7) *C'est ainsi qu'on lit dans l'autographe. M. Bonnet suppose avec raison que c'est une faute involontaire de l'auteur qui a voulu dire:* tort.

8) *mots illisibles omis par M. Bt.*

9) *Ce mot* car *a été changé en* que *par une autre main.*

10) subvenir *Bt.*

raisons, comme nous declarons nostre cueur envers vous, que de vostre coste vous donnerez response si equitable que nos seigneurs sen pourront contenter, et que les troubles et scandales qui en pourront advenir seront abbatus. Et de faict, le diable a desia la bride trop laschee, sans que nous luy en donnions nouvelles occasions.

Au reste, en cas que vostre balif attente rien pour exequuter sa sentence, nous protestons, quelque couleur ou formalite de iustice quil y ait, que ce sera voie de faict et violence dont nous vous prions de rechef au nom de Dieu vous depporter.

2679.

CALVINUS BULLINGERO. [1]

Graviter invehitur in Bernenses omnibus modis senatum et cives Genevenses vexantes et exsules in suam recipientes clientelam.

(Exstat a Ionvillaeo currente calamo scripta in Cod. Genev. 107[a] fol. 158. Turretinus descripsit in Cod. 108. fol. 83, recentior manus in Cod. 111[b] fol. 6 v. Ter occurrit in Epp. Bern. Tom. VI. p. 529, 674 et 691 et apud Simlerum vol. 90. Vers. angl. III. 344.)

S. Dum in defensione communis doctrinae occupor,[2] ecce vicini crudele nobiscum bellum gerunt, quo et ecclesiam hanc pessum dent et urbem funditus evertant. Sed haec merces Christi servis ab ingrato mundo speranda est. Prae moerore vix enarrare possum. Quia exsules nullum toto sesquianno fecerant maledicendi finem, et saepius rogati Bernates responderant: apud praefectos esse expostulandum, eorum hortatu nostri conquesti sunt de contumeliis, et quia suspicabantur (quod eventu probatum est) vafre se et malitiose tentari, ne laqueos sibi per incogitantiam induerent, diserte ante litis contestationem praefati erant se hac lege agere ut tantum probra et calumnias compesceret praefectus ac de ipso facto (ut loquuntur) cognosceret, sententias vero a senatu nostro contra exsules latas ne attingeret. Postquam autem manifestis signis ostendit praefectus, se professum esse hostem, scis-

2679. 1) *Simlerus in margine:* Haec epistola forte ad alium quam Bullingerum est data. Quod si ad eundem, certe non est transmissa, ut patet ex epistola Calvini ad Bullingerum die sequenti data, qua eadem iisdem verbis saepe, licet brevius multo significat. *Sine causa hic haerebat vir clar. Autor hac suppressa alteram scripsit et Turicum misit. Nos utramque tibi offerimus.*

2) *Ultima admonitio ad Westphalum sub prelo erat.*

citatus est demum an procurator urbis supersedere a sua protestatione vellet. Hoc non impetrato negavit se ius posse reddere. Paulo post iussus est pronunciare. Dixit ergo se cogniturum de tota causa a principio et procuratori iniunxit ut suo examini subiceret quidquid actum hic fuerat. Nulla sic erat provocandi causa quia extra litem pronunciabat. Ergo de nullitate protestatus est, quum neque idoneus esset iudex neque intra officii sui fines se contineret. Quum soleant contentiosissimis quibusque dare quadraginta dies ad prosequendam appellationem, octavo post die iterum Bernae damnati sunt nostri. Atrocior etiam data fuit sententia, ut sumptus omnes nostri mox rependerent. Nemo provocaverat, illi tamen iudicant: nostri vocati non fuerant, damnantur tamen contumaciae praetextu. Non arbitror hoc saeculo tam foedum exstitisse impudentiae exemplum. Non ad exsequendum modo festinat praefectus, sed iterum pronunciat, quoniam priori sententiae non est satisfactum: exsules esse innoxios, syndicos, senatum et totum urbis corpus ad subeundam eandem ignominiam et sarcienda omnia damna condemnat, perinde ac si nos praedae subiiceret, atque intra muros urbis teneret obsessos. Non loquor hyperbolice: scias hoc uno solo cives et fortunis omnibus spoliatos et in custodiam coniectos, ne quis egredi audeat. Hic iam portentum barbarae saevitiae audis, quod ne a belluis quidem metuendum erat. Quod si feratur, ubi humanitas? Et boni fratres nostri Bernenses ostiosi quiescunt.

2680.

CALVINUS BULLINGERO. [1]

Eadem tractat sed multo sedatiore animo. Scriptum suum contra Saxones commendat, Bezae confessionem defendit, Pollanum notat, Martinengum aegrotare nunciat.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 33. — Simler Vol. 90.)

Ornatissimo viro et fido ecclesiae Tigurinae pastori D. Henricho Bullingero fratri et symmystae observando.

S. Dum in defensione communis doctrinae occupor et strenue laboro, quam iniquam mercedem

2680. 1) *Vide praeced. not.* 1.

rependant vicini, quia prae moerore nequeo, hic amicus noster [2]) tibi narrabit. Et boni fratres nostri [3]), qui pro suggestu quotidie de sanctorum communicatione disserunt, tanto discrimine non moventur. Si nulla urbis huius cura eos tangit, ecclesiam pessumdari quomodo ex sua quiete spectant? Non loquar hyperbolice. Nisi mature succurritur, scito nostris exsulibus civium omnium fortunas esse in praedam datas, et omnes in custodiam coniectos ne quis egredi audeat. Haec indignitas, quamvis hominum silentio tegatur, lapides ipsos concutere debet. Spero tamen, simul ac exposita res fuerit, tempestivum fore remedium. Apud vestros quidem neque fides tua, scio, neque sedulitas deerit.

Quam vero dextre me gesserim contra Saxones, vos iudicabitis. Librum enim malui nondum absolutum mittere, quam vos tenere exspectatione suspensos. Quum sciam me accersere omnium odia, erit mihi hoc non mediocris solatii loco, si vobis officium meum saltem placuerit. Certe quia Deo gratum esse confido, intrepide et alacriter belluarum istarum rabiem in me provocare non dubitavi.

In *Bezae* confessione, quia nihil subest periculi, facile excuso quod in fratrum gratiam moderatione adhibita studuerit placare feros homines: [4]) praesertim quia distincte prius explicuerat omnes suos sensus. Ut vos in reditu celaret, factum esse mera incogitantia [5]) certo tibi persuade. Neque enim scivissem nisi et huc usque virus suum sparsisset *Valerandus*, cuius ambitio vel temeritas Francofordiae coegit Gallos et Anglos hospites Augustanae confessioni subscribere, exceptione tamen interposita de voce substantialiter. [6]) Decretum fuit ne posthac Germanici concionatores illis molesti sint, donec conveniant ex utraque parte praecipui. Utinam non impedierit vestrorum hominum morositas quod nobis summopere optandum fuit, qua vero de causa repudiatum fuerit nescio. Vale, ornatissime vir et observande frater. D. *Petrum Martyrem* plurimum salvere cupio, D. *Gualtherum* et reliquos collegas. Amici omnes te reverenter salutant. Genevae 7. Idus Augusti 1557.

D. Martyri.

Comes *Martinengus* adhuc decumbit, sed absque periculo. Desperavimus de vita quatuor vel quinque integros dies. Nunc sola ex morbo debilitas hominem in lecto retinet.

2) *Rosetus archigrammateus. Bullingerus in margine:* Der Stattschryber ist hie zum Schwert.

3) *Ministri Bernenses, quos satis immerito taxat quum in causa quae ad eos minime pertinebat pro exteris contra suum senatum agere non potuerint.*

4) *Legisti ipsum Bezam N.* 2676.

5) *Relegas eundem N.* 2663.

6) Quum ministerium Francf. urgeret subscriptionem A. C. a Pollano, respondit se nunquam eam legisse. Monitus ut legeret suamque de ea proferret sententiam, Veneris sequente die in conventu nostro produxit exemplum a D. Stockio mutuo acceptum, iamque a se subscriptum, affirmans eam doctrinam cum verbo Dei congruere paucissimis exceptis quae ipse in oblato exemplo adiecerat. Hinc patet cur tali subscriptione contenti non fuerint. (*Not. ad Pollani Antidot. adv. Westph. in Frkf. Rel. Hndl. II. Beil.* 228, *cf. Gegenbericht d. Pred.* §. 32 *sq. ib. Beil.* 59. *Fresen. p.* 76.) *Iam mireris Calvinum tam inique ferre quod Pollanus fecit, quum ipse idem se fecisse fateatur* (*N.* 2607).

2681.

VIRETUS CALVINO.

Pertinet ad negotia pro paranda pace inter ecclesias suscepta.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 65.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino fido ecclesiae Genevensis pastori fratri et symmystae observando.

Genevae.

S. Mitto ad te literas quas ad me *Farellus* scripsit, ex quibus cognosces quid abs te requirat in causa Argentinensis et Francofordiensis ecclesiae. Quod scribit de consilio *Lethei* qui Orbae agit, pertinet ad illud consilium de sollicitandis Germanis pro concordia, de quo nuper ad te scripsi, sed tu nihil respondisti. Ego quid consulam non sat scio. Tu scribe tuam sententiam, si videbitur, ad *Farellum*: aut si mavis illam mihi indicare, ego illum faciam certiorem, ac simul addam si quid suppetat consilii. Salutant te uxor et tota familia, et *Beza*. Vale optime ac diutissime. Lausannae ix. Augusti. [1])

Tuus Petrus Viretus.

2681. 1) *Nimis breviter et obscure hic sunt omnia exposita quam ut accurate vel argumentum vel natales epistolae definire ausimus. Anno quidem* 1556 *Calvinus m. Augusto iter in Germaniam parabat, a.* 1557 *vero Farellus ipse. Nobis magis arridet haec posterior ratio.*

2682.

BULLINGERUS CALVINO.

Bezae confessionem de coena perstringit, eo praesertim nomine quod is Helveticarum ecclesiarum fidem declarare praesumpserit quae tamen omnino alia sit.

(Videtur haec esse mera adumbratio scribendae epistolae, hac quidem forma nunquam Genevam missae, et quidem, nisi fallimur, bis inchoatae. Exstat Turici in Archivis Scrin. C. Epp. Tom. II. fol. 387, nunc Plut. VI. Vol. 117b, et ap. Simlerum Vol. 90. Etiam in ligando volumine peccatum est. Incipit enim textus fol. verso. Prior pars linea inducta deleta; tum a media pagina sequitur altera pars, quam Simlerus alteri praepositam primam fecit, cuiusque ultima verba in folio recto leguntur. Caeterum constat Bullingerum revera de Bezae confessione ad Calvinum scripsisse. Vide eius epistolam proxime sequentem. Cf. etiam N. 2662.)

Ad Calvinum 13. Augusti 1557.

Non putamus huiusmodi loquutionibus utendum, in causa tanto tempore controversa, quibus simpliciores offendi possunt. Mea quidem sententia oportet nos simpliciter confiteri veritatem, et verbis uti planis et sententiis disertis, ne vel adversariis imponere, vel nobis in causa nostra metuere videamur. Ac vide nunc, mi *Calvine* frater et domine colende, si veniendum sit ad colloquium, quo nexu nos isti involverint. Nam agnoscere ego coram Deo et ecclesiis eiusmodi confessionem non possum. Si ergo non ego tantum, sed alii quoque plures, contradixerimus, clamabit *Westphalus*: Annon dixeram illos inter se dissentire? etc. Quid vero necesse fuit talem in principum manibus confessionem relinquere, et quidem sine nobis, et insciis aut inconsultis nobis: interim non sine nobis et nostro nomine, quasi nos quoque ita doceamus. Si de se ipsis hoc professi fuissent, tolerabiliora essent omnia. Torquet ergo me illa confessio, praesertim quum sciam quomodo excepta sit ab adversariis et quomodo usurpanda contra nos, et si aliquando in lucem venerit quam pios sit offensura, quam causae communi veritatis sit incommodatura. Mihi quidem non videtur congruere cum iis quae sunt in Consensione et in libris editis contra *Westphalum*. Haec libere apud te profiteor, et Dominum oro ut omnia ad gloriam nominis sui vertat. Vale cum symmystis et fratribus omnibus. Si haec communicaveris cum D. *Beza* non ingratum erit.

Nunquam ego putassem *Bezam* nostrum huiusmodi confessionem in Principum manibus relicturum, qualem reliquisse iam nihil dubito. Ursit is una cum *Farello*, vehementer instaremus apud nostros ut colloquium instituatur: tacuerunt autem se confessionem obtulisse insciis nobis, et talem quidem quae contra nos cum adversariis faciat. Non enim agnoscimus in ecclesiis nostris de coena sic hactenus docuisse vel nos vel antecessores nostros, sicuti illi confitentur. Confitemur autem in consensione nostra et nostrorum et nostram contineri sententiam. Si voluerant nostram principibus offerre confessionem, quare consensionem non obtulerunt? etc.

2683.

LE SÉNAT DE GENÈVE A SES AMBASSADEURS AUX LIGUES. [1]

Invitation leur est faite de se rendre de nouveau à Berne pour essayer d'arriver à une entente cordiale.

(Minute originale de la main de Calvin, sur la même feuille que la pièce N. 2678. Arch. de Genève. Lettres de la Seigneurie. Année 1557. Bonnet II. 135. Trad. angl. III. 348.)

Nobles, sages, feaux et treschers freres, nos salutations premises, aians este advertis par voz lettres de ce quaviez faict a Berne, nous avons signifie iournee amiable ausdits seigneurs au penultiesme de ce mois pour essaier quel moien il y aura de sortir de ces fascheries. Et pource que la chose estant de consequence, il sera besoing avoir la plus grand nombre de gens que nous navons delibere y envoier: advisez de faire telle diligence que vous y soiez. Car vostre absence nous porteroit grand interest. Parquoy nous vous prions et exhortons ny faillir. Nous sommes tout persuadez que les propos que vous avez ouy en passant ne vous auront retarde a parachever vostre commission, et en comptant les iours nous pensons bien que pourrez venir a temps pour traicter a Berne, si dadventure il y avoit moien dapaiser une partie des differens. Mais encore la presente veue, hastez vous tant quil vous sera possible. Ce pendant Dieu vous ait en sa garde, et vous guide tousiours iusque a ce quil

---

2683. 1) *M. Bonnet a placé cette lettre à la suite de celle qui va suivre. Nous pensons cependant qu'il faut lui assigner la première place. Ici nous avons les instructions données aux députés chargés de nouvelles négociations à Berne et devant remettre au Conseil de cette république la lettre de celui de Genève.*

vous rameine en bonne prosperite, affin que nous aions a le louer tant mieux. De Geneve ce 18. daoust 1557.[2])

2684.

LE SÉNAT DE GENÈVE A CELUI DE BERNE.

Suite de l'affaire des exilés et du bailli de Ternier.[1]) *Lettre à remettre par les ambassadeurs.*

(Minute originale de la main de Calvin. Arch. de Genève. Lettres de la Seigneurie. Année 1557. Bonnet II. 133. Trad. angl. III. 346.)

Magnifiques, puissans et tresredoubtez seigneurs, noz amyables salutations premises.[2]) Nous avons este advertis par nos ambassadeurs de la response quilz eurent de vous le 11me de ce mois, et combien que nous ne scachons pas du tout vostre intention, comme il seroit bien requis, toutefois pource que la iournee commune de Bade approche,[3]) en laquelle il sera expedient, voire du tout necessaire que les Magnifiques seigneurs vos alliez scachent ce qui aura este faict entre nous, affin que les choses ne demeurent tousiours en suspend, sans attendre aultre response de vous, il nous a semble bon vous notifier quau penultiesme de ce mois, noz commis arriveront en vostre ville pour traicter, sil vous plaist, de quelque bon appoinctement, devant quil en faille venir plus oultre. Desia parcydevant nous vous en avons priez et sollicitez, et sommes esbahis aquoy il a tenu que iamais naiez donné un seul mot de response. Toutefois quant il vous viendra maintenant a gre, si vauldra il mieux tard que iamais. Encor sil vous plaist nous informer plus a plain de vostre intention par ce messager, nous en serons bien aises, et vous en prions, affin de pouvoir donner meilleure charge a nosdictz commis.

Il y a un point que ne pouvons dissimuler, cest que tenir iournee amiable pour appoincter avec noz condamnez et fuitifz, il nous est impossible dentrer en ce propos. Car nous aimerions mieux venir a toute extremite, que deroguer en facon que ce soit a nostre iustice, ny aussi dappointer avec preiudice de nostre honneur, et en souffrant les blasmes, iniures et opprobres qui nous ont este faictz, comme mesme vous voiez que cest chose insupportable, que vostre ballif nestant iuge competent, mesme naiant que voir ne cognoistre en cest endroict, renversant des sentences souveraines, nous ait condamnez a faire amende honorable a des pendars.[4]) Tellement que nous esperons que devant toutes choses, remede y sera donne pour annuller telle sentence: voire si estrange et exorbitante que nous desirons que la cognoissance nen vienne pas plus loing, mais que par vostre prudence elle soit abolie, comme de tout droict elle doit estre nulle. Nous nen disons non plus, estimans que la chose de soy ne vous sera douteuse ny obscure, sans quon vous en face plus longue remonstrance.

Au reste quant nostre honeur sera restably, eux demeurans en leur condemnation, lors nous ne sommes pas ceus qui vueillions refuser de vous gratifier en ce qui nous sera possible. Nous vous prions doncq affectueusement quil vous plaise donner ordre que noz commis soient ouis, quant ils seront la arrivez, et quon essaie encor sil y aura quelque bon moien daccorder tant de la combourgeoisie que du reste, affin que le rapport en soit faict a voz alliez a la iournee prochaine, daultant que plus long deslay ne peult apporter que dommage. Vous voiez aussi que les troubles presens nous doivent inciter a chercher bon repos. Priant[5]) sur ce nostre Seigneur quil vous doint sa saincte grace, de Geneve ce 18. daoust.

---

2) *Les pourparlers du* 30. *Août n'aboutirent pas.* Les Genevois recoururent encore à la diète de Bade assemblée en Septembre, et sur leurs représentations les cantons exhortèrent les Bernois à traiter les Genevois avec douceur et à ne pas user de voies de fait contre eux, mais plutôt à renouer avec eux une alliance solide et durable et à nommer quatre cantons qui au besoin pourroient servir de médiateurs. (*Ruchat* VI. 191.) *D'après cet auteur il paraît même qu'on était enclin à recevoir Genève dans la Confédération au même titre que Rothwyl et Mulhouse, les Genevois ayant eu beaucoup de prévenances pour les officiers et soldats de quelques cantons passant par leur ville pour aller prendre du service en France. L'arrangement ne se fit pas parce que les Genevois refusèrent d'*octroyer une messe *à ceux qui passeraient, en retour des avantages qu'ils retireraient de leur entrée dans la confédération.* (*Roset* VI. 28.)

2684. 1) *Voyez N.* 2678 *et le Registre du Conseil au* 18. *Août:* Lettre de noz deputez en Suisse par laquelle ilz nous apprennent ce qu'ilz ont fait à Berne et à Soleure, et qu'ilz ont convenu d'une iournee amiable qui devra estre tenue à Berne, au 30me de ce mois, et pour laquelle le Conseil a nommé les seigneurs Curtet et Migerand. *Cette journée fut encore sans résultat.* (*Chronique de Roset* VI. 35. *Ruchat t.* VI. *p.* 229.)

2) puissans . . . . premises, *mots ajoutés par une autre main.*

3) *Elle eut lieu en Septembre.*

4) a des pendars *om. Bt.*

5) *le reste est d'une autre main.*

2685.

BEZA BULLINGERO.

Ultima responsio Calvini ad Westphalum iam absoluta est.

(Excerptum ex apographo Cod. Genev. 119, fol. 145, quod etiam legitur in Cod. 111b, fol. 20 et in Epp. Bern. VI. 335.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

Habes reliquam partem Ultimae responsionis D. *Calvini*, hominis nimirum digni vel propter hunc sacrum laborem quem vicini magis quam ipsum Satanam perditum cum tot exsulum chiliadibus cupiant — — — — — — 18. Augusti.

Th. Beza.

2686.

BULLINGERUS CALVINO.

Paucis tantum attingit negotia publica de quibus ille nuper scripserat, pluribus de novo eius scripto gratias agit. Iterum Bezae confessionem notat, quippe quae concordiam exoptatam minime promotura sit. Ipse certe de colloquio Wormaciae instituendo nihil sperat. Addit nonnulla ex theatro bellico et commendat iuvenem medicinae studiosum.

(Legitur in Cod. Turicensi Arch. Plut. VI. Vol. 117b, olim Scrin. C. Epp. Tom. II. fol. 374. — Simler. Vol. 90.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fideli et vigilanti domino meo colendissimo et fratri longe carissimo.

Genff.

S. D. Exposuit mihi iam nunc D. *Rosetus* [1]) iniurias urbi vestrae illatas et pericula impendentia. Vix autem dixero quam excrucient illa animum meum. Confugiendum erit ad coeleste auxilium et sedulo ille implorandus qui non deserit invocantes nomen ipsius. De nostris plane nihil dubito. Nam nunc colloquutus sum cum consule, ex quo intellexi cras in senatu audiendos vestros legatos: intellexi promptam eius in vos vestramque causam voluntatem. Non possum ego mirari satis vicinorum vestrorum duritiem. Dominus leniat corda ipsorum.

Non potuisses alium librum hoc tempore gratiorem mittere quam eum quem misisti. [2]) Ago tibi gratias, domine et frater, pro laboribus in communi omnium nostrorum causa susceptis. Non omnes ingrati erunt tibi, utcunque nonnulli videantur non satis expendere beneficia ipsis quoque collata. Magno desiderio librum illum legere cupio. Nam quum hodie negotia mihi essent quae differre in aliud tempus non potui, et literas tuas et librum misi ad D. *Martyrem*, obsecrans ut illum vel cras vel postridie reddat legendum, ipse interea eo fruatur. Ex primis aliquot foliis leviter inspectis facile colligo optima fide egisse te et Christi et nostrum in causa coenae dominicae negotium. Sed ubi legero librum scribam ad te. Tu submitte, obsecro, et folia residua. Utcunque saeviant adversarii stabit tamen invicta veritas, pro qua ipse omnino existimo extrema quaeque subeunda.

Superioribus diebus quaedam ad te scripsi [3]) de confessione *Bezae*, quae obsecro ne ita accipias ut dolorem dolori adiicias. Ego quidem aliter loqui non possum, ac quo magis diligo *Bezam*, eo impensius vellem nihil tale ab ipso editum. Si nihil esset periculi ego quidem dissimularem. Sed metuo adversarios ex hac triumphaturos: metuo infirmiores vehementer offendendos et hostes contra nos et causam bonam illa confesssione abusuros. Sed hoc in praesenti commendabimus tempori. Interea quid sperem ab illis hominibus, etiamsi in colloquium perveniatur, nescio, imo in diem magis magïsque dubito. Nam eiusmodi scribunt ac dicunt, ut ex his nihil boni speres. Nunc dicuntur colloqui cum papistis Wormatiae, [4]) ac periculum facere num cum his possint inire concordiam. Quod tam mihi possibile videtur quam convertere lucem et tenebras et legem miscere cum evangelio. Ac audio non paucos esse qui sperent nescio quam concordiam. Ego malo cum Christo et veritate sincera concors esse et discors cum istis omnibus, quam cum his congruere et de rebus Christi vel latum pilum cedere. Metuo praepotentes aliquot crasim appetere non ineundam [5]) spiritui sed carni. Ego Dominum oro ut dissipet consilia Achitophelis. Sunt qui existiment regem Sedechiam, *Ferdinandum* dicere volebam, non serio permisisse colloquium, [6]) sed ut

---

2686. 1) *qui legationem susceperat ad Bernenses primum, tum etiam ad Turicenses et ad comitia Badensia.*

2) *Ultimam admonitionem.*

3) *N.* 2682.

4) *Cf. N.* 2677. *Ipsum colloquium inchoatum est demum a. d. III. Id. Sept.*

5) *legere posses:* iucundam.

6) *In comitiis Ratisbonensibus Catholici concilium flagitaverant quod negotium religionis componeret, Protestantes colloquium. Rex neutrum approbaverat, illud scilicet politicis de causis vix congregandum, hoc vero ut nihil profuturum.*

vectigal hoc praetextu ex Germania maximum colligeret. Hunc ergo arbitrantur brevi turbaturum colloquium, vel si non turbet curaturum tamen ne eventum sortiatur felicem. Hoc certum est, optime *Calvine*, et Regem et Augustum in omnibus comitiis imperialibus diligentissime cavisse et requisivisse ab ordinibus imperii ne vel congruerent nobiscum vel ferrent sacramentarios. Ideo vero reges dissimularunt ad Lutheranismum, qui ipsis nostra doctrina videbatur tolerabilior. Et principes plerique evangelici a nobis et nostra doctrina abhorruerunt ut in qualicunque regum gratia manerent. Adhuc illi ipsi metuunt sibi: neque nos ferent ulla ratione,[7]) etiamsi colloquamur centies, nisi simpliciter recipiamus Augustanam confessionem eique subscribamus, et iuxta eandem nos docturos polliceamur. Id quod ego multas graves ob causas nunquam polliceri potero, qui certissime, vel ex recessibus et aliis argumentis, didici olim quomodo conscripta, Imperatori oblata receptaque sit. Nuper, dum clarissimus vir Ioannes *a Lasco* diu et multum cum *Brentio* colloquutus esset,[8]) Princeps tandem mysterium detexit et diserte dixit, se non videre ullum huic malo dissidioque remedium quam si ipse confessionem Augustanam recipiat, et ut peregrinorum ecclesia eandem approbet et omnia sua ad eam componat. En palam hic loquutus est Princeps et proverbium nullum dixit. Eiusdem cum hoc et reliqui sententiae sunt. De quo iam plura non dicam. Utinam nos hoc ipsum post laboriosa sumptuosa et periculosa colloquia non experiamur aliquando. Nam isti homines ita sunt instituti ut nisi ipsis subscribas per omnia suspectus habeare.

Ex Italia audimus signa Helvetiorum x., quae autore sceleratissimo Tarracina * episcopo manciparunt se pontificis militiae 23. Iulii ab M. Antonio de *Columna* concisa et prope deleta esse non procul a Paleano.[9]) Dicitur et lues in exercitu Guysiano plurimos corrumpere eumque exercitum magno versari in periculo. Nunc egrediuntur rursus signa aliquot Helvetica in subsidium Guysiani exercitus. Caeterum graviter inter se dissident civitates et pagi. Suicii non modo nullum nunc militem regi dare volunt, sed insuper renunciant foederi et militem ex castris Gallicis revocant. Claronenses, Basilienses, Schaffhusiani etc. negant et ipsi militem. Graves sunt apud multos altercationes. Hoc certum est, nos Tiguri tumultum nunc gravissimum habituros, si unquam foedere Gallo connexi fuissemus. Nunc gratias agunt Domino etiam vulgares quique. Nam graviora timemus omnes. Dominus concedat pacem et tranquillitatem. Consultius fecissent Suitii si extra Regis periculum, dum omnia adhuc erant integra et tuta, foedus Regi renunciassent. Nunc quum gravi versatur in periculo Rex, nescio quam prudenter agant quod agunt. (Dicitur item classis Turcica appropinquare Apuliae in auxilium Galli contra Philippum.)[10])

D. *Martyr*, D. *Gualtherus*, omnes symmystae, generi denique mei te inprimis et tuos symmystas, fratres nostros carissimos, salvere iubent, et benedictionem Domini imprecantur. Ama nos, care frater, et oremus sedulo Dominum ut nos in gravibus periculis servet.

Qui hasce tibi affert literas D. Antonius *Schneebergerus*,[11]) doctus et pius valde vir Tigurinus et medicinae studiosus, bonis natus parentibus, oravit ut ipsum tibi commendarem, ut te videre et tecum colloqui posset. Proficiscitur in Galliam studiorum causa. Proinde si tu illum alicubi iuvare potes et commendare viris doctis et piis, quaeso ita te erga ipsum geras ut sentiat meam commendationem tibi cordi ipsique utilem fuisse. Iterum iterumque vale. Tiguri 20. Augusti anno 1557.

Bullingerus tuus.

Suadebat consultationem instituendam inter viros doctos et principum consiliarios, quasi id meliorem spem facere potuisset. (*Heppe, Gesch. des d. Prot.* I. 137.)

7) *Vinarienses consiliarii et theologi iussi erant et ipsi inconcusse Augustanam, Apologiam et articulos Smalcaldicos asserere et caeteros legatos adigere ut omnes haereticos damnarent, inter quos praeter Anabaptistas primo loco Zwinglianos et sacramentarios designabant.* (*Salig* III. 295. *Planck* VI. 129.)

8) *Acta habuisti m. Maio* 1556 *N.* 2463 *seq.*

9) *De hoc proelio v. Thuanum l.* 18. *Tom.* II. 481 *ed. gall. Basil. Helvetii maxime ex pago Unterwalden fuerunt.*

10) *Haec in margine.*

11) *natus a.* 1534 *postea scriptis medicis clarus Cracoviam sibi domicilium elegit. Filius eius Petrus fuit prof. philos. Bernae.* (*Ruchat* VI. 228.)

2687.

MUSCULUS BULLINGERO.

Iudicium suum de Bezae confessione profert et quidem minime favorabile.

(Describimus hanc ex Simleri Vol. 90, qui se autographon apud Breitingerum asservatum tractasse affirmat. In Archivis Turicensibus frustra quaesivimus.)

Praestantissimo theologo D. Henricho Bullingero domino ac compatri suo carissimo.

Tiguri.

S. Accepi tuas, *Bullingere* compater in Domino carissime, quibus a me petis quid de confessione D. *Farelli* ac *Bezae* hac aestate Geppingae de coena Domini scripta et Principi Wirtemp. oblata sentiam. Quum eam huc D. *Hallero* compatri meo misisses, non satis persuadebar tale quid a duobus istis fratribus in Domino carissimis esse factum. Iam vero quoniam eam *Calvinus* noster ab ipso *Beza* acceptam *Petro Martyri* misit contristor admodum ac vehementer miror quaenam fuerit ipsis necessitas sine symmystarum praecipuorum saltem conscientia talem componere confessionem, illique tituli vice praemittere quod ad hunc modum in ecclesiis Helveticis et Sabaudicis doceatur. Sunt hi duo fratres digni quos merito habeamus in pretio, quum pietatis et eruditionis nomine tum quod senior ille ac veteranus Christi miles fideliter ac dextre causae veritatis propagandae multos iam annos haud absque fructu servivit. Quare me factum illorum hoc amplius turbat quo vel nobis vel sibi ipsis negotium pepererunt, si processurum sit colloquium, quo magis utrumque in Domino amanter complector. Caeterum quae de substantia Christi, carne videlicet ac sanguine eius ac illius praesentia in coena, scribunt, meo iudicio magis disputationis quae per illa inter nos excitari poterit, quam conciliationis cum Lutheranis fratribus ineundae materiam habent. Quare eiusmodi loquutiones non probo. Quemadmodum nec illud quod modum praesentiae huius soli deo cognitum esse et tamen a nobis credi dicunt. — — — — — — — — — — Bernae xx. Augusti 1557.

W. Musculus
tuus in Domino totus.

2688.

MICRONIUS BULLINGERO.

Prodiit confessio ecclesiarum Saxonicarum de re eucharistica in qua ecclesia Nordensis calumniis impetitur. Contra has apologiam scripsit.

(Ex Füsslini Centuria N. 87, p. 407.)

— — — — — — — — — — — — — — — — — —

Non te arbitror latere hac aestate in lucem prodiisse confessionem ecclesiarum Saxonicarum de re eucharistica,[1]) cui multae et variae subinsertae sunt literae, inter quas variae sub calcem fere adversus nos Nordanos sunt. Consilium igitur fratrum omnium fuit, ut publice nos ab eiusmodi calumniis purgaremus. Tota igitur hac aestate, dum otium fuit, in conscribenda apologia laboravi, cui tractatum de eucharistica re, in quo adversariorum argumenta ordine pro mea tenuitate dilui, adieci. Verum iam multi eius dissuadent editionem, ne pacem, quae in superiori conciliolo Francofordiano coepta videtur, nostro scripto perturbare aut impedire videamur. Ita hic suspensus haereo, quid consulto opus sit, ederene an premere responsionem nostram debeamus. Ecclesiae porro nostrae loco iam sunt bono et tranquillo, quemadmodum et vestram esse speramus beneficio Dei, qui vos omnes sospitet ad nominis sui gloriam. Vale. Raptim Nordae 1557 Augusti 23.

Tuae humanitati addictissimus
Martinus Micronius.

2688. 1) *Vide Prolegg. nostra Opp. Vol. IX. p. xxi.*

2689.

BEZA BULLINGERO ET VERMILIO.

Confessionem suam et Farelli de coena Duci Wirtembergensi traditam vindicat, excusat, explicat, maxime allatis excerptis ex suis Annotationibus in N. T.

(Ex autographo Arch. Turic. Scrin. C. Epp. Tom. IV. nunc Plut. VI. Vol. 117d, Fol. 471. Simler Vol. 90. Edidit Baum. I. 471.)

Eximiis Christi servis patribus mihi in Domino plurimum observandis D. Henrico Bullingero et D. Petro Martyri.

Tiguri.

Salutem et pacem a Domino.

Morbus[1]) partim ex moerore, partim ex illa contagione, quae singulos paene homines in his regionibus hoc mense invasit, contractus ita me afflixit ut in hunc usque diem fuerim coactus responsum differre ad eas literas quas a vobis postremas accepi et nunc quoque contra consuetudinem meam communes vobis literas scribam, minime id quidem quasi vel mihi per se molestum sit ad vos sigillatim scribere, vel si qua etiam hic esset molestia, non eam fuerim perlibenter subiturus, sed partim quod non-

2689. 1) *Vide Baum* I. 284.

dum sim ita confirmatus ut diuturnae scriptionis laborem possim sustinere, partim quod mihi persuaserim, vos non iniquo animo passuros, ut dum valetudini meae servio, binis quidem sed unius et euisdem argumenti literis unico responso satisfaciam. Id ego vero conabor, quam paucissimis verbis fieri poterit, praestare. Sic igitur de me habete, patres mihi in Domino observandissimi. Quicunque de me rumor sit sparsus ab iis qui meam illam et D. *Farelli* confessionem sinistre sunt interpretati, nunquam tamen mihi persuadere potui, vos de mea fide dubitare. Si tamen ita est, spero fore ut ista vobis satisfaciant, quae ex nostris in N. T. annotationibus nuper editis exscribere non piguit ut vobis adeundi ipsius exemplaris laborem eximam.

Matth. c. 26. v. 26. *Est*, ἐστί, metonymice, ita tamen ut sciamus una cum signo a credentibus vere percipi spirituali modo id quod externo symbolo repraesentatur, totum scil. Christum cum suis donis. Neque tamen vel transsubstantiatio, vel localis quam vocant coniunctio vel transfusio aut commistio cogitanda sed signi et rei coniunctio symbolica et sacramentalis: quum illa neque consistere possint cum veritate humanitatis Christi neque ad salutem sint necessaria. Neque enim ut Christi participes fiamus, eum oportet e coelo deducere, sed potius spiritus sancti virtute et fide in coelum ascendere et illic eum complecti, ut cum eo consideamus in coelestibus. In summa, vere nos coniungi et unum fieri cum toto Christo Deo et homine necesse est ut salvi simus: quod non alio quam spirituali modo fit, per fidem, quae quidem fides in nobis creatur et confirmatur per spiritum sanctum idque praedicatione verbi Dei, et adiunctis praedicationi symbolis quibus omnes nostri sensus excitantur et percelluntur, ut vere mittamur in Christi ipsius possessionem.[2])

Ibidem vers. 28 in haec verba: „*hoc est sanguis meus.*“ Vulgata et Erasmus: hic est sanguis meus, referentes scil. pronomen τοῦτο ad αἷμα, id est, sanguinem. Atqui constat ex Luc. 22. v. 20 referendum esse ad ποτήριον, id est, poculum metonymice tamen ita ut continens pro contento accipiatur, vulgata et trita omnibus linguis consuetudine loquendi. Clamabunt autem (sat scio) nonnulli, sacrilegam esse meam audaciam. Sed clament atque etiam crepent, si libet: ita loquitur Lucas ut ambigi non possit, quin Christus poculum indicarit, quum haec diceret, ut velint nolint cogantur tropum agnoscere in pronomine demonstrativo.

Item Luc. 22. v. 20 in haec verba: „*hoc poculum.*“ Duplex est hoc loco metonymia, quam agnoscere coguntur etiam ii qui in hac formula non desinunt τὸ ῥητὸν urgere ut quod semel tuendum susceperunt modis omnibus defendant. Primum enim ponitur continens (ut grammatici loquuntur) pro contento, poculum videlicet pro vino, quod in poculo continetur. Deinde vinum dicitur esse ipsum foedus, quum sit duntaxat foederis aut eius potius quo foedus sancitur, nimirum sanguinis Domini, symbolum ac tessera: vera illa quidem ac minime inanis, sed tamen ab eo distinguenda quod ipsa res repraesentat. Non est igitur quod e coelo Christum eliciamus, vel Christi corpus immensum et invisibile comminiscamur, ut propriam significationem verbi *Est* conservemus. Est autem haec metonymia non modo in s. literis frequens, ut est ab eruditissimis hominibus toties inculcatum, sed etiam ab ipso Homero usurpata. Sic enim ille ubi mentionem foederis inter Graecos et Troianos multis caeremoniis sanciti libro Iliados γ.[3])

Κήρυκες δ' ἀνὰ ἄστυ θεῶν φέρον ὅρκια πιστά,
Ἄρνε δύω καὶ οἶνον ἐΰφρονα. etc.

In quibus versiculis nemo non videt (liceat enim nobis profana cum sacris hactenus componere) agnis et vino, quae foederis duntaxat symbola erant, tribui ipsam foederis appellationem: simili prorsus dicendi genere, quo hic usus Lucas poculum vocavit Novum Testamentum.[4])

Item Actor. cap. I. v. 11 in haec verba: „*ita veniet.*“ In tribus vetustis codicibus scriptum erat οὗτος per epanalepsin, quae quidem lectio magnam habet emphasin et omnem cavillandi occasionem iis praecidit, qui, ut sui illius Iovis Elicii corporalem praesentiam adversus apertum hoc angelorum testimonium tueantur, haerent in ista particula οὕτως. Quotidie enim, aiunt, imo vero singulis momentis descendit, sed aliter quam ascendit, invisibiliter scil. καὶ ἀπεριγράπτως. Egregium certe cavillum! At nos potius fide in coelum ascendamus, ut Christum illic re vera amplectamur, quam ut illum e coelo ante summum illum diem deducamus et in terrestribus elementis haereamus.[5])

Item Actor. III. v. 21 in haec verba: „*coelo capi,*“ id est contineri. Nam, ut alibi diximus, apud Hebraeos uno verbo posito saepe intelligitur consequens, ut quum ἐξελθεῖν pro Venire ponitur, et similia multa quae nos suis locis annotavimus. Quod autem passivum dicendi genus potius, quam activum usurpaverimus, factum est a nobis ut amphiboliaomnis vitaretur. Nam operae pretium est in ecclesia Dei exstare perspicuum hoc testimonium adversus istos qui pro eo, quod fide ascendendum est nobis in coelos,

2) *fol.* 39 *v.*

3) *v.* 245 *seq.* — *Apud Baumium legitur:* Iliados V. *et Bezae error immerito tribuitur.*

4) *fol.* 102 *v.*

5) *fol.* 135 *v.*

ut capiti nostro coniungamur, Christum iterum e coelo veluti Iovem quendam Elicium non modo censent, sed etiam pertinacissime tuentur nobis evocandum. [6])

Item Ephes. IV. v. 10 in haec verba: „*ut impleret omnia*," id est, donis et beneficiis suis cumularet. Sic enim accipitur verbum מילא [7]) in hac constructione, ut Esai. 23, v. 2, et Jer. 31, v. 25 etc. Itaque verbum implere hoc loco non accipitur pro perficere, nisi ex consequenti, quatenus videlicet Christi donis perficimur: neque etiam proprie pertinet ad hunc locum quaestio, quo modo Christus sit ubique, sed potius quo modo nos suis donis cumulet, nempe per spiritum suum. Sed prorsus reiiciendi sunt ii qui conantur ex hoc loco, non minus impudenter quam impie, Christo corpus humanum *ἀπερίγραπτον*, id est, corpus non corpus tribuere, ac spem nostram a fundamentis convellere. Nam non modo nisi fuerit, sed etiam nisi sit Christus verus et naturalis homo, frustra speramus quod speramus: et spiritus sancti virtutem ignorat qui nos Christi corporis participes fieri non posse putat, nisi e coelis eliciatur vel naturalibus qualitatibus corporis spolietur.

Item Ephes. V. v. 30. In haec verba: „*ex carne eius*," alludit ad feminae creationem. Errant autem vehementer et periculose, qui hanc nostri cum Christo coniunctionem ad ipsius *ἐνσάρκωσιν* referunt, quum hac ratione communicetur cum infidelibus, quod apostolus solis fidelibus tribuit. Neque enim quaevis mulier est caro ex cuiusvis viri carne, sed mariti duntaxat, aut vicissim quilibet vir caro ex cuiusvis mulieris carne, sed suae duntaxat uxoris, sicut omnino apparet ex apostoli scopo. Ita igitur in Christo duntaxat tanquam marito et in hominibus fidelibus duntaxat tanquam uxore spectanda est ista coniunctio, nempe quae non sit tantum naturae coniunctio (neque enim hanc excludo, sine qua constitui altera non possit) sed etiam ipsius substantiae communio: sine transfusione tamen aut naturali et crassa ulla imaginatione, sed spiritus sancti vinculo per fidem. Cuius communionis obsignatio et symbolum est coena Domini, quam vocamus, ut vere sit Christus caro ex carne nostra et os ex ossibus nostris et nos vicissim illius membra in vitam aeternam. [8])

Ibidem v. 32 in haec verba: „*mysterium hoc magnum est*," id est, arcanum. Quid enim a communi hominum sensu magis remotum, quam nos miseros in terris repentes cum Christo, filio Dei, terrae et coeli domino, ad dextram patris sedente, ita spirituali connubio unum fieri ut ab eo iustitiam omnem ac proinde vitam aeternam hauriamus? Mirum est autem, quum tam aperte Paulus arcanam esse istam coniunctionem dixerit, tamdiu multos contendere, ut arcanam non esse probent. Neque enim video quid aliud isti moliantur, qui in Christi verbis tropum nolunt agnoscere, ideoque (ut non *μυστηριώδη* sed carnalem ac naturalem coniunctionis modum cum veritate corporis Christi et cum hoc Pauli loco aperte pugnantem invehant) huc delabuntur, ut immensum, infinitum, invisibile corpus Christo etiam ante glorificationem tribuant, ac postremo e coelo, contra manifestum Dei verbum, eliciant, ut vel panis et vini substantiae, vel solis (ut aliis placet) speciebus affigant, nisi qui malint Christi corpus ubique esse dicere, quam loci mutationem concedere. Quorsum hoc vero? nempe quod alioqui substantialem communicationem excludi, alioqui nuda relinqui signa, alioqui actum de verbi Dei autoritate putant, nec interim vident, se fidei nostrae fundamenta convellere ut arcanum Dei ex naturae captu metiantur. Quasi vero qui nondum caro factus, eandem escam spiritualem, id est, carnem suam et sanguinem suum (extra quae nunquam fuit aut futura est vitae aeternae spes) vere per fidem cum sua ecclesia olim communicavit, idem hodie verus homo supra omnes coelos, quoad carnem, habitans, non possit nobiscum sese per fidem vere coniungere, ita ut ad illa inania et mutuo sese convellentia commenta minime sit veniendum. Imo vero nullum est aliud coniunctionis nostrae cum Christo organon in hoc mundo quam fides, in altero vero saeculo ipse Dei conspectus. [9])

Haec, ut spero, difficillimis etiam quibusque, nedum vobis, observandissimi patres, satisfacient, nisi qui fortassis existiment, me subito sententia mutata in aliorum partes transiise, quod absit ut mihi unquam in mentem venerit. Quod si ne ista quidem sufficiant, tantum significetur mihi quid amplius a me requiratur. Veniam ipse coram et culpam non invitus deprecabor. Millies enim mori malim, quam vel minimam offendiculi occasionem ecclesiae Dei praebuisse, meque ipsum a meis visceribus potius quam a sancta nostrarum ecclesiarum consensione avelli patiar.

De ipsa porro confessione sic habete. Duplicem exhibuimus. Unam privatim *Dillero*, [10]) non autem Principi *Palatino*, eamque a nobis non subsignatam, cuius exemplar commode profecto ad me misistis, quum nullum haberem. Alteram Principi ipsi *Virtembergensi*, [11]) quam nuper ad vos perlatam legistis. Causas autem eius facti duas prorsus necessarias

6) *fol.* 140 *v.*
7) *sic in impresso. Codex praebere videtur:* מולא. *Utrunque falsum.*
8) *fol.* 255 *v.*
9) *fol.* 255 *v.*
10) *cf. N.* 2646.
11) *N.* 2628 *etc.*

habuimus, ut nobis quidem videbatur. Unam, quod non dissimulabant quibuscum nobis res erat, vix fore ut de nostris Valdensibus quidquam impetraremus, nisi testaremur, quae illorum esset de coena Domini sententia. Respondimus, id quod res est, non aliter illos sentire quam nostrarum ecclesiarum consensus ferret. Hic nobis protulerunt locum ex Germanica illorum confessione quae nimium profecto ieiune de tanto mysterio loquebatur. Hinc ad nonnullam, sed amicam tamen ac pacificam colloquutionem ventum est, quod nobis alteram scribendae confessionis occasionem obiecit. Quum enim illos, quamquam nobiscum prorsus non facientes, tamen mire placidos et ad concordiam propensos invenissemus et Principis ipsius voluntatem in pacem ac tranquillitatem ecclesiarum valde inclinare, non tantum ex toto ipsius vultu ac gestu, sed etiam comi et humana oratione sensissemus, putavimus a nobis ecclesiam prodi, nisi eam occasionem divinitus oblatam studiose arriperemus. Itaque, quod vere vobis testari possumus, gratiis Domino actis et eius nomine invocato, quod sentimus eo modo descripsimus qui maxime visus est nobis ad id quod nobis propositum erat accommodatus. Sed tamen testis est nobis Dominus, nos sedulo pro nostro modulo operam dedisse primum, ut ne syllabam quidem apponeremus quae videri posset a nostra consensione, id est, a veritate discrepare. Deinde ut quam fieri posset apertissime et simplicissime illud explicaremus de quo, si semel transactum esset, reliqua mox consequutura viderentur, quo modo scil. res sacramenti, id est, Christus cum suis donis, tum cum ipsis symbolis copuletur, tum vero etiam nobiscum communicetur. Id vero, si assequi non potuimus, aequum esse putamus nostrae non improbitati, de qua etiam, ut spero, minime nos accusatis, sed imperitiae veniam concedi, quam certe non inviti nobis demonstratam agnoscemus, ac scriptis etiam coram ecclesia Dei testari nos non pudebit, ut omnis offendiculi occasio tollatur.

Porro in Virtembergensi confessione praefiximus, fateor „in Helveticis et Sabaudicis ecclesiis ita doceri,“ [12]) quia nimirum ita sumus arbitrati, neque diversum quidquam ex nostrorum omnium libris adhuc didicimus. Nullum autem momentum ista videbantur habitura: sive Valdensium negotium sive speratam concordiam spectes, si tanquam privatam nostram doctrinam ac sententiam exhibuissemus. Sed tamen ut Helveticarum aut Sabaudicarum ecclesiarum nomine scriptum hoc exhiberemus aut cuiquam omnino praeiudicium ullum afferamus, nobis nunquam in mentem venit. Cuius enim id audaciae ac impudentiae esset? At saltem vobis illam communicatam oportuit. [13]) Ita est profecto, quamquam vobis alioqui rem ipsam totam, quod ad colloquium inter nos habitum et speratam pacem attinet, exposuimus. Sed quod ad priorem confessionem attinet, testor vobis coram Domino, nullum eius exemplar penes nos fuisse. Alterius archetypon quidem habebam, quod adhuc conservo, sed tot lituris infectum ut inter exscribendum divinatione mihi opus fuerit. Sed id tamen, fateor, idoneam nobis excusationem non affert. Graviter hic peccatum esse agnosco, non apud vos solum sed et Bernae et Genevae, idque a me praesertim, qui chartas omnes nostras habebam complicatas. Sed vos hic rogo et per Christum obtestor, observandi patres, ne id factum vel fraudi vel dolo malo tribuatis, quod omne ab oscitantia et oblivione, parum quidem, fateor, probabili, sed tamen verissima profectum est, adeo quidem ut confessionis exemplar non prius meminerim describere, et cum ipso D. *Calvino* communicare, quam ille, acceptis Argentina literis, [14]) quid hoc rei esset a me literis postulasset. Sed de his hactenus.

Nunc venio ad ea de quibus tu et D. *Martyr* [15]) ad D. *Calvinum* nostrum scripsistis, qua quidem tua libertate non modo nihil sum offensus, sed etiam ita sum delectatus ut multum tibi hoc quoque nomine debere me profitear. Neque vero ad haec aliam ob causam respondeo quam ut sententiam meam vobis copiosius exponam, ita quidem animo comparatus, ut vestram multo libentius quam meam sententiam sim amplexurus.

I. Velles [16]) in primis mentionem factam esse apprehensionis per fidem, non obstante locorum distantia. Atqui nobis videmur in ipso statim initio, ubi totius rei sacramentariae finem praecipuum explicamus, bis fecisse fidei mentionem, tanquam necessarii instrumenti. Neque enim simpliciter scripsimus Christum factum esse nobis sapientiam etc., sed addidimus: credentibus. Deinde in Virtembergensi confessione diserte additum est requiri, ut per fidem, quae Dei donum est, fiamus os ex ossibus etc. Distantiam locorum non expressimus quidem, sed quum omnem physicum praesentiae modum excludamus, satis illam putavimus definitam. Praeterea quod in priore confessione diximus, naturam humanam Christi finitam esse non desiisse, satis videtis quid necessario consequatur et nostram hanc brevitatem quam speravimus futuro colloquio copiosius explicandam boni vos consulturos speramus,

12) *cf. N.* 2687.

13) *N.* 2663. 2676.
14) *N.* 2638. 2640.
15) *N.* 2682. 2668.
16) *Haec speciatim Vermilio dicta, ut ex conclusione patet.*

si temporis ac loci circumstantias attentius spectaveritis.

II. Secundo loco, miraris a nobis scriptum esse: Symbola rem ipsam habere semper coniunctam. Id vero cuiusmodi sit, plane non intelligimus. Neque enim simpliciter ita scripsimus, sed addidimus, „quod ad Deum promittentem et offerentem attinet," quam doctrinam putamus prorsus cum consensione et veritate ipsa facere. Ita autem videtis a nobis everti a consequenti dogma illud de infidelium communicatione. Cur enim addita esset ista restrictio?

III. De sacramentali significatione absit ut aliter quam tu scribis sentiamus. Neque enim symbolicum vel figurativum esse simpliciter negamus, sed addimus adverbium „duntaxat," nempe ut exprimeremus significationis sacramentalis vim quandam peculiarem, quae videlicet virtute constitutionis ac promissionis divinae facit ut quod figuratur, quamvis si locorum intervallum spectes longissime absit, tamen, sive credamus sive non credamus (neque enim hic agitur de perceptione rei sed de rei et symboli coniunctione) non minus sit praesens quam quod ipsis oculis videtur ac manibus palpatur.

IV. Repraesentandi verbum quereris ambiguum esse, quod tamen de industria fatemur a nobis usurpatum, quia simplex significandi vel figurandi verbum nosti nunquam illis satisfecisse, imo istius controversiae occasionem praebuisse, quae causa etiam fuit ut ab exhibendi verbo nihilo minus per se ambiguo nostri non abstineant, ut veritatem ostendant signis esse coniunctam, quum exhibere significet, teste Ulpiano, proferre et videndi ac tangendi facultatem dare. Sed omnis ista ambiguitas addito symboli nomine tollitur, ut nobis quidem videtur, quum praesertim hoc diserte exposuerimus, quum dicimus: „adiunctis ipsi rei symbolis" etc. et paulo post dicamus: praesentiam quidem a nobis defendi, sed de modo adhuc controverti, quem dicimus non intellectu sed fide a nobis percipi. Quis enim intelligat, qui fieri possit, ut Christus corpus suum, quod in coelis est, nobis in terra repentibus et fide tenus ad illum ascendentibus vere tamen fruendum praebeat?

Postremo, non placet quod dicamus: controversum esse duntaxat praesentiae modum, qui soli Deo sit cognitus. Nam inquis, mihi videtur modum illum esse vivae fidei apprehensionem. Atqui in hoc articulo non agimus quo instrumento res sacramenti nobiscum communicetur sed quomodo res cum signo sit coniuncta, quem dicimus esse inscrutabilem, quum illa sit in coelis, hoc vero in terris, et tamen, sive credamus sive non credamus, sive signum duntaxat, sive rem ipsam quoque cum signo per fidem sumamus, sua constet isti coniunctioni veritas. Nam mihi quidem fateor ad hanc explicandam controversiam valde semper hanc methodum placuisse, ut primo loco explicetur, quae sit res sacramenti, in quem finem et quo instrumento percipienda offeratur. Deinde ut tres isti modi seorsim explicentur. Unus quo res cum signo copulatur, sive adest. Alter quo signum percipimus. Tertius quo res sacramenti nobiscum communicatur. Primum igitur modum diximus soli Deo notum esse, qui videlicet ita constituit, a nobis autem credi, ita tamen, ut quis non sit, dicere possimus, quis sit autem, non item, sicut in quarto responso exposuimus. Secundum testamur naturalem esse. Tertium autem et ipsum diximus niti incomprehensibili spiritus Dei omnipotentis virtute. Quis enim explicabit qui fieri possit ut cum Christo, qui in coelis est, nos in terris degentes unum fiamus, ut inde vitam aeternam hauriamus? Etsi enim nobis notum est, ut statim initio diximus, fide nos coalescere cum Christo, non tamen efficitur posse a nobis istius fidei efficaciae modum ac rationem comprehendi: quod si verum est, hallucinantur nimirum quicunque, ut illum modum sensibus nostris subiiciant, vel localem coniunctionem, vel substantiae transfusionem, vel immensitatem gloriosi corporis, vel transsubstantiationem, quicunque denique quidquam excogitent quo modus ille definiatur. Nam quis non sit, dicere possumus, cuiusmodi sit tum demum intelligemus, quum apparuerit id quod sumus.

Haec sunt, D. *Martyr*, quae in tuis ad D. *Calvinum* literis, quantum quidem coniicere potui, significasti a te in hac nostra confessione desiderari. Si quid praeterea sit a quoquam observatum hic quoque dabimus operam ut illi satisfiat. *Valerandus* alia quaedam subiectis lineis annotavit,[17]) sed quaenam illa sint satis coniicere nondum potuimus. Suspicamur tamen hoc illi non placere quod rem sacramenti esse dicamus non modo merita et fructus mortis Domini, id est, beneficia quae ex illo haurimus, sed ipsam etiam Domini substantiam. Hoc vero si ita est, ut suspicamur, plane miramur illum subscripsisse libello quem D. *a Lasco* superiore mense Decembri editum inscripsit: Purgatio Ministrorum in ecclesiis peregrinis Francofurti.[18]) Ibi enim ita scribitur p. 24: Ad primum postremo agnoscimus et agnovimus semper iuxta hanc capitum istorum doctrinam: quod in coena Domini una cum pane et vino, hoc est, dum pani et vino participamur, vere exhibeantur corpus et sanguis Christi,

17) *Pollani epistola, sive exemplar annotationibus istis ditatum non exstat. A Martyre Calvino missum fuisse constat ex eius ep. N.* 2668.

18) adversus eorum calumnias qui ipsorum doctrinam de Christi Domini in coena sua praesentia dissensionis accusant ab Aug. confessione, autore D. Io. a Lasco Barone Polono. Bas. per Io. Oporinum 1556. *In fine*: Subscripsimus Ioannes a Lasco manu propria. Valerandus Pollanus. Gulielmus Houbraque. Robertus Hornus. Petrus Dathenus. (*Frankf. Rel. Hdl. II. Beil.* 17 *p.* 167.)

fide percipienda in alimoniam nostram ad vitam aeternam. Haec ita semper agnovimus atque etiam nunc agnoscimus de corporis et sanguinis Christi in coena sua praesentia, exhibitione et participatione. Non dissimilia quoque ibi scribuntur p. 32 sed inprimis p. 48, ubi etiam non dubitat uti adverbio: substantialiter, a quo tamen ut ambiguo voluimus abstinere. Utitur autem his verbis: Agnoscimus et agnovimus semper Christum Dominum vere ac substantialiter corpore etiam suo coenae suae adesse, modo ne usus coenae terrae duntaxat eiusve elementis alligetur: exhiberique nobis vere fide percipiendum veri etiam corporis et sanguinis ipsius pabulum cum pane et vino in alimoniam spiritualem ad vitam aeternam.

Sed quorsum haec? Putamus enim illum, si ea est ipsius sententia, potius vestra reprehensione, quam nos ulla apud vos defensione, hac quidem in re, indigere. Et sane, ut dicam ingenue quod sentimus, quamvis neminem aspernemur, tamen non multum nos movet *Valerandi* iudicium, qui adhuc ita se gessit ut in perturbandis ecclesiis strenue laborarit, multo vero minus etiam vel *Bocquini*, vel *Balduini*,[19]) qui nunc Heidelbergae sunt, querelae, qui homines, si qua esset in ecclesiis Dei disciplina, vel mores iam pridem mutassent, vel melius essent omnibus noti. Sed vestrum iudicium, observandi patres, id vero nos ita affecit, ut quamvis hoc mense multa tristissima sint nobis nunciata, nullum tamen nuncium aeque iniucundum aut inexspectatum acceperimus. In summa maximum nostrum peccatum agnoscimus ac deprecamur in confessione vobiscum in reditu non communicata.[20]) Consilium autem nostrum, conscientiam, sententiam denique cupimus a vobis plenius intelligi ac considerari. In iis si quid sit praeterea de quo nos monendos, imo vero etiam arguendos et increpandos putetis, ac me praesertim et aetate et prudentia omnium infimum, testor vobis, observandi patres, ex animo, fore ut nos non modo ad agnoscendum atque adeo testificandum errorem paratos sed etiam gratos ac beneficii memores experiamini. Quod enim ante dixi, nunc quoque repetere non pigebit, millies nos potius mori paratos, quam ut vel minimum ecclesiae Dei offendiculum scientes praebeamus, ac potius passuros ut a nostris ipsorum visceribus potius, quam a mutua nostrarum ecclesiarum consensione, id est, a veritate Dei avellamur.

Quod superest, observandi patres, rogo vos totamque adeo vestram ecclesiam, ut hoc qualecunque scriptum boni consulatis et a me omnia exspectetis, quaecunque a filio vobis addictissimo possunt proficisci. Dominus Iesus vos etiam atque etiam confirmet ac vestris sanctis laboribus benedicat.

Lausannae xxiv. Augusti 1557.

Vester vobis addictissimus
Theodorus Beza.

19) *Ubi suam sententiam in hoc negotio illi protulerint et qualem nobis non constat.*

20) *N.* 2663. 2676.

2690.

VERMILIUS CALVINO.

Laudat Farelli et Bezae confessionem, Calvini librum contra Westphalum, Melanchthonis orthodoxam christologiam in Commentario ad Colossenses declaratam, Gualtheri Acta, Martinengo restitutam valetudinem gratulatur.

(Ex Tomo Locc. theol. P. Martyris ed. 1580, fol. 579 v. ed. 1587 pag. 1119.)

Quod superioribus diebus ad me scripsisti[1]) de *Farelli* atque *Bezae* confessione, ita ut ais esse videtur: omnia scilicet candide ac simpliciter ab illis fuisse acta. Unde, quod ad me attinet, boni consulo, nec in quoquam alio animadverti ullam offensionem, qua consensus et ecclesiastica unitas aliqua ex parte vel tantillum imminuerentur. Deinde accessit libri tui editio, qua mones intractabilem *Westphalum* et Magdeburgensibus respondes, quibus una cum *Westphalo* rabies quaedam et pertinacia inexpugnabilis videntur bonam mentem iam pridem eripuisse. Ibi tu sacramentariam controversiam adeo sincere, clare ac dilucide tradis, ut nodus ullus videatur quidem, nedum sit, relictus in scirpo: et parvi utique iudicii, ne dixerim nullius, ii existimandi sunt qui ea in re aut lumen aut doctorem ulterius desiderant. Librum sane omnibus video mirifice placere, mihique maiorem in modum probatur. Quamobrem de ista scriptione gratias tibi ago, quodque Deus tuis laboribus tam cumulate benedixerit iam non parce ac verecunde, sed libere ac confidenter ecclesiae Christi gratulor.

Melanchthon Wormaciam venisse dicitur:[2]) quodque me recreavit non leviter id est: fragmenta quaedam legi novae interpretationis eius in Epistolam ad Colossenses,[3]) in quibus de natura Christi

2690. 1) *N.* 2667.

2) *adfuit demum a. d. V. Cal. Sept.*

3) *Quaenam fragmenta dicat ambigere possis. Fortasse praelectionum calamo exceptarum, quales editae sunt Viteb.* 1563: Auslegung d. Ep. Pauli an die Col. in der Schul zu W. gelesen Verdeutscht. — *Caeterum dudum antea similia pro-*

humana orthodoxe admodum scribit, eamque in coelo vere ac proprie affirmat esse, atque cum Augustino propter corporis modum certum locum habere contendit, nec allegoriam in coeli vocabulo quaerit. Unde ubiquistarum error aperte convellitur. Illa si ediderit, ecclesiae, ut mihi videtur, plurimum commodabit. Non quod evangelii doctrina testificatione hominum cuiuscunque sortis verior, quam re ipsa sit, queat effici, sed quia imbecilla ingenia consensu et autoritate piorum hominum in ea plurimum confirmantur. *Gualtherus* item noster librum in Apostolorum Acta, si quid iudico, doctum et utilem edidit.[4])

Rumor praeterea hic sparsus erat, comitem *Martinengum* obiisse:[5]) qua de re, pro eo ac debui quum dolorem non vulgarem cepissem, levationi, et quidem magnae, literae tuae[6]) mihi fuerunt, quas *Bullingerus* abs te acceperat. Scripsisti enim illum sane gravissime laborasse, ac postea relevatum morbo in eum de integro incidisse, verum extra periculum iam esse. Deum oro et obsecro ut nobis illum diutius conservet.

Quid aliud praeterea scribam non habeo. Illud affirmo, ut sis incolumis atque, ut facis, in ecclesia utiliter verseris, me a Deo unice precari et flagitare. Quare pro meo iure vicissim posco ut in tuis precibus mei non obliviscaris. Vale, clarissime vir atque mihi plurimum observande. Tiguri 29. Augusti 1557.

Marchionem et *Comitem* a me velim salvere. Symmystis quoque omnibus plurimam salutem dico.

2691.

BEZA FARELLO.

Iam defensio paranda contra Satanae inexspectata consilia. Qua de causa illum rogat ut cito veniat et cum ipso Calvinum adeat.

(Ex autographo bibliothecae pastorum Neocomensium. Edidit Baum. I. 481.)

Eximio Christi servo D. Gulielmo Farello, patri mihi in Christo plurimum observando.

S. Mi pater, etsi non dubito quin istic habeas quod agas, et fortassis consolatione potius aliqua quam novis curis indiges, tamen quia hoc negotium, quod me nunc exercet, mihi tecum commune esse voluit Dominus, putavi tibi significandum multas et magnas esse causas cur prius ad nos excurrere debeas quam Genevam proficiscaris. Multa enim cognosces nobis impendere quae nunquam exspectavimus futura, nisi remedium opportunum in tempore quaeratur. Videbis quod responsum paraverim,[1]) de quo postea cum *Calvino* nostro conferas, ut Satanae consiliis[2]) via obstruatur. Itaque rogo te etiam atque etiam ut quam primum poteris ad nos venias. Nam quominus ipse ad te proficiscar eadem illa causa impedit quae adhuc effecit ut de his rebus ad te nihil scripserim, morbus videlicet partim ex moerore partim ex contagione contractus, qui quidem ita meas vires deiecerit, ut ne nunc quidem animus, nedum corpus, sibi satis constare videatur. Sed de his coram, si, ut spero, dederit mihi Dominus ut te brevi conspiciam et omnes meas curas in sinum tuum exonerem. Vide rogo, mi pater, ut recta domum non meam sed tuam venias. Nam te oculis fero, si unquam alias. Hinc fortassis Genevam te deducam, si ita censueris. Bene vale. Dominus Iesus te consoletur in isto domestico casu teque ecclesiae suae incolumem diu conservet. Laus. tertio Cal. Septembris.

Th. Beza filius tibi in Domino addictissimus.

2692.

CALVINUS GUILIELMO HASSO.

Commendat iuvenem quendam Gallum, cuius mater religionis causa patriam reliquit et fortunae iacturam fecit.

---

dierant: Die Ep. S. Pauli zun Colossern ym latein ausgelegt, verd. d. Iust. Ionam mit e. Vorrede v. Luther 1529. 4. Scholia in Ep. ad Col. Hag. 1527. 8. Vit. 1545. 16. Enarratio ep. ad Col. Vit. 1559. *Martyr vero de ineditis et novis fragmentis loquitur.*

4) Homiliae CLXXIV. Tig. 1557, fol. ap. Froschoverum.

5) *Eum hoc mense revera mortuum esse constat ex eo quod iam a. d. VI. Cal. Sept. Itali Vermilium ei sufficere cupiebant (Reg. du Conseil.) Accuratiora non praebentur a scriptoribus. Gerdes, Ital. ref.* 289 *in ipso anno haesitat.*

6) *N.* 2680.

2691. 1) *N.* 2689.

2) *Turicensium propter confessionem criminationibus. Contra quos iam Genevae conciliabulum haberi oportebat, post illam submissam et candidam excusationem.*

(Reperies in Cod. Genev. 107a, fol. 159, et quidem primos versus a Calvino scriptos, caeterea Ionvillaei manu. Habet Epp. Bernensium Tom. VI. p. 695; item Simlerus Vol. 90. Versio anglica III. 349.)

Guilielmo filio Lantgravii. [1])

S. Illustrissime princeps ac Domine, quia hic amicus et familiaris meus, qui propter suam pietatem aliasque virtutes mihi carissimus est, ad V. C. proficisci instituens sibi persuaserat, si literas a me afferret, adventum suum fore gratiorem, hoc a me officium flagitando extorsit. Nam quia merito verebar, [2]) si alios mea commendatione ornare tentarem ignotus ipse nec magna gratia vel autoritate praeditus, ne in stultae audaciae notam incurrerem, non semel excusavi. Sed quum saepius exciperet, se ex fratre meo Ioanne *Garnerio* [3]) intellexisse officium hoc V. C. non fore ingratum, tandem pervicit ut scriberem. Iam anno superiore apud vos fuit et verba fecit de uxoris suae filio, quem nunc testandi obsequii causa illustrissimo Principi patri vestro vobisque offerre statuit. Puer est ex splendido genere progenitus, familiaque antiqua et divite: mater singulari pietate ex eximiis virtutibus excellens femina. Quum fugiendae idololatriae causa patriam relinquens pro nihilo duceret satis amplos reditus, filium suum tanquam optimum thesaurum minime neglexit. Haec magnanimitas non parva laude digna est, maluisse contemptis mundi opibus puero exsilii consorte se onerare quam eum relinquere in sordibus et inquinamentis papatus. Hinc factum est ut propinqui, velut in praedam sibi paratam, involaverint in pupilli bona. Caeterum quia prudentissima mulier, ac simul etiam vitricus, cognito pueri ingenio metuunt, ubi adoleverit, ne indigne ferens splendido patrimonio se fuisse spoliatum Galliam repetat, et recuperandis fortunis nimis cupide inhians ab ecclesia Christi forte discedat, haec illis optima ratio visa est, si gratia illustrissimae domus vestrae adiutus saltem aliquam bonorum suorum partem, quae ad mediocrem vitae statum sufficiat, possit ex illo incendio eripere. Ne tamen videantur cum vestro incommodo aut molestia sibi consulere, non aliud cupiunt quam puerum in clientela illustrissimae domus vestrae censeri: quod impetratu difficile non fore confido. Itaque non alia mihi scribendi ratio fuit, nisi ut V. C. meo testimonio ad hoc beneficium praestandum magis animetur, ac illustrissimus quoque Princeps pater vester, si opus erit, de pueri familia matrisque virtute certior factus, quod iam sponte concessit, libentius et prolixius iterum confirmet. Dominus illustrissimum patrem vestrum, vos totamque domum incolumem et florentem tueatur et omnis benedictionis genere locupletet. Genevae 3. Calend. Sept. 1557.

2692. 1) *Haec Calvinus manu propria. Cuius literaturam tam bene novit librarius Bernensis ut pro Landgravio* Buelgrai *legerit, quod et Simlerus servavit.*

2) *Huc usque ipse Calvinus.*

3) *quem supra in Hassia paedagogum factum legisti, secundum Striederum hoc ipso anno professor Marburgensis creatus est.*

2693.

FARELLUS BULLINGERO.

Iam et ipse confessionem istam Wirtembergensem excusat et vindicat, simul in eo peccasse fassus quod Turici de eadem tacuerit. Neque occasionem praeterire sinit in alios debacchandi.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 340. — Simler. Vol. 90.)

S. Multum nobis dolet, optime *Bullingere*, quod ut bona fide omnia tibi retulimus quae cum pastoribus sumus loquuti, non ita tibi tradidimus quae ad adducendos ad amicum colloquium videbantur facere, et quae tam offensos utcunque placare videbantur. Si erga te hic multa peccatum est imprudentia, condona quaeso tui amantissimis et observantissimis fratribus, ut condonant omnes qui non minus queri de nobis possunt quam tu. Sed quia norunt quo simus animo et plane intelligunt, ut coram Deo vere testari possumus, nihil hic aliud in causa fuisse quod tibi et aliis non aperuimus quam solam incogitantiam, quod in mentem non venerit. Ego senior rapiebar, quod Dominus tanto successu dederat absolvere, quod pro tam sanctis fratribus coeptum erat. Accedebat ad cumulum quod pius dux *Wirtembergensis* tantopere expetebat, et quod viam videbam apertam ad id quod supra omnia semper expetii, nimirum ut supra modum necessaria concordia inter ecclesias tandem ficret. Nam neminem puto qui magis tanto offendiculo et remora evangelii angatur, quique magis cupiat sublatum. *Beza* vero non minus permovebatur, et dum singula diligentius curat quae pro fratribus faciunt et quae ad colloquium, hoc non cogitavit. Hodie primum priusquam scriberem, rogabam *Viretum* nostrum quid sentiret de iis quae data fuerunt, primum vere probo viro Michaeli *Dillero*, et quae rursus Iacobo *Andreae*, respondit se nihil invenire unde offendatur, nec putat quemquam merito offendi

debere. Non contentus *Vireti* nostri sententia videre volui quid et *Calvinus* sentiret. Vidi literas[1]) quibus non gravate condonat quod sibi non fuere communicata non aliter quam aliis, sed se in nullo offendi testatur nihilque habere quod sanum non sit. Quod tum vero, si arrogans ille *Pollanus*, qui solus perire non vult, sed ecclesiam funditus evertere conatur pro qua mori deberet, quaerens lites ac dissidia serere una cum suis, qui non semel apostatarunt a Christo et evangelio, non probent?[2]) Quid enim probarent tam improbi? Sane miror quod quum scripta nihil habeant veritati contrarium quod dolere debeat bonis, si qui prius parum nobis aequi videbantur ea probent, sane plus erat unde laetari deberent probi omnes. Nosti, mi *Bullingere*, perperam ab adversariis nobis tributum fuisse quod tantum imaginarium Christum sola opinatione in coena haberemus, esumque carnis Christi et sanguinis potum non verum sed tantum commentitium traderemus, quum contra verissime fides ea excipiat non physice et mundano more sed vere spirituali et coelesti modo. Hanc veram praesentiam, hunc verum esum quum simus professi, et quod totiens inculcatum tam multis scriptis non iudicarunt nos tenere, nunc tandem credunt et aequiores nobis sunt, nec detrectant nos audire et nobiscum colloqui. Sane si ecclesiarum pacem amamus et aedificationem, debemus Deo gratias agere et pro virili studere ut istis initiis progressus ad meliora fiat. Et quod ad me attinet, si moriendum millies esset, hic nollem cessare, sed modis omnibus instare quod non dubito, te non minus, si non magis, curare (quod faxit Christus), ut tandem absolutum et perfectum videamus. Ratio potior nulla invenietur quam colloquii, et ut dicam quod experti sumus, si mille literis egissemus nunquam eo ventum fuisset cum iis cum quibus colloquuti sumus, quo datum est paucis verbis coram et velut aliud agentibus, et quia nostra verba aliis coram communicare non dabatur, ita visum est paucis testari quid sentiremus: quae non male accipi a tam alienatis a nobis non moleste ferimus, imo gaudemus. Si ille improbus,[3]) cum uno et altero qui triumphum adversariorum narrat in invidiam eorum quae recta sunt, aliquid haberet Christi, non ita studiosos pacis et aedificationis morderet, nihil attingens de iis quae (ut audio) a conterraneis suis dissipantur, et id favore eorum qui cum illis faciunt, ut liber ille inscriptus Theologia germanica obtineat, in quam omnes ferri deberent, ut opus cum autore et eo qui excussit* et eiusmodi scelesta prorsus tollerentur. Dominus Iesus manum admoveat. Ego te rogo, quam optime *Bullingere*, ut apud te statuas me hoc unice expetere ut piis quam coniunctissimus sim, idem sentiam et dicam quod veri servi Christi, ut te non vulgarem agnosco. Si omnes observo ecclesias sane ista non est postrema, et te non fugit quam studuerim ut isti cum his conveniret, egique gratias Domino et ago, quod eo ventum fuerit ut Deo angelis et hominibus sit testata nostra pia et sancta consensio, quam tueri et servare in finem usque proprio sanguine non dubitarim, et hanc animam longe malim a me avelli quam alienum esse a tam sacro vestro coetu. Quare si quid est a me factum aut dictum quod tam sanctae non conveniat consensioni, unde vel tantillum istam laeserim ecclesiam, quod nunquam mihi in mentem venit, indica tantum, ego mox accurram, veniam precaturus, culpam agnoscam, non verbis tantum, verum etiam scriptis. Nihil tueri volo nisi quod rectum est, et ut merito agnosco peccatum fuisse quod istic scripta non communicavimus, ita si quid aliud sit peccatum, hic quaeso neque aetatis neque officii neque rei alicuius ratio habeatur, sed tantum veritatis pietatis et aedificationis. In aliquo libello gallico, qui meo suppresso nomine editus fuerat[4]) ne quis offensus nomine (ut tunc valde exosum erat) a lectione impediretur, quia tandem improbi alio deflectebant scripta quam ego intelligerem, quam fusissime omnia iterum tractavi, ut nemo offenderetur nec captaret ansam errandi, idque tunc assumto meo nomine. Quid mihi faciendum est ubi nomen meum adscripsi, si impium aliquid sit ut unde armentur impii, pii turbentur, ecclesia offendatur? moriar prius quam si cogitem rem tegere et sepelire, et non potius erratum fateri et iis reconciliari quibuscum opto unum esse in Christo. Hanc mecum facito gratiam ut posteaquam diem migrationis ignoro et visitatus fui domi in meis et in meo corpore ne prius hinc abeam quam quod debeo ecclesiae persolvam, si eam offenderim et nihil magis ex animo fecerim. Quod si bona fide actum sit a nobis et nihil impium exciderit, effice quaeso, si me habes eum quem te habeo, ut apud collegas non alius habear quam mea poscit innocentia. Si *Valerando* non placeo neque probor, neque *Boquino*[5]) et eiusmodi, si

---

2693. 1) *Calvini ad Bezam puta quibus respondebat ad N.* 2663. 2669 *quae tamen non exstant. Simul ex h. l. colliges Farellum Lausannam venisse vel antequam ep. Bezae N.* 2691 *accepisset.*

2) *Si tu, b. l. in his haeseris, nobis vitio vertere nolis.*

3) *Castellionem notat, ut iam Simlerus coniecit. Is enim Theologiam germanicam, quae dicebatur, latinam fecit. Vide supra N.* 2671 *not.* 2. *Nesciebat ipse libellum hunc ab ipso Luthero editum et commendatum fuisse, cuius praefationem quoque translator simpliciter recepit.*

4) *Quisnam hic fuerit libellus coniectura tantum assequimur. Cogitamus de eius Summario, quod primum sine nomine autoris prodierat. Cf. Baumii praef. ad suam editionem* (*Le Sommaire de G. Farel Gen.* 1867) *p. vi et xii.*

5) *Cf. N.* 2671.

mea fieret culpa, aegre ferrem: sed quum eiusmodi aversor ingenia non est quod doleam, nisi quod pereant et alios perire volunt secum. Si tu et fratres cum *Calvino*, *Vireto* et aliis piis qui nobiscum sunt me absolveris, omnibus plene expensis, sola id efficiente veritate et aequitate, quas gratias agam Domino et quantum vobis debebo. Non dubito quia *Beza* plenius ad vos eisdem de rebus ad vos * scripserit [6]) ut meis non opus fuerit quae tu boni consules. Vale, optime *Bullingere*, cum tuis omnibus collegis, quos utinam coram possem salutare. Opto et pium senatum optime valere. *Habium* quaeso saluta et legatum. Lausannae pridie Cal. Septembris 1557.

Tuus ex animo
Farellus.

2694.

CALVINUS MINISTRIS TURICENSIBUS.

Vermilium ecclesiae Italorum Genevensi concedi cupit in defuncti Martinengi locum sufficiendum.

(Exemplar authenticum reperies in Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 106, olim Epp. Tom. II. fol. 685, cum subscriptione autographa. Praeterea exstant duo Ionvillaei exx. Genevae in Cod. 107a, fol. 158 v. et 160; Turretini Cod. 108, fol. 83 v., Bernense Epp. VI. p. 676 et Simleri Vol. 90. Versio anglica III. 353.)

Praestantissimis viris et fidelibus Christi servis ecclesiae Tigurinae pastoribus et doctoribus symmystis et fratribus mihi observandis.

S. Quando mihi probe constat scholam vestram fructuosum esse ad gignendos pios doctores seminarium, neque etiam me latet quam utilis in sancta puraque eius institutione sit labor venerandi fratris nostri *Petri Martyris*, vereor ne parum verecunde hunc a vobis petere videar, ut apud plebeculam potius fungatur officio pastoris quam in celebri splendidoque auditorio futuros verbi ministros eruditat. [1]) Et certe si scholae nostrae, quae nec frequentia neque aliis dotibus ad vestram accedit, quaerendus esset doctor, hominem a vobis apprime aptum inconsiderate tentarem ad nos adducere. Sed quia hoc dare coactus sum hospitum nostrorum gentis italicae precibus non est quod pluribus excusem. Utinam, sicuti mihi persuadeo flagitationem hanc vobis non molestam fore, ita par mihi constaret impetrandi fiducia. Et tamen, quae vestra est pro Christi ecclesia sollicitudo, si nobis eum absque maximo vestro incommodo poteritis concedere, plebem pastore suo orbatam pluris vobis fore spero quam ut tam anxias preces repudietis. Novit ipse D. *Petrus Martyr* qualis fuerit *Martinengus* noster in cuius locum nunc vocatur. Quanta fide officii sui cursum peregerit ego optimus sum testis. Certe facit eius memoria ut pauci reperiantur ad sustinendum onus idonei: quia timendum est, si non respondeat successor, ne contemptui sit, atque ita paulatim ecclesia diffluat. Porro neque exiguus est hominum numerus qui *Martyrem* flagitant (communibus autem omnium suffragiis electus est), et multi sunt cordati gravesque homines, quidam etiam literati: ut *Martyr* noster in hac provincia obeunda non poenitendum operae pretium facturus sit. Quod si res tota in trutina hospitum nostrorum expenditur, si huc concedat, uberiorem laboris eius fructum fore non dubitant. Ego, quanquam pronunciare non audeo, non levis tamen momenti rem esse scio, conservari incolumem huius ecclesiae statum, unde hactenus longe lateque sparsa fuit lux coelestis doctrinae. Quum igitur vobis cordi sit communis aedificatio, etiam atque etiam prospicite, annon hoc homine carere possit vestra ecclesia, qui non solum ardentissimis votis expetitur, sed si missionem a vobis obtineat incredibili profectu et gentis suae hominibus et nobis impendet suam operam. Valete, integerrimi fratres et mihi vere observandi. Dominus vos tueri ac benedicere pergat et in hoc negotio gubernet spiritu prudentiae. Genevae prid. Calend. [2]) Septemb. 1557.

Collegae mei vos reverenter salutant.

Ioannes Calvinus vester.

2695.

CALVINUS BULLINGERO.

Ultimam suam admonitionem adversus Westphalum usque ratam habet. Colloquium minime sine fructu futurum sperat dummodo Philippus intersit. Bezae

---

6) *N.* 2689.

2694. 1) *Mentio fit petitionis Italorum in Commentariis Senatus ad 27. Augusti. Vermilius iam olim Genevam vocatus fuerat, sed frustra. Cf. N.* 2142. 2266 *etc.*

2) *Versio anglica ipsas Calendas praebet.*

confessionem ab omni suspicione vindicat. De Bernensibus queritur. Gallos suas res male gessisse perhibet.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 33. Exstat quoque Genevae in Cod. 111b, fol. 7. Bernae in Epp. Tom. VI. p. 531 et 696, et Turici ap. Simlerum Vol. 90. Versio anglica III. 350.)

Clarissimo viro et fideli Christi servo D. Henricho Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori fratri et symmystae observando.

Tiguri.

S. Quia libelli mei [1]) non modo residuam partem, sed alterum quoque exemplar misi, iudicium tuum avide exspecto. Utcunque in me saevire pergant, omnes eorum impetus semper intrepide excipiam. Nihil enim accidet quod non inter exordia meditatus fuerim, ac ne ingratitudo quidem quorundam efficiet ut me unquam suscepti laboris poeniteat. De partis adversae vel superbia vel obstinatione tibi assentior. Neque tamen quidquam impediet quominus oblatum colloquium amplectar. Si non adstipularis, vide quo temeritatis eruperim, qui pro vobis omnibus apud *Philippum* spopondi. Quod de eventu desperas, non longe discrepant nostrae sententiae. Sed, crede mihi, audient adversarii, quae retundant posthac eorum ferociam: ac nisi me fallunt omnes coniecturae, quamvis non resipiscant, discedent tamen mansuetiores. Neque est quod te sermo inter D. *a Lasco* et *Brentium* privatim habitus deterreat.[2]) Solus ille nec satis bene instructus, cum homine praefracto animose magis quam prudenter congressus est. Alia longe ratio erit ubi *Philippus*, quem sua timiditas non patitur libere proferre quod sentit, libentissime se nobis adiunget. Nuper ostensa mihi fuit eius epistola scripta mense Iulio ad senatum Francofurtensem[3]) ubi, etsi nondum ingenue, fidem suam profitetur, non tamen diserte conqueritur, vicinos suos turbare ecclesiam peregrinis vocibus, nec dissimulat de immensitate corporis Christi et adoratione statuendum esse inter doctos viros. Ergo ad colloquium simus accincti, modo cum placida mansuetudine constantiam afferamus dignam Christi ministris.

Bezae confessio quid contineat doctrinae nostrae minus consentaneum non video. Nam quaecunque affers de voce substantiae nullo negotio dissolvere promptum est. Et ipse, ne dubita, ab omnibus quae metuis, obiectis dextre se expediet. Non explicuit, fateor, satis dilucide totam controversiam. Neque tempus ferebat, neque expediebat, quum danda esset brevis excusatio, non confessio. De periculo quidem plane sum securus: quando et hominis integritati minime diffido, neque se ita illaqueavit ut minima sit hostibus gloriandi materia.

Ad alia venio.[4]) Quamvis nihil aequi impetraverint hactenus nostri apud vicinos, imo praecisis repulsis spes omnes fuerint abscissae, autor tamen fui mittendae rursus legationis, quae si fuerit irrita certum hic speratur auxilium ab Helveticis civitatibus. Prodigiosa vero ista durities quorsum evadat non parum metuo.

Quam misere trepidatum fuerit[5]) in regno Galliae vix dictu credibile est. Nunc paulatim a consternatione animos colligunt. Quasi vero regi sit otium, putant vicini arcanas cum eo pactiones nos agitare: vel saltem fingunt, ut falsis suspicionibus nos pro more suo gravent. Neque enim credas quam pueriliter in omnibus ineptiant. Vale, praestantissime vir et frater mihi observande. Dominus tibi semper adsit teque benedicere cum familia pergat. Genevae pridie Calendas Septembr. 1557.

Ioannes Calvinus tuus.

2696.

SCHALLINGIUS CALVINO.

Exponit quatenus ipsius formula de carne Christi in coena praesenti a Calviniana discrepet. Addit quaedam nova politica et literaria ex Germania.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 62. — Edita est in App. libri E. Sal. Cypriani: Abgetrungener Unterricht von kirchl. Vereinigung der Protestanten. Frkf. 1722. p. 293.)

Eruditione et pietate praestanti viro, D. Ioanni Calvino, docenti evangelium in ecclesia Genevensi domino semper observando.

S. D. Reverende vir, colende praeceptor. Etsi maluissem tuis [1]) respondere ante multos menses, tamen quum mihi non constaret, per quem ad te meae perferrentur, malui silere, quam scriptum incertis hominibus committere. Et ne nunc quidem certus sum has ad te mitti. Primum autem huma-

---

2695. 1) *N.* 2680. 2686.
2) *ibid.*
3) *Frankf. Rel. Hndl. I. Beil.* 21, *p.* 44, *cf. Corp. Ref.* IX. 179 *ubi tamen statim in primo vocabulo erratum est. Calvinus minus accurate vel ex memoria vel ex versione aliqua argumentum refert.*

4) *Litem scil. cum Bernensibus.*
5) *Post cladem ad S. Quintinum d.* 10. *Aug.*

2696. 1) *N.* 2607.

nitati tuae gratias ago, quod ad hominem ignotum, veritatis tamen et piae concordiae studiosum de nostri temporis gravi controversia, quae ecclesias veritatis amantes distraxit, tam libere scripsisti. Ac optarim sic moderari scripta singulos, ne plus affectibus tribuere viderentur quam veritati. Existimas transire nostros fines modestiae: id quod fieri potest quum homines sint, sed neque vestri intra cancellos sese continent. Hoc ego non malitiae scribentium tribuo, sed potius rei, quae agitatur vehementer, et efficit ut metae interdum obliviscantur scribentes. Utut autem sit, probo tuam sententiam: quod de re potius agendum existimas, qua in re ego quoque plus iudico utilitatis constitutum.

Quod igitur ad duas quaestiones attinet: respondisti quidem, sed ita, ut nondum a priore sententia dimoveri potuerim. Concedis ali fideles carne et sanguine Christi substantialiter, sed ita explicas, ut non de sumtione, sed effectu carnis et sanguinis Christi intelligere videaris. Neque mixtionem nostrae carnis cum Christi carne fingimus: sed sumtionem affirmamus non naturalem, non coactam, sed voluntariam, et ab omni sensuum iudicio remotam. Hac in re si laeditur ratio, non illam iuvat quod fingit absurdum: carnem Christi necessario immensam esse. Eadem ratione concludam, Christum Dei filium in utero Mariae non fuisse: divinitatem enim dimensam et certis metis circumscriptam statuere necesse est. Non ergo absurdis tantum moti simplicem et expressum scripturae locum mitigari convenit.[2]) Video autem in tuis Institutionibus rectius te loqui caeteris: sed, ut verum tua dixerim pace, nondum perspicio idem te dicere quod Augustana confessio habet. Imo quod doces, coenae substantiam esse Christum ipsum, postea tollis, quum non de substantia sed effectu dictum accipis. Haec ego ad te libere et candide, non ullius hominis adhortatione motus scribo.

De altero capite facile conveniret, si recte inter nos de primo statutum esset. Incredulos accipere carnem et sanguinem Christi, Paulus expresse testatur: quod autem in illis efficax non est sumtio carnis et sanguinis Domini, sumentium fit vitio, quibus non est corpus vivificum, quia fide destituuntur. Ita evangelium odor est mortis incredulis. Augustini locum non ignoro: nec aliud ibi affirmat quam: caeteros et substantiam et effectum consequutos, in Iuda sumtionem panis fine fructu fuisse.

Nolo tamen, colende vir, ita nostros divelli animos, ut quae recte a te et vestris dicuntur damnem: et hac in re modestius actum cuperem. Nec distrahantur animi et ecclesiae hanc ob causam. Oremus Dominum, ut patefiat veritas, et piae concordiae ratio ineatur. In hisce regionibus fruimur quidem pace, sed variis affligimur rumoribus: minitantur multa, sed Domini sumus. Vix ante mensem descenderunt in Ungariam nostri milites: ita nos pugnamus elapso tempore commodissimo. Editus est in Bavaria liber, titulo: Communionis ritus catholicus, et latine et germanice. Latinum misi D. Iacobo *Derbille.* Miserunt libellos sacrificulis addito mandato, ne diversa ratione communionem peragerent. In Germanico Ducis mandatum exstat. Scripserunt autem ad me multi ex nobilibus in ducatu Bavariae,[3]) ut inspicerem refutationem institutam ab alio quodam, et prelo committerem. Inspexi et addidi quae videbantur, ac *Iacobo* misi, rogans ut propter Christi gloriam et multorum salutem in Bavaria publicaret. Nomen non est additum autoris: fugiunt enim quam primum inspexerint, neque illi addiderunt. Et optarim locum in quo excuditur non addi. Latine respondebitur: cuius exemplum ad te mittam. Sis igitur hortator *Iacobo,* ut hac in re nobis, imo ecclesiae Dei, inserviat. Dominus illi vicissim benefaciet. Habet Bavaria praesules 72 infulatos, ut vocant, quibus defertur titulus dominorum: hi soli oderunt cum similibus veritatem. Nobiles et civitates amant: principi supplicant, sed post multas supplicationes et effusa ingenti pecuniae summa (videlicet, ducentis et triginta duobus millibus florenorum) quum se voti compotes factos putarent, hic libellus editur. Impetremus igitur a vobis hoc, ut refutatio edatur. Feliciter vale, et de me sic statuas, amplecti quidem me dogma a vestris alienum: sed recte dicta libenter accipere, et reverenter vos colere. Dominus benedicat suis ecclesiis. Ratis. Calend. Septembr. 1557.

T.
Martinus Schallingius.

2697.

VIRETUS CALVINO.

Bernam vocatus est ut responderet ad accusationes a Lausannensibus contra ipsum apud senatum prolatas. Sed bono animo ibit et potius munere se abdicabit quam ministerii autoritatem minui patietur.

---

2) *sic.*

3) *De progressibus evangelii in Bavaria regnante duce Alberto V. cf.* Sugenheim, *Baierns Kirchen- und Volkszustände im* 16. *Jhh. Giessen* 1842, *p.* 50 *sqq. Medicus, Gesch. der ev. Kirche im Kön. Bayern. Erl.* 1863, *p.* 382 *sq.*

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 117. Alia exx. exstant in Cod. 116, fol. 124, Bern. VI. 783. Simler. Vol. 90.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori praestantissimo fratri et symmystae observando.

Genevae.

S. Nostri tandem vomuerunt virus quod concoquere non potuerunt.[1] Questi sunt legati Lausannenses apud senatum Bernensem de meis concionibus quibus illos insecter. Dictus est mihi dies mensis huius octavus. Vix mihi suppetit tempus ad induendas ocreas. Scriptae sunt literae ad praefectum nostrum qui mihi diem diceret Calendis Septembribus. Hodie praefectus eas accepit sub horam secundam pomeridianam quibus acceptis me statim admonuit. Bene habet quod praefectum habemus aequi et iusti amantem, quem certo scio nobis non solum non futurum hostem sed etiam testem, adiutorem et patronum bonae causae. Huc accedit quod ipse quoque Bernae aderit eo ipso tempore quo causa mea agetur. Statuerat enim prius ob sua privata negotia eo proficisci. Quod non fit sine numine. Literae testantur legatos Lausannenses questos. Ego vero intellexi: in eam legationem non consensisse saltem maiorem senatum. De minore ego dubito. Scio certe in eo esse multos qui mihi non adversentur. Sed utut res habeat non valde moror etiamsi omnes adversus me insurrexerint, quod tamen non spero futurum. Scio enim quam agam causam et cuius auspiciis cuiusque protectus patrocinio. Accidit quod diu optaveram et cuius causa acrius pupugi non stupidas tantum sed plane emortuas conscientias.[2] Audiar, opinor, minore cum invidia defensor quam accusator. Hoc solum metuo quod suspicor, adversarios nolle causam hanc agi serio, sed mihi metum incuti aut meam libertatem aliqua commonitione[3] cohiberi. Neque dubito quin me maxima gravarint invidia communicati inter nos consilii.[4] Non possunt enim tacere, quin palam iactent, me haec Genevae didicisse ac mihi tuum me proposuisse exemplar, quod sequerer. Ego vero non statui causae renunciare quin ea agatur ut res ipsa postulat. Aut certo me amplius non habebunt ministrum, aut coercebitur ista licentia et sancietur autoritas mei ministerii ab iis qui illud tueri debent. Interea quaeso te, ne quid animo mea causa discrucieris, sed potius mihi gratulare, commendans Domino communem causam. Salutem multam tibi dicunt fratres omnes. Uxor maximo capitis dolore cruciatur, qui singulis diebus et certis horis recurrit. Illa se tuis precibus commendat. Saluta amicos. Vale optime ac diutissime. Lausannae 3. Septembris.[5]

Tuus Petrus Viretus.

2697. 1) *De iis rebus quae hic paulo obscurius tractantur vide etiam epp. Calvini ad Farellum et Bezam N.* 2709. 2710 *tum ad Viretum N.* 2739 *maxime vero Halleri N.* 2711.

2) *Patet Viretum accusatum fuisse propter conciones nimis acriter de quorundam moribus publice iudicantes, minime vero, quod Hundeshagenio placuit, senatui Bernensi ipsi infestas. Caeterum neque Ruchatius neque Schmidtius haec attingit.*

3) comminatione?

4) *Fortassis etiam de disciplina ad modum Genevensem instituenda agebatur.*

5) *Bene Simlerus ad a.* 1557 *refert, ut ex epp. pluribus hoc ipso mense scriptis mox efficies. Hundesh. p.* 353 (*sequutus Cod. Bern. qui ipse Cod.* 116 *describit*), *de a.* 1558 *cogitat. Sed m. Sept. huius anni plane alia Viretum inter et Calvinum intercedebat ratio.*

2698.

VIRETUS BULLINGERO.

Rogat ut Vermilio autor sit ut vocationem Genevensem sequatur.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim. Epp. Tom. 24, fol. 342. Simler. Vol. 90.)

Clarissimo viro D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae antistiti fratri et symmystae plurimum observando.

Tiguri.

S. Rarius ad te scribo, imo nihil penitus longo iam tempore, propterea quod scio te de rebus nostris saepe fieri certiorem literis tum *Bezae* nostri, tum D. *Calvini*, quibus quod adiiciam non habeo. Huc accedit quod is est status nostrarum ecclesiarum ut vix quidquam occurrat cuius sola commemoratio moerorem piis mentibus non afferat. Nescio sane quas tandem simus ecclesias habituri, si sic pergitur, quarum vix ullam iam retinemus faciem, ut nihil undique conspiciatur praeter faciem Dei irati adversus nos. Dominus sit nobis propitius et suae ecclesiae. Audivisti opinor de obitu optimi pastoris ecclesiae Italicae quae Genevae collecta est, in cuius locum ab eadem electus est D. *Petrus Martyr*, cuius rei gratia hic nuncius et legatus ad vos proficiscitur. Is me rogavit fratrum nomine a quibus mittitur, ut meas quoque literas adderem literis D. *Calvini*,[1] quas ad te hac de

2698. 1) *N.* 2694. 2695.

causa scripsit, cui non invitus morem gessi quamquam mea interpellatione nihil admodum opus esse putavi. Scripsi tamen ut una cum aliis te rogarem, non solum ne autor esses D. *Martyri* ne conditionem renueret, sed etiam impulsor ut tam sanctae vocationi aequiesceret succurreretque afflictae et turbatae ecclesiae suae gentis, cui plus debet quam caeteris, multis nominibus. Fratres omnes et symmystae tibi multam dicunt salutem. Salvos et incolumes vos omnes esse cupio: nominatim D. *Petrum Martyrem*, D. *Gualtherum*, et caeteros amicos. Vale optime ac diutissime. Lausannae 4. Septemb.

Tuus Petrus Viretus.

2699.

BEZA BULLINGERO.

Longiorem promittit confessionis suae πολυθρυλλήτου rationem se redditurum, simul otium contigerit.

(Apographa duo habuimus Genevae in Cod. 119, fol. 163 et 111b, fol. 36 et Simlerianum Vol. 90. Edidit integram Baum. I. 482.)

Salutem et pacem a Domino. Istis *Farelli* nostri literis,[1]) mi pater, meas eram bene longas adiuncturus quas superiore hebdomade tibi et D. *Martyri* scripsi.[2]) Sed commodum heri evenit ut tuae illae mihi redderentur quas ad D. *Calvinum* die superioris mensis 13 scripsisti.[3]) Quoniam igitur illae multo plenius rem tractant de qua ad vos scripseram, nec mihi licuit responsum tam subito parare, coactus sum differre quod iam pridem factum esse mallem. Novi enim Satanae astutias. Sed tamen de te nostrisque istic omnibus optima quaeque mihi polliceor, quibus nimirum melius, ut spero, simus noti ac perspecti quam ut nefandum quidquam de nobis suspicemini. Me quidem spero ita vobis satisfacturum ut omnem vobis scrupulum eximam. Interim vide, mi pater, ut me ames. — — — — — — — — — Lausannae 4. Sept. 1557.

Th. Beza
filius tibi in Domino addictissimus.

2699. 1) *N.* 2693.
2) *N.* 2689.
3) *N.* 2682.

2700.

GALLASIUS MINISTRIS GENEVENSIBUS.

Clades coetus piorum Parisiensium. Ipse loco cedere cupit.

(Ex apographo quod legitur in Commentariis Vener. Ministerii Genev. B. fol. 29.)

Carissimis et observandissimis fratribus et symmystis meis.

Quanta nudius tertius coetui nostro clades acciderit,[1]) vos iam ex rumoribus saltem audiisse puto.

2700. 1) *Pridie Nonas Sept. coetus fidelium in aedibus Bartomerii cuiusdam in via S. Jacobi sitis (quas iis heri cognatus, Taurin Gravelle, advocatus parlamenti commodaverat) subita invasione facta autoribus sacerdotibus collegii Plessiaci e regione siti in vincula coniecti sunt. (Hist. des Martyrs f.* 465. *Hist. eccl.* I. 116. *Baum, Beza* I. 294. *Coquerel, hist. de l'égl. de Paris. p.* 19.) *Ipse Gallasius d.* 16. *Augusti Lutetiam se contulerat (Reg. de la Comp.) comite assumpto Nicolao Rousseau eccl. Paris. presbytero. In itinere capti sunt et Nicolaus ille qui in sarcinis suis libros et epistolas habebat Divionem ductus in vinculis obiit et post mortem combustus fuit, Gallasius vero dimissus. (Hist. eccl.* I. 137.) *Ex Historia Martyrum nonnulla hic addere liceat. Ex viris plurimi sibi viam per vulgi catervas aperire potuerunt:* Un seul de toute la troupe n'ayant sa course libre entre tant d'empeschemens fut atteint d'une pierre et abbatu sur le pavé et assommé d'une façon pitoyable jusques à perdre toute forme humaine et de là fut emporté au cloistre S. Benoit et exposé aux outrages de tout le monde. Apres plusieurs saillies il ne demeura plus en la maison que les femmes et ieunes enfans et quelques hommes qui de frayeur n'oserent suyvre. Martine procureur du Roi au Chastelet arriva avec commissaires et force sergens tout à propos pour empescher leur massacre. On commanda que tous fussent liez et menez en prison et le peuple en multitude infinie s'estoit espandu tout le long de la rue les attendant avec armes et despitant Dieu et les magistrats, tellement que quand ces povres gens ainsi garrotez vinrent à passer ils leur dirent non seulemont mille vilenies et iniures mais les battirent outrageusement des fustes de leurs hallebardes et iavelines, ceux principalement qui estoient d'aage ou en robes longues. Car ils se donnoyent opinion que c'estoyent les predicans. Martine voyant cela voulut reserver les femmes en la maison jusqu'à ce que ce meschant peuple se fust escoulé, mais il ne luy fut pas possible. Car ce peuple menaçoit que luy mesme en seroit le bourreau et mettroit le feu en la maison si on ne les mettoit hors comme les autres. Pourtant ce fut force de les exposer à ceste furie, et aussi ne les epargna il non plus que les hommes, sans aucun respect ni du sexe ni de leur estat. Car quatre ou cinq exceptees toutes estoyent Dames ou Damoiselles de grandes maisons. Elles furent nommees putains et chargees d'iniures et outragees de coups: leurs accoustremens furent mis en pieces, leurs chaperons abbatus de leurs testes, leurs cheveux arraches et leurs visages souillez et couverts d'ordures et de fange. En tel estat tous furent conduits aux prisons apres avoir esté assiegez en la maison l'espace de six heures au nombre de six à sept vingts . . . . Or s'ils furent mal traittez par les rues ils ne furent pas mieux en la prison du Chastelet ou ils furent premierement conduits. Car les brigans et voleurs

Ducenti fere captivi tenentur ab hostibus qui dira omnia ipsis minantur. Inter eos insignes plerique tum viri tum mulieres, quorum tamen nec stirpis nec dignitatis ulla ratio habetur. Nec enim κορυφαῖος * [2]) precibus ullis flecti se sinit: adeo ipsum exsecranda Thais [3]) et Galerites [4]) fascinarunt. Nam iis solis credit et committit. In tanta dissipatione quid istic promovere possim videte. Passim ego plus quam speraram innotui, ac percrebuit novum quendam ducem illinc missum esse, a cuius militibus nova haec tragoedia permota est. Quomodo omnia acciderint tum ex aliis tum ex me aliquando certius intelligetis. Tanta sunt pericula huius belli ut ego hic diutius consistere non possim. Quare si me aliqua in re civitati nostrae prodesse existimatis, istinc me eripite. Qua conditione missus sim ignorant commilitones mei, [5]) quia vestras literas non acceperunt. Putant me omnino ipsis addictum ac devotum esse, et quamvis ab initio id fieri non posse affirmarim, fidem tamen mihi habere nolunt. Gaudeo et Deo Opt. Max. gratias habeo quod in his turbis hic adfui. Etenim, si nihil aliud profeci, saltem multis perversis et exitiosis consiliis obstiti, quae non offensionem solum maximam, sed graviores nostris clades extremamque perniciem attulissent. Quamobrem vos rogo atque obsecro ut, quantocius fieri poterit, literas ad ipsos detis, [6]) ne quid temere aggrediantur sanisque consiliis pareant. Si tardius a vobis literae mittantur, vereor ne parum prosint. Difficile enim est multorum impetum cohibere. Caetera alias, quum mihi vobiscum libere communicare licebit. Vos omnes in Domino salvere cupio, inprimisque *Passelium* nostrum, parentem meum, ad quem ego nuper literas vobis communes dedi. Dominus vos spiritu suo regat atque incolumes gregi suo servet. Valete. E castris 7°. die Septembris 1557.

Vestri observantissimus
NDGLSI[9]. [7])

furent retirez des fosses et crotons les plus infects pour leur faire place; le boire et le manger estoit refusé à beaucoup d'entre eux iusques à bien longtemps et inhibition faite de donner entree à personne. Mais à cause du grand nombre les geoliers avoyent esté contraints d'en mettre plusieurs en un mesme lieu, tellement qu'il s'en trouvoit tousiours quelqu'un plus fortifié que ses compagnons qui leur donnoit courage. De tous costes pseaumes se chantoyent et retentissoit tout le Chastelet des louanges de Dieu . . . . .

2) *Henricus II.*
3) *Diana de Poitiers.*
4) *Cardinalis Bertrandi garde des sceaux.*
5) *An Gallasius olim Lutetiae studiis operam dederat? An symmystas commilitones vocat?*
6) *vide N.* 2715.
7) Nic. Des Galasius.

2701.

CALVINUS MELANCHTHONI.

Occasione itineris iuvenis cuiusdam Saxonis e Gallia redeuntis, quem ei commendat, nonnulla de bello in patria sua saeviente affert, simul vota facit pro pace Wormatiae concilianda.

(Ex apographo Cod. Paris. Collect. Dupuy 102, fol. 25, satis recenti.)

D. Philippo Melancthoni.

Nuper intra paucos dies ad te bis scripsi, [1]) nec vero nova iam materia erat, nisi quod hunc optimum adolescentem [2]) sine mea commendatione nolui ad te dimittere, praesertim quum iam magni beneficii loco a me peteret. Utinam multos Saxonia produceret similes. Dedit operam legibus in Gallia, ubi sacros piorum conventus qui illic non sine maximo vitae discrimine clam aguntur frequentavit. Reversus vixit apud nos circiter quatuor menses, et ea ostendit pietatis modestiae integritatis signa ut bonorum omnium amore dignum arbitrer. Hoc si tibi persuadeo non est quod pluribus tecum agam, quia facilis ad te pro solita humanitate aditus patebit homini tuae doctrinae cupidissimo. Si quid serio agatur, subsistere Wormatiae decrevit, [3]) saltem ad duos vel tres menses, donec exitus colloquii vestri melius aliquid pariat. Sperant enim adhuc multi boni viri, postquam desperata fuerit pacificatio cum professis hostibus, nonnullos proceres, qui hactenus a nobis alienissimi fuerunt, sedandis intestinis discordiis libenter operam daturos. Cuius consilii non dubito quin futurus sis strenuus adiutor.

De ecclesiae nostrae statu plura ex nuncii sermone intelliges quam audeam literis complecti. Quamnam cladem [4]) exercitu profligato rex Galliae acceperit, pridem vobis notum est. Longe tamen plus damni attulit quae paulo post sequuta est urbis munitissimae expugnatio (S. Quintinum appellant). Illinc non est integrum diei unius iter Noviodunum, [5]) isque * media regio plana et exposita hostium direptioni. Quod si verus est rumor, iam bis ero patriae meae superstes. Regem negant valde esse perculsum, sive magnitudine animi, sive tardi-

2701. 1) *N.* 2677, *altera non exstat.*
2) *Nulli dubitamus quin de Zulegero dicat, in quem haec omnia optime quadrant. V. infra N.* 2721.
3) *Quod facere non potuit quum subito in patriam Ioachimsthal revocatus fuerit.*
4) *Prope S. Quintinum d.* 10. *Aug.*
5) *Primum scripserat librarius:* Neocomum. *Urbs patria Calvini iam a.* 1552 *incendio bellico deleta fuerat.*

tate fiat. *Guysianus,* [6]) qui celeriter revocatus fuerat, nescio qua de causa moratur. Timendum ne victores liberum reditum permittant. Maritimam interea Apuliae oram ferunt a classe Turcica vastari. Sed quia frater *Guysiani,* qui ex ordine Rhodiorum est, quatuor gallericas oppressit, coniectura probabilis est reliquos Gallis fore infensos. Suspecta quoque defectio est *Poulani* cuiusdam qui unus ex regiis praefectis erat in mari Ligustico. [7])

Haec tanquam otiosus ad te scribo ut vicissim aliquid eliciam. Vale, clarissime vir et mihi semper ex animo observande. Dominus tibi adsit, te regat, tueatur et confirmet usque in finem. Genevae 5. Idus Septembr. 1557.

Ioannes Calvinus tuus.

2702.

FARELLUS CALVINO.

Praeter alia quaedam obiter et satis obscure prolata, de itinere marchionissae de Rothelin per Genevam, Bezae vocatione Parisiensi, colloquioque loquitur Wormatiensi, quo Calvinum ire cupit ipso comite.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 133, coll. c. Cod. 116, fol. 58, Epp. Bern. VI. p. 678 et Simleri Vol. 90.)

A Monsieur Calvin.

S. Longe magis optabamus te huc venire quam matrem principis [1]) istuc ad te: tamen gratias Domino agimus quod eo adducta fuerit, ut mutarit sententiam et istac transierit teque audierit. Quod ut sine dispensatione Dei factum non est, ita fructu non carebit. Iussus fui ab ea, dum hinc solveret principem [*et*] se quoque tuis et istius ecclesiae precibus commendare, quod non dubito et praesentem fecisse, teque ultro facturum etiam non rogatum, cuius gratia te etiam atque etiam rogo.

Quid conetur Satanas contra ecclesiam omnia satis testantur. Sed invocemus Dominum plena in ipsum fide et omnia feliciter cedent. Protector et servator noster est Deus, qui pro nobis est: quis poterit contra nos? Tu in horas singulisque momentis quum experiaris non modo in te, verum etiam in tam multis (quot enim admiranda valde singulis momentis vides et audis), velitque Dominus te testem esse non verbo tantum praesentibus, verum scriptis quoque posteris, quid opus habes, ut quis te moneat horum? Roborandi per te sunt omnes qui per Iudas, defectionem suorum, per Scribas, per Pharisaeos, per Pilatos et Herodes et improbitatem plebis et militum divexantur.

Habes quae scribit pius ille Anto. *Quadratus,* [2]) quae ubi legeris et ad *Viretum* miseris, iubeto mihi reddi, nam vix licuit mihi legere festinanter, non sine culpa huius, qui abitionem suam mihi non indicavit, nisi dum ad iter se parat. De *Beza* valde sum in dubio talem et tantum *Vireto* adimere, [3]) et collegium eo privare aliis * qui virum exoptant, unde tantus fructus patet, ut nihil sit quod apud nos agit, quum praeterea Dominus virum ad id movere videatur, non video quid * Deo resistere possimus. Ego quid possim? Hic nihil, alibi minus, tamen quod visum fuerit Domino, paratus sum facere. Vires ipse suppeditet.

Quam semper optavi te ad conventum Wormatiensem venire et lubens tibi comes ero, et in via adnitemur *Blaurerum* nobis adiungere, ut tandem tam pestilens dissidium prorsus tollatur vel plene sopiatur. Quamvis gravissima te detineant, non video qua ratione possis non ultro et etiam non vocatus te ingerere, ut componas vel tuo tantum nomine cum illis, nunc quum cogentur principes, qui sponte eo propendebant: quid potes cessare, quin accurras? Si tu nolis, eo, si possum me conferam. [4]) Utinam *Bezam* habere possim. Dona hoc mihi, meo Christo et suae ecclesiae, et hic non tam omnia expendas quae te remorari possunt. Audendum pro tam sancto opere.

Diligentius perquisivi de responso tuo ad *Westphalum,* sed nemo ex iis, qui adferunt istinc huc libros, nec alius dixit se habere quin et Lausannae perquisivi, sed nusquam inventum est. Sed concio

---

6) *Henricus ex Italia redux, ubi gallicis et pontificalibus copiis praefuerat, iam exercitui in Picardia praefectus est.* (*De Thou* II. 530.)

7) *Poulin, baron de la Garde, général des galères du Roi.*

2702. 1) *De Jacobaea de Rohan marchionissa de Rothelin cf. supra N.* 2645. 2647. 2653. 2659. 2660. Le duc de Longueville (*filius eius*) fut fait prisonnier par les Espagnols à la bataille de St. Quentin, Bonstetten, le gouverneur de Neuchatel en ayant informé les seigneurs de Berne ceux-ci écrivirent à la marquise le 22. Août une lettre de condoléance. Et comme elle avait dessein de retourner en France pour travailler à faire rendre la liberté à son fils, ils lui conseillèrent de ne pas passer par la Bourgogne parceque cette route était trop dangereuse. (*Ruchat* VI. 222.)

2) *N.* 2637. 2654. 2655.

3) *Bezam tunc temporis enixe Parisienses sibi expetebant.* (*Baum* I. 329.)

4) *Scilicet vana spe delusus et sibi successura haud diffidens quae tot alii frustra tentaverant. Revera in Germaniam se contulit sed alia de causa, vel si mavis alio praetextu, scil. ut principibus pios Parisienses commendaret.*

me vocat parum firmum, quum domestica me angant. Christus *Claudio* fratri sit propitius, nam is mire domum perdidit, nescio an magis perdat. Vale bene cum collegis omnibus et tam sancto coetu. Cupio syndicos cum senatu salvos. Collega te salutat. Ignosce quum relegere non licuerit. Neocomi 8. Septembris 1557.

Tuus Farellus.

2703.

LISMANINUS BULLINGERO.

Fratrum Bohemicorum confessionem Turicensium censurae submittit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 113, olim Epp. Tom. VII. P. I. p. 2305. — Simler. Vol. 90.)

Doctrina et pietate praestantissimo D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo Domino et fratri observandissimo.

Tiguri.

— Valdensium Apologia [1]) quam tibi nunc mitto opus habet commendatione vestrae ecclesiae aut censura, quare omnium hic piorum nomine te et omnes tuos symmystas rogo ut serio hic nobis adsitis, quo tolli possint remorae quas Satan iniicit ne pulcherrimum hoc aedificium assurgat. Dedi *Stanislao* [2]) memoriae causa descriptos locos qui examine indigent. Qui confessioni Augustanae sunt addicti abhorrent doctrinam Valdensium. Et a D. *a Lasco* sententia quoque dissentiunt. D. *a Lasco* rursum Valdenses per omnia non probat nec cum confessioni Augustanae addictis sibi convenit, ut ex eius libello, cui titulus est: Purgatio Ministrorum etc. [3]) apparet. Valdenses vero ne tantillum a confessione sua [4]) et apologia discedent, nisi iudicium primorum in ecclesia Dei virorum, idque ex verbo Dei, accesserit. Iis adiuncti sunt primarii ex proceribus et nobilitate viri complures, [5]) qui ita ex eorum praescripto et sentiunt et vivunt, ut malint exsulare, quam aliorum uti ministerio. Mihi hoc remedium praesentaneum videtur, ut quam primum exhiberi possit istarum ecclesiarum iudicium. Ad hoc mitto aliquot exemplaria Apologiae et duo in quibus est quoque confessio. — — — — — — — — —

Ex Tomice [6]) 8. Sept. 1557.

Franc. Lismaninus tuus.

2703. 1) *Quos hic Waldenses dicit alias fratres Moravienses appellantur, quos et Lutherani et Calvinistae, maxime Lascus, ad suas partes trahere studebant. Cf. N.* 2633. 2640 *et infra N.* 2745. *Salig* II. 619 *ss. Vergerii Epp. ed. Kausler et Schott, passim, maxime ineunte a.* 1558 *scriptae. Gindely, Gesch. d. böhm. Br.* I. 403 *ss. Titulus libri in textu laudati est:* Apologia verae doctrinae eorum qui vulgo appellantur Waldenses vel Picardi. Transl. e Bohemico. Witeb. 1538. 4.

2) *Stanislaus comes de Ostrorog Lismanini amicus.*

3) Purgatio ministrorum in ecclesiis peregrinorum Francofurti. Basil. Oporin. 1556. 8. (*et in Frankf. Rel. Hndl. II. Beil.* 167). *Gindely l. l.:* Hatte Hr. v. Laski bei seiner Rückkunft sich nicht bes. mit den Brüdern befreundet, so war dies um so weniger in der nächsten Zeit der Fall. Er nahm ihre Confession zur Hand und verzeichnete seine Einwände gegen die einzelnen Artikel. Ob er sie drucken liess ist nicht bekannt; doch sorgte er für ihre Verbreitung und trug dadurch einerseits zur Entfernung der Kalviner von den Brüdern bei, andrerseits stachelte er das Misstrauen der letztern in nicht zu überwindendem Masse auf. Ja, er und Lismanin schrieben jetzt nach der Schweiz, schickten dahin die Confession der Brüder zur Begutachtung und forderten die Ausstellung ihrer Fehler, um der Unität in der öfftl. Meinung Abbruch zu thun.

4) Confessio fidei ac religionis Baronum ac nobilium regni Bohemiae Ser. Romanorum Regi Viennae sub a. 1535 oblata. Cum praef. M. Lutheri Witeb. 4. — Confessio . . . . a nobilibus ex communitate fratrum Bohemicorum Regi Ferdinando 13. Nov. 1535 oblata. Recognita et conversa in l. lat. nova interpr. a. 1573. Basil. 1575. 8. *et saepius.* (*Niemeyer, Coll. Confess. eccl. ref. L.* 1840, *p.* 771 *cf. praef. p.* 86.)

5) *Inter alios Iacobus Comes de Ostrorog cum uxore Barbara Stadnicia, aliisque membris eiusdem familiae nobilissimae.* (*Salig* II. 584 *ss.*)

6) *Castellanus Tomickius postr. Id. Sept.* 1557 *ad Matthiam Czerwenkam, qui fratrum Bohemicorum fere caput erat, haec scripsit:* Quinta die Augusti quum domum redii reperi D. Lismaninum, qui accedente voluntate regia apud me manere constituit, octavaque die eiusdem mensis pro uxore in Tigurim misit, misitque ad illas ecclesias exemplaria confessionis nostrae aliquot. Etsi D. Stan. ab Ostrorog obtulerat illi apud se mansionem, verum ille non alibi animum quam apud me manendi declaravit: acquievi voluntati eius. (*Gindely p.* 520.)

2704.

CALVINUS VIRETO ET BEZAE.

Illi quidem de Zerkinte, qui conquestus fuerat de minus amico iudicio Calvini, ipsum Gribaldi patronum dicente: huic vero de libello quodam quem Castellionis esse suspicatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 312. Legitur quoque in Cod. 107b, fol. 97, in Epp. Bern. Tom. VII. p. 161 et apud Simlerum Vol. 90: in his tamen non integra et ubique sine inscriptione.)

S. Putabam garrulitatem hic maxime regnare, sed urbs vestra longe, ut video, superat. Unum ex multis exemplum proferam. Conquestus est *Zerkintes* magno se odio et infamia gravatum apud vos fuisse, quia scripserim fuisse *Gribaldi* in pessima, imo detestabili causa patronum. Ergo quas vel tibi vel *Bezae* nostro scripsi, senatus nostri scribae ostendi cupio, ut intelligas [1]) meas literas maligne fuisse depravatas. Id sibi relatum dicit a quodam verbi ministro. Quod mihi novum non est, quia scio in hoc sancto ordine multos esse diabolos. Ego autem hoc consilio scripseram, ut satis liquebit ex verbis, ut falsam medici iactantiam refelleret *Musculus*. De *Zerkinte*, cui etiam macula aspersa fuerat, dicebam me non ita mirari quia nimia mansuetudinis affectatione saepe a recta via declinat. Tu quisnam ille bonus fuerit frater, in memoriam si potes revoca.

D. Bezae. [2])

His diebus scriptum illud quod nuper attuleras inspexi. Nondum statui an respondere mihi sit commodum. Interea scire cupio quisnam sit autor, et si *Castalionem* resipit, deinde quomodo nactus sis exemplar.

Valete ambo, optimi et integerrimi fratres. Dominus vos tueatur regat conservet ac benedicat perpetuo. Amen. Genevae. [3])

2705.

BEZA BULLINGERO.

Denuo et copiosius suam sententiam de coena exponit, confessionem vindicat, meliora edoceri cupit si erraverit, et de colloquio instituendo optima quaeque sperat.

(Ex autographo Cod. Genev. 118, fol. 133. Edidit Baum. I. 483. Inscriptio desideratur.)

Salutem et pacem a Domino.

Literae illae tuae, mi pater, quas superioris mensis Augusti decimo tertio die ad *Calvinum* nostrum dedisti, varie me affecerunt. Neque enim mihi quidquam vel ista tua offensione acerbius, vel paterna tua admonitione iucundius accidere potuit. Spero autem fore ut hoc meum responsum benigne vicissim accipias, quod ego quidem ad te non aliam ob causam mittam, quam ut sententiam meam copiosius tibi exponam et plenius a te erudiar.

Substantiam Domini intelligimus verum ipsius corpus et verum sanguinem, quibus communicare nos per fidem oporteat. Hoc vero diximus quia non videmus qui beneficia hauriamus ex Christo, quibus iustificemur, sanctificemur, servemur, nisi primum omnium ipse noster fiat. Nostrum autem fieri putamus adeo arcto vinculo per fidem ut unum cum eo fiamus. Nam quemadmodum naturaliter accepimus substantiam a priore illo Adamo irae Dei obnoxiam, non tantum propter corruptionis fructus, sed multo magis quia in sese rea et corrupta est, ita putamus oportere nos cum posteriore Adamo ipso per gratiam fide apprehensam, incomprehensibili quidem spiritus virtute, quae res loco distantes unit, sed tamen vere coalescere, nempe ut in eius carne plene ab ipso conceptionis momento, per divinitatem corporaliter inhabitantem sanctificata, nos ipsius membra effecti, non obstantibus peccati reliquiis, veluti penitus puri placeamus: ex qua etiam tum per imputationem, tum per regenerantem spiritum hauriamus certa adversus corruptionis fructus remedia, quibus ad aeternam vitam vivamus. In hanc autem sententiam videtur nos et ipsum verbum Domini et veterum ac recentiorum interpretum autoritas deducere, quantum quidem possumus intelligere, quum alioqui doctioribus cedere parati simus. Ut paucis omnia absolvam, nec Christum ipsum a suis donis putamus separandum, nec vicissim dona ab ipso Christo seiungenda. Neque enim dicit Dominus: hic est fructus mortis meae, sed: hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, hoc est sanguis meus qui pro vobis effunditur. Et illa: cum Christo unum fieri, Christo inseri, in Christo vivere, esse, radicari, ac similia multa, non posse putamus nisi admodum improprie de beneficiis Christi intelligi, nisi quatenus ab ipso Christo, ab ipsa inquam Christi substantia, quae nobiscum communicatur ad nos promanant. Ideo etiam videtur Paulus diserte communicationem corporis et sanguinis commemorare. Quod autem ad patres attinet, quum omnes uno ore fateantur symbolis tribui rei significatae

---

2704. 1) *sic Codd. Simlerus emendat:* intelligat.
2) *Haec omiserunt Bernensis et Simlerus.*
3) *De epistolae natalibus dubii haeremus. Gribaldi causa Bernae agitata fuit m. Septembre* 1557 (*v. N.* 2717. 2718). *De scripto quodam contra Calvinum Castellioni tributo egit Beza N.* 2676 (*not.* 9). *Calvinus hoc ipso anno* 1557 *ad illud publice respondit.* (*Prolegg. Opp. Tom. IX. p. xxix.*) *Ipse Beza saepius Genevae adesse poterat, nuperrime fuisse videtur post Cal. Sept.* (*N.* 2691). *Ante Idus vero Lausannae redux erat* (*N.* 2709).

nomen, simul videntur ipsius substantiae communicationem stabilire, stabilire spirituali quodam modo, sed tamen vero ac certo factam, per fidem quae in promissiones fertur. Promissionum autem veluti materia est Christus ipse, quo potiri nos oportet: finis vero est, ut in eo filii Dei efficiamur, ac proinde ipsius Christi cohaeredes. Ex recentioribus porro nullum adhuc memini legere, ex nostris quidem, qui aliter mihi visus sit sentire. Nam quae adversus corporalem praesentiam dicta ac scripta sunt, semper ad modum ipsum communicationis, non autem ad materiam, ut ita loquar, putaram accommodari oportere. In hac autem opinione tua etiam scripta me videbantur confirmare, quia videbam multis in locis, quamvis a substantiae nomine abstineas, tamen ipsum Christum et dona ipsius sigillatim a te commemorari, et sane mihi paene absurdum videtur, ipso ut ita dicam fundo praetermisso, dicere nos fructuum fieri participes qui ex fundo proveniant. Deinde vel D. *Martyris* scripta sane non intelligo, vel is profecto in re sacramenti explicanda Dominum ipsum cum suis donis coniungit, ut diserte scribit in commentario prioris ad Corinthios istic excuso, pag. 201 in extremo.

Sed quum illum praesentem istic habeas, aequissimum est ut ille ipse suorum scriptorum sit interpres, cuius autoritatem tanti sane facio, sicuti etiam aequissimum est, ut eius sententiam libentissime sim amplexurus, vel eam unam ob causam, quod minime dubitem quin, si quoquam alio, cum eo maxime consentias. Idem quoque de D. *Calvino* et de D. *Io. a Lasco* iudicium meum adhuc fuit, quibus de causis sum adductus ut certa potissimum ex his testimonia descripserim, ex quibus intelligas quibus de causis sim adductus ut hanc sententiam minime dubitarim tanquam ecclesiarum nostrarum doctoribus communem esse reri. Hac autem in re si quid est quod non viderim (plurima autem esse scio ac nimis vere quotidie experior quae me fugiant) non modo mihi gratissimum feceris, mi pater, si me docueris, quod etiam atque etiam ex animo a te peto, sed etiam id publice agnoscere ac testari non recusabo. Cur enim me proficere et per quem profecerim agnoscere pudeat? nedum ut quemquam mea credulitate aut ignorantia mecum falli sinam? De Osiandrismo,[1]) minime eum nobis obiecerint adversarii, quum ipsi non modo substantiae communicationem, sed etiam corporalem, carnalem, substantialem communicationis modum urgeant, quem nos spiritualem facimus, quia spiritus virtute uniri dicimus fideles qui in terra sunt cum Christo qui in coelis est, ut inde vitam hauriant sempiternam, per eum videlicet et in eo iustificati ac sanctificati. Deinde *Osiander*, substantialis suae iustitiae nomine, divinitatem Christi intelligit, ita quidem inepte ut interim humanitatem non respiciat, cuius satisfactione, iustitia, sanctitate, obedientia sumus, ut inquit ille, *κεχαριτωμένοι*, idque per imputationem, quum alioqui fieri non possit ut id quod illius proprium est nostrum censeatur. Imo vero nosti adversarios nobis impingere nos cum *Schwenfeldio* * facere,[2]) quum spiritum urgemus, quia scilicet non intelligunt vel intelligere se dissimulant, a nobis hoc nomine non vocari rem sacramenti, id est Christum ipsum cum suis donis, sed spiritum sanctum, cuius tum virtute fides in nobis creatur, quam ad rem et verbo et symbolis ut instrumentis utitur, tum etiam cuius vinculo cum capite nostro coniungimur. Quod postea excludimus, substantiae commixtionem, cum superioribus non pugnat. Sic enim dicimus Christum ipsum nobis communicari ut ipse nihilominus quoad humanitatem, sicut dicit Petrus, in coelis maneat. Imo etiam si in terris esset, aut nos in coelis, non imaginaremur crassum ullum communicationis aut coniunctionis modum, sicut caput nostrum cum membris naturaliter cohaeret, aut sicut liquidae substantiae commiscentur. Has omnes et quaecunque aliae sint comprehensibiles, aut, ut ita loquar, humano ingenio descriptibiles communicandi, coniungendi, uniendi rationes, semel tollimus, quia veritati corporis Christi ac proinde orthodoxae fidei repugnant. Sed tamen communicationem retinemus, ex qua videlicet omnia illa hauriamus quae qui non afferat, frustra vitam aeternam speret, nempe peccatorum remissionem, impletionem omnis iustitiae, denique imaginem Dei multo plenius in Christo, cui per fidem uniti sumus, instauratam ab ipso conceptionis momento, quam in priore illo Adamo fuerit creata. Fuit enim hic duntaxat ad imaginem Dei conditus, ille vero verbum aeternum patris, et Deus in carne conspicuus factus. Denique corpus et sanguinem Christi negamus corporaliter, id est corporali aut ulla ratione humanis sensibus comprehensibili adesse, quum sit in coelis, et sicuti diserte in priore confessione diximus, finitum esse non desierit, ac proinde duobus simul locis esse non possit, nedum ut sit immensum aut *ἀπερίγραπτον*, sed tamen Christum dicere possumus substantialiter, id est, ita ut se ipsum donet, corporaliter, id est, ita ut vere illud suum corpus atque adeo se ipsum nobiscum uniat, realiter denique, id est, non ficto, sed vero modo adesse ut se nobiscum com-

---

2705. 1) *Vides eum, dum haec scriberet, ad eas annotationes simul respicere quas supra N.* 2629 *legisti.*

2) *Etiam Farellus N.* 2671 *narrat sibi a quodam scripta Schwenkfeldiana tradita fuisse, scil. utiliter legenda, quasi ipse sua confessione propensionem aliquam in mysticismum manifestasset.*

municet, quamquam ab his quidem vocabulis libentissime abstinuerimus, quia praeterquam quod ambigua sunt, certe sunt eiusmodi ut qualitatem potius quam substantiam describant. Veram ergo hanc sententiam esse putarim: Oportet nos corporaliter Christum recipere, id est, in verum Christi corpus vere coalescere, et ex eo succum vitae aeternae sugere, quod manducationis verbo significatum est Ioh. 6. Hanc vero contra statuerim esse falsissimam: Oportet nos Christum corporaliter recipere, id est, corporali modo, sicuti videlicet corpora sive visibilia sive invisibilia, ut animae corporibus, uniuntur. Corpus enim Christi verum corpus est et supra coelos evectum ideoque nec in pane nec sub pane nec cum pane quaerendum est. Christi corpus absit ut negemus symbolis significari, aut symbola proponi ut absentis *μνημοσύνη*. Sed addidimus adverbium *duntaxat*, ut haec significatio et absentia definiatur. Sic enim significatur ut vere exhibeatur, sic abest ut sit praesentissimum. Nec enim minus certum est nos fide coalescere in Christi corpus, ut fiamus os ex ossibus eius et caro ex carne eius, id est, ut vere et penitissime cum eo uniamur, quam certum est nos istis oculis symbola cernere, auribus promissionem audire, manibus, inquam, symbola accipere et ore deglutire, ut sicut haec vita fovetur corruptibili alimento, sic aeterna vita ex vivifico Christi corpore nobis unito in nos promanet, quamobrem etiam, ut naturali modo absit, tamen spiritus vinculo, per fidem, ita est praesens, ut si naturali modo adesset non magis, imo ne tam quidem efficaciter praesens fuerit futurum.

Quod symbola dicimus rem ipsam semper habere coniunctam, non sine exceptione scriptum est. Dicuntur enim haec Dei promittentis respectu, et coniunctionis modum expresse negamus naturalem esse, quibus verbis excludimus quidquid in sensum humanum cadere potest.

Praesentiam corporis Christi in coena diximus retinere ac defendere, sed eo ipso modo quo praesentiam definivimus, quae ratio si valeat, non video qui possit vel infidelium manducatio, vel immensitas corporis, quam diserte tollimus, consistere. Neque haec loquutio nobis sane videtur inusitata, nisi quum de praesentiae modo naturali agitur. Tunc enim abesse Christi corpus dicitur, alioqui si Christum dicamus a coena abesse, non video qui symbola non evacuemus.

Quaeris quid amplius illi a nobis poscerent. Utinam vero nihil. Sed hoc nempe poscerent, ut Christum in pane, cum pane, sub pane quaereremus, quem nos in coelis esse corporali suo modo ex scriptura dicimus, et tamen vere sese nobis in coena communicare, quia non haeremus in symbolis, sed iis veluti scalis in coelum ascendimus quatenus per ea in nobis fides confirmatur ac nutritur, ad unicum illud suum obiectum Iesum Christum usque perlata. Ex hoc fonte nata est necessario sententia illa, quam ego plane impiam iudico, ex consequenti de glorificati Christi corporis immensitate. Hinc natus error de falsa interpretatione ascensus Domini, quam illi disparitionem interpretantur. Hinc factum ut etiam ab infidelibus rem sacramenti sumi dicerent, quasi vel Christus a suo spiritu seiunctus et exanimis a nobis sumi, vel sive manibus, sive ore,[3]) id est, sine fide, percipi possit. Haec illi et similia quae cohaerent a nobis poscerent, quia modum praesentiae volunt describere et animis comprehendere, quamvis id minime se velle facere clamitent. Haec autem omnia videre me non posse confiteor, quo modo positis iis fundamentis quae posuimus non evertantur. Quod autem existimas, vos a nobis eo esse redactos ut vel a nobis vos dissentire constet, vel, quod nunquam sitis facturi, in novam doctrinam consentire, libero te hac cura, mi pater. Nam praeterquam quod spero fore, ut in hoc nostro responso acquiescas (quidni enim mihi hoc de te pollicear, qui animum meum noris?), si edita ab illis nostra illa confessio fuerit, nempe nostrum fuerit illam interpretari, qua in re iam nunc tibi spondeo fore ut favente Deo piis omnibus satisfaciamus, et tumultuosos omnes egregie, si semel quae posuimus concesserint, compescamus. Tantum rogo te et obtestor cum reliquis quos admonendos putaris, ut si quos compereris hic offendi, uno verbo respondeas, te de mea fide securum esse (ita enim statuo) et certo tibi polliceri, si qui fuerint qui ad oppugnandam veritatem hac nostra confessione abutantur, me in promptu quod respondeam habiturum. Sed sane meliora sperare libet. Audio enim convenisse ut in colloquio illo tandem etiam nostra pars audiatur: quod si verum est, non dubito quin eorum ipsorum opera id sit factum, a quibus tamen video plerosque nihil exspectare. Ego quidem omnibus modis sum imperitus[4]) sed tamen contra spem spero, ac paene confido, vel ineundam concordiam si colloquium hoc non detrectetur, vel saltem ita placandos animos ut paulatim vincat veritas. Tantum cuperem, hanc opinionem ex animis hominum revulsam, neutros quidquam esse de sua sententia remissuros, scripta esse ac decreta severissima in nos edicta, nihil illos praeter Augustanam confessionem accepturos. At ego, etiam si haec omnia mihi compertissima essent, tamen ut omnis occasio calumniarum praecideretur, omnibus modis urgendum colloquium censerem, nedum ut oblata vel minima eius obtinendi occasio respuatur. Quam multa facit quotidie praeter nostram exspectationem

3) *sic legi debere putamus. Autor quidem ita scripsit ut tu legere posses:* sine manibus, sine ore.

4) impetitus?

Dominus, quam solemni promissione piorum conventibus benedixit? Sunt qui ex Nazianzeno didicerint ad synodi nomen veluti nauseare, a quibus sane fateor ita me dissentire, ut contra existimem synodos, etiam quum nihil novi incidit, tamen non modo ut utiles sed etiam ut necessarias crebro in ecclesia usurpandas. In ea opinione me confirmat ipsum Dei verbum, veteris ecclesiae canones, ipsa denique experientia. Etsi enim saepe Dominus propter episcoporum ambitionem synodis non benedixit, tamen illis sane debemus haereticorum profligationem, et collapsis synodis omne simul ecclesiae aedificium paulatim corruisse constat, cuius ruinam nulla meliore ratione instaurari posse iudico. Instituta semel atque iterum colloquutio non feliciter successit, esto: quamquam fortassis longe fuisset uberior eius fructus, si satis tempestive ad hoc remedium ventum esset. Sed ne sic quidem tamen inutilem fuisse iudico. Esto tamen, num idcirco non tentanda? Quam male adhuc successit praeclarum in libris scribendis doctissimorum et optimorum hominum studium? Ita enim incendium hoc, non modo non restinctum sed etiam accensum fuisse, et quotidie magis ac magis constat accendi. Quis tamen idcirco nihil scribendum, nisi prorsus insanus, iudicet? Quorsum autem haec? Nempe, mi pater, ut, quoniam illius colloquii spem non abieci, hoc a te petam ut in hanc rem totus incumbas, qua sane videre non possum quid ecclesiae Dei vel utilius vel magis necessarium possit evenire.

Sed de his hactenus. Ad institutum redeo. Habes facti nostri rationem, quam si probaris, magnam sane molestiam mihi absterseris: sin minus, spero tamen hanc scriptionem vel eo nomine mihi non fore infrugiferam, quod occasionem istius mysterii copiosius mihi abs te explicandi tibi praebebit. Ita fiet ut ex ipsa quoque imprudentia et inscitia mea fructum percipiam. Bene vale, mi pater, cum D. *Gualthero* et symmystis omnibus in Domino plurimum observandis. Dominus Iesus magis ac magis tibi benedicat.[5])

5) *Mense Septembri hanc scriptam esse ex eo facile colliges quod ep. Bullingeri ad Calvinum N.* 2682 *superiore mense scriptam dicit. Scripta autem est evidenter post N.* 2699 *et ante N.* 2708 *seq. ubi de itinere Bezae ad Turicenses agitur.*

2706.

BULLINGERUS CALVINO.

Laudat eius librum contra Saxones scriptum: verum neque de colloquio aliquid sperat, neque Melanchthonem satis firmum habet, neque Bezae confessioni unquam calculum adiiciet. Etiam Vermilius Italis concedi nequit.

(Duplex autographon inspeximus in Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 117 b. et c. olim. Scrin. C. Epp. Vol. II. f. 386 et Vol. III. fol. 679. Simler. Vol. 90. Exemplar Vol. II. simpliciter praefert inscriptionem: *D. Calvino Bullingerus S. D.*)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo domino colendissimo et fratri carissimo.

Genff.

S. D. Legi magna alacritate librum tuum scriptum adversus Saxones, ac inter legendum et Deo et tibi gratias egi plurimas, et ago etiamnum maximas. Placet enim liber. Nolo hic laudes tuas in faciem tibi recitare. Non tamen defuturos scio qui optabunt librum scriptum spiritu sedatiore. Caeterum quo impensius affectus sum defensione communis causae, ita turbor gravius quod intelligo te in *Philippum* semel omnem tuam defigere spem, ac omnia consilia tua in illum dirigere. [1]) Agnosco *Philippum* virum esse bonum, sed hominem, et quidem meticulosum, qui ut centies conveniamus et colloquamur nunquam nostris ecclesiis tantum dabit commodum quantum colloquium, non cum *Philippo*, sed magis cum *Brentio*, *Schneppfio* aliisque institutum furiis incommodabit. Terret me exemplum docuitque experientia. Dum enim beatae memoriae *Bucerus* certam polliceretur concordiam inter *Lutherum* et nostras ecclesias, non parum et ipse fretus philippica moderatione, adeo res non successit, etiam post multos exantlatos labores, post multos sumptus profusos et post multa habita colloquia, ut hostes propemodum infensiores postea habuerimus Saxones, denique nostrarum ecclesiarum pax non parum fuerit turbata, multique, qui iamiam pulchre consenserant, inter se mutuum fuerint commissi. Si tu ergo promisisti colloquium *Philippo*, ego quidem meo arbitrio nihil promitto. Nam non est meae facultatis aut potestatis. Huiusmodi negotium pertinet ad totius ecclesiae cui servio cognitionem. Proinde sine consilio et deliberatione fratrum, sine consilio et consensu sancti magistratus inprimis, adeoque sine

2706. 1) *Scilicet Calvinus de Philippi παῤῥησίᾳ non aliter sentiebat atque Bullingerus, verum eius autoritatem apud Germanos multo maiorem sibi fingebat quam revera erat.*

consilio et conscientia vicinarum sociarumque ecclesiarum, nihil hic promisero. Si autem intellexero legitimum fore colloquium, et ecclesiis ac magistratui id fratribusque fuerit expositum, hic ita me geram, volente Deo, ut ministrum Christi fidelem decere putavero. Et quod attinet confessionem [2]) *Wirtembergensi* et *Palatino* principibus exhibitam, in qua tu nihil vides minus doctrinae nostrae consentaneum, quaedam ego quae dissentanea videantur obiter indicavi: [3]) et sum adhuc in ea sententia quod illam in omnibus non agnosco. Quod si in colloquium descenderetur et adversarii illam nobis obiicerent, eaque nos ceu praeiudicio gravare vellent, hic ego diserte negarem quidquam negotii mihi esse cum ea. Si non dabitur clarius et expeditius sententiam de coena Domini scriptis complecti et efferre in publicum, malo ipse millies condemnari a colloquii praesidibus quam ita obscure, verbis adeo in utramque partem disputabilibus, in adversam tamen magis propendentibus, meam profiteri fidem, aut aliis subscribere profitentibus. [4]) Atqui intelligo ab adversariis spem esse conceptam, et quidem firmissimam, fore ut, quum ad colloquium est perventum, consensuri simus in huiusmodi formam quam acceperunt ab illis qui sanctissime obtestati sunt verbis et stylo ad eum modum doceri in omnibus ecclesiis helveticis etc.

Non vacat nunc ea de re vel D. *Farello* vel D. *Bezae* scribere. Utinam his nihil esset opus etc. Amplissimo viro D. *Petro Martyre* carere non possumus: [5]) effice ergo ne fratres Itali ea re nobis pergant esse molesti. Amamus eos et cuperemus ex animo ipsis obsequi, nisi id postularetur quod praestare non possumus. Salvi sint fratres et symmystae omnes. Tu nos, colendissime et carissime frater, ama in Domino tui amantissimos. Oremus ut in gravibus hisce discriminibus liberemur a malo. Vale. Tiguri 10. Septembris 1557.

Bullingerus tuus.

2) *Bezae et Farelli.*
3) *N.* 2629.
4) *Hic vir summus rectius de illa confessione iudicasse videtur quam Calvinus qui Bezae partes amplexus est quia spem concordiae per colloquium stabiliendae usque fovebat.*
5) *N.* 2694.

2707.

BULLINGERUS ITALIS GENEVENSIBUS.

Rationes exponit propter quas quem sibi petiverant Vermilium Turicenses iis concedere nequeunt. [1])

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 113. olim Epp. Tom. VII. part. I. p. 2308. — Simler. Vol. 90.)

Sanctae Italorum Genevae in Christo collectae ecclesiae mihi perpetuo observandissimae et carissimae.

Gratia et pax a Deo patre nostro et Domino Iesu Christo. Amen.

Clarissimum virum D. Maximilianum *Martinengum* ex turbulentissimo hoc migrasse saeculo gaudemus, eo quod credimus illum multis liberatum malis nunc demum iis frui apud Dominum et salvatorem nostrum gaudiis quae nos speramus. Dolemus autem ex animo vos interim fideli destitutos esse pastore, Dominumque oramus sedulo ut is alium substituat eumque vobis det qui sit secundum cor Dei, denique qui et absque insigni aliarum ecclesiarum detrimento vobis dari possit. Equidem amplissimum virum D. *Petrum Martyrem*, dominum et fratrem nostrum colendissimum carissimumque, vixdum Argentorato venientem excepimus: quomodo vero derepente illum iterum a nobis nunc ablegaremus, praesertim cuius opera nullo modo carere potest fidelis apud nos ecclesia? Scit caritas vestra, semper facilius fuisse pastorem alicui ecclesiae invenire quam pluribus ecclesiis prophetam, sanctarum inquam scripturarum interpretem, et non pubis quidem sed destinatorum sacro ministerio formatorem. Habet quidem D. *Martyr* collegam doctum fidelem pium et exercitatum clarissimum virum D. Theodorum *Bibliandrum*, sed iam gravibus diutinis immoderatisque fractum laboribus, adeoque sibi propemodum nobisque (proh dolor) inutilem. Nisi ergo scholam nostram ecclesiasticam dissipari et aliis quoque irrecuperabilibusque damnis Tigurinam nostram ecclesiam involvi voluimus, D. *Martyrem* retinere coacti sumus. Sunt enim multae aliae quoque graves causae ob quas in vocationem vestram non potuimus consentire. Ego quidem, sicut postulabatis, privatim cum quibusdam contuli viris autoritate et virtute suspiciendis, sed nullum reperiebam qui non indigne ferret D. *Martyris* discessum. Vocavi praeterea in coetum fratres et symmystas omnes quibus exposita est D. *Martyris* vocatio una cum causis suis. Caeterum inter omnes ne unus quidem erat qui non bene esse cuperet vobis omnibus, sed interim sana conscientia dimittere

2707. 1) *Vide N.* 2694 *et* 2706. *Schmidt, Verm.* 207.

posset D. *Martyrem*. Necessitate itaque, non ulli aliae * causae tribuite quod hac in re gratificari vobis non potuimus. Si nostrae ecclesiae ratio vobis perinde ut nobis esset perspecta, nihil dubitamus vos daturum * nobis D. *Martyrem* postulantibus, tantum abest ut abstrahere pergatis a renitentibus. Et quum haec revera sic habeant, obsecramus vestram caritatem nihilominus ut boni consulatis quod vestrae postulationi non acquievimus. Denique iubemus ut vobis polliceamini de nobis perpetuo quod de fratribus fidelibus vestrique amantibus. Deus est qui ecclesiae suae pastores dat: pleni ergo spe bona supplicamini Deo misericordi et omnipotenti spirituumque domino, ne deserat vos sed pastorem det ad gloriam nominis sui et salutem animarum vestrarum. Neque hic nostro quoque deerimus officio. Bene valete in Christo, domini ac fratres colendissimi et carissimi. Salutant vos in Christo servatore symmystae et fratres omnes precantes vobis a Domino benedictionem. Tiguri x. Sept. Anno 1557.

Vestri observantissimus
H. Bullingerus
Tigurinae minister ecclesiae.

2708.

CALVINUS BULLINGERO.

Bezam et Budaeum legatos venturos nunciat, scilicet causam piorum Gallorum denuo acturos. Negotium Bernense paulo propius ad exitum spectare videtur.

(Ex autographo Arch. Turic. Vol. 166, Plut. VI. fol. 34, olim Epp. Tom. 24. Exstat quoque in Cod. Genev. 111b, fol. 7 v. et Bernae bis Epp. VI. p. 531 et 693, denique ap. Simlerum Vol. 90.)

Clarissimo viro et fideli ecclesiae Tigurinae pastori D. Henricho Bullingero fratri et symmystae plurimum observando.

S. Si tibi sum importunus, tuae aequitatis erit mihi ignoscere, si in hac causa pro qua libenter vitam meam impenderem fratribus hoc officium negare non potui. An isthuc venturus sit *Beza* noster cum *Budaeo* adhuc incertus sum. [1]) Si *Bezae* permissum fuerit, audies ex ambobus profectionis causam. Sin minus, *Budaeo* comes erit affinis *Carolus*. [2]) Ut eos adiuves scio te minime rogandum esse. Equidem nisi alieno impulsu [3]) hoc tentare in mentem nunquam mihi venisset. Sed importunius sibi hoc officium praestari flagitant pii fratres, quam ut negare sustineam. Quidvis enim experiri potius convenit, quam ut illis animos debilitet nostra cessatio. Haerebit enim suspicio, suam a nobis vitam negligi. Quod si eorum spei non respondeat eventus: hoc saltem crucis acerbitatem leniet, dum intelligent se nobis fuisse curae.

Tametsi a conventu Badensi nondum legati nostri reversi sunt, [4]) suspicor tamen ubi morae taedio fracti fuerint, ad conditiones quaslibet recipiendas posse pertrahi. Neque vero id latuit hactenus vicinos, quibus nota sunt gentis nostrae ingenia: ideoque suis placitis steterunt. Et tamen videntur mansuescere: quo fit etiam ut eorum postulatis, quamvis dura sint, nostri minus refragentur. Vale, ornatissime vir mihique plurimum observande frater. Saluta symmystas tuos peramanter meo nomine. Ab aliis salutem non adscribo, quia hanc expeditionem ignorant. Dominus te cum uxore et familia tueatur, benedicat, gubernet semper. Genevae 13. Septemb. 1557.

Ioannes Calvinus tuus.

2708. 1) *De Farello hic nihil: qui Turicum venit inscio Calvino et caeteris legatis se adiunxit.* (*Baum* I. 299 *sq.*)

2) *Ionvillaeus, Budaei Veracensis uxoris frater.*
3) *Parisiensium puta. Baumius coniicit, Carmelum ea de causa Genevam venisse.*
4) *Reversi sunt d.* 16. *Sept.* (*Reg. du Conseil.*)

2709.

CALVINUS BEZAE.

Enixe rogat ut suscipiat legationem ad Bernates, qua efficiatur ut negotium colloquii novo in Germaniam itinere promoveri possit, scilicet cum Melanchthone Wormatiae re coram tractata, simul etiam, et quidem potissimum, causa Gallorum nuper crudelissime afflictorum apud principes agatur.

(Ex apographo saeculi XVI. in Cod. Paris. Coll. Dupuy 102, fol. 51 v.)

Ornatissimo viro et eximio Christi ministro D. Theodoro Bezae fratri mihi coniunctissimo.

S. Etsi me non praeterit quam parum tibi futura sit plausibilis apud Bernates haec provincia,

nisi prorsus odiosa sit, res tamen rogare te cogit ut eam suscipere ne detrectes. [1]) Certe D. *Budaeus* longo sermone urgendus non fuit: [2]) quia vix uno verbo sciscitatus fueram quum mox respondit se paratum esse. Eundem tibi animum esse non dubito. Tamen claudendi erunt oculi ne quid alacritatem tuam moretur. Si quid de confessione [3]) audierit senatus Bernensis, cursum reflectere haud dubie iubebit. Sed prompta erit exceptio, illuc te eo libentius iterum proficisci, ut huic incommodo medearis de fratrum Tigurinorum sententia. Et videtur oblata esse divinitus occasio, ut si quid residuum erit offensae coram tollas. In quo nihil fore negotii arbitror. Ad haec cum *Philippo* colloqui, quem nunc Wormatiae esse constanter asserunt, [4]) quantopere expediat referre nihil attinet. Nam omnino danda est opera ne conventum illum, cuius spes data fuerat, nostrorum hominum fastidium vel morositas impediat. Iam quid spectet [5]) ad praesentem causam, vides profecto necessarium esse *Budaeum* coniungi. [6]) Si exigua est spes successus [7]) quae ad te animandum maxime valeret, quia tamen hoc pertinaciter sibi dari flagitant fratres nostri, potius frustra laboraremus quam ut nostra cunctatione, quam ipsi ducent esse ignaviam, proditos se fuisse querantur et desertos. Quare ut statim absque dubitatione iter arripias te summopere rogo et obtestor. Cur non ego potius legatione hac fungar apud te excusatione non est opus, [8]) sicuti neque acrioribus stimulis pungendus es ut meae exhortationi obtemperes. De causae vestrae [9]) exitu sum anxius. Nam ex sermone Petri nostri *Perreti* [10]) colligere licuit, vobis infestissimum fuisse consulem, cuius tamen nescio an optandus fuerit favor. Sed quidquid erit, *Viretus* quam certissime certiorem me faciat. Valete ambo, fratres integerrimi, cum reliquis amicis. Dominus vos gubernet, tueatur, conservet ad finem usque. Genevae 13. Sept. 1557.

Ioannes Calvinus tuus.

2709. 1) *Haec ita scribi non potuerunt nisi praemissa alia epistola quam desideramus, cf. Baum* I. 298 *et sequentem ad Farellum.*
2) *qui cum Beza, Carmelo et Farello hanc legationem suscepit.* (*Hist. eccl.* I. 132.)
3) *Bezae et Farelli. Vide Hallerum N.* 2711.
4) *Aderat a. d. V. Cal. Sept.*
5) quod spectat?
6) *nempe quia Parisiensis erat et ipse propter religionem exsul.*
7) *Obtinuerunt quidem legati quod volebant, sed sero nimis intercessio facta est postquam plures iam misere perierunt.*
8) *utrum propter valetudinem, an quia ipse in Germania persona minus grata erat, tu videas.*
9) *cf.* 2697.
10) *Perretorum gens Genevae insignis.*

2710.

CALVINUS FARELLO.

Agit praecipue de colloquio cum Germanis instituendo, pro quo Melanchthonem maxime tam per literas quam per amicos urgere non desinit. Tigurini obstant. Beza Bernae instat.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 161. — Exstat praeterea ap. Turretinum Cod. 108, fol. 95; Bernae in Epp. VI. p. 669 et ap. Simlerum Vol. 90. Versio anglica III. 357.)

Eximio Christi servo Guillelmo Farello ecclesiae Neocomensis fido pastori fratri et symmystae integerrimo.

S. Quum vos maxime cuperem invisere [1]) non sine duplici tristitia mihi ablata fuit occasio. Profuit, nisi fallor, principis vestri matri hac iter fecisse: quia nonnihil saltem retulit solatii, et animata fuit in futurum tempus. Quam celeriter transierit sciunt vestri cives qui eam comitati fuerant honoris causa. Quantulumcunque tamen datum est temporis in optimis sermonibus consumpsimus, quorum fructus suo tempore emerget. Cur deinde sequuta non sit filia nescio. Summopere rogaverat ut ad pietatem hortarer, quantum ferebat aetatulae captus.

De petendo conventu Wormaciensi ignosce quod tibi non assentior. Tanta enim sedulitas ne bonis quidem viris qui adventum meum desiderant placeret, quia minueretur mea autoritas apud adversarios, sinistra autem suspicio apud nostros frustra crearetur. Sed hoc sesquimense nuper elapso iam ter [2]) ad *Philippum* scripsi ne instare desinat. Quando sponte colloquium appetit, spero non absque profectu fuisse excitatum. *Sturmius* etiam meo admonitu stimulos se additurum promisit. [3]) Forte etiam illuc usque descendet hominis instigandi causa. Hoc erit satius quam si satagendo me quasi obnoxium redderem superbis hominibus, ut de offensione partis nostrae taceam. Quod de *Beza* perplexe in utramque partem disputas, [4]) per Tigurinos non stabit quominus liber ad Garamantas [5]) usque abeat. Tantos enim ubique tumultus moverunt ut mirer hactenus Bernates quievisse, nec quidquam ter et quater repetitis monitionibus apud eos profeci. Quia tamen *Vireto* nuper comes fuit, [6]) brevi scie-

2710. 1) *N.* 2702 *ubi etiam de matre principis, et colloquio Wormatiensi.*
2) *N.* 2677. 2701. *Tertia intermedia desideratur.*
3) *Neutra exstat.*
4) *Cf. N.* 2702, *not.* 3.
5) *ins Pfefferland.*
6) *Bernam vocato cf. sequentem Halleri.*

mus quomodo Bernae exceptus fuerit. Hodie rursus hortatus sum ut novam expeditionem susciperet.[7]) Si obsequutus fuerit, in transitu scilicet conveniet stomachosos istos homines qui optima quaeque respuunt.

Mea ad Saxones responsio quum Lausanae prostaret, exemplar etiam unum haberet *Beza*, qui factum est ut tibi non daret?[8]) Hinc certe pridem nactus fores, nisi quia putabam te legisse antequam occurreret commodus nuncius. *Quadrati* literas recipies. Tu, quum suppetet otium, ne dissimula quantum meae responsionis asperitas aut vehementia te offendat. Mala domestica patienter ferendo lenias necesse est. Cavendum inprimis ne in *Claudium* excandescendo modum excedas. Vale, eximie vir et mihi observande frater. Dominus te regere, tueri et sustentare pergat. Saluta diligenter fratres et amicos. Genevae 14. Septemb. 1557.

Ioannes Calvinus tuus.

2711.

HALLERUS BULLINGERO.

Gribaldus a praefecto Gaiensi Bernam missus cum libellis suis haereticis, et ibi e vinculis causam dicere iussus ad suum principem remittitur. Viretus quoque cum Beza in propria causa coram senatu.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 241. — Simler. Vol. 90.)

— — — — — — — — — — — — — — — — — — Caeterum quod *Gribaldum* concernit, is vocatus, ut nuper scripsi, venit, et non contentus Tubinga non sine mala nota discessisse, quam primum ad suos venit, inter aliquos mox suas quoque coepit serere opiniones, idque tam manifeste ut praefectus Gaiensis hac de re admonitus libellos eius sparsos collegerit, et ad senatum nostrum una cum illo transmiserit. Dogmata illius sunt admodum absurda: tres expresse constituit distinctos deos, patrem, filium et spiritum sanctum. Patrem summum aliquem constituit quasi Iovem deorum principem et quidquid in scripturis habetur de ineffabili divinitatis maiestate, hoc totum ad personam tantum patris refert, filio dat originem et spiritui sancto, eosque deos seu spiritus vocat ministeriales et subordinatos. Semen etiam divinum filii Dei seu verbi in matre virgine in hominem coagulatum esse asserit, nec humanitatem ex ipsa matre assumptam, et quae sunt alia eiusmodi multa. Unum esse Deum in Trinitate, seu Deum trinum, ridet tanquam rem abstrusam quae a nemine percipi possit, nec verbo, nec ratione nitatur sed scholasticum sit delirium. Patres adducit vetustiores, qui concilium Nicaenum antecessere, quibus tamen magnam facit iniuriam, quum nullus eorum docuerit quod ipse docet. Nicaenum non admittit symbolum, Athanasii minus. Re a senatu cognita in vincula coniectus est. Libri eius nobis examinandi missi sunt. Hic est 9 dies quo continetur et hodie, opinor, futurum ut causa illius decidatur. Sunt qui exurendum putent, alii ablegandum. Quo res cadat ignoro. Nos vellemus ut sisteretur tribunali iterum Ducis *Wirtembergensis*, sed nostris hoc consilium minus arridere videtur. Ipsum non pertinacem fore audio, et hoc illi cedet ad salutem. Si nuncius hic hodie tantisper exspectat, donec definiatur eius negotium subscribam quid actum sit. *Viretus* a Lausannensi senatu variarum rerum accusatus, hic nunc causam suam agit una cum Theodoro *Beza*, qui simul cum hisce meis suam ad vos mittit apologiam. Fecit eius mihi copiam, et de confessione relicta exposuit omnia. Ego ipsum graviter corripui. Timet valde ne res cognita fiat senatui. — — — — — — — — Bernae 14. Sept. 1557.

Ioannes Hallerus.

Gribaldus ablegatur ea conditione ut non redeat nisi a principe *Wirtembergensi* sui discessus bonum testimonium referat, sicque quod optavimus ad principem remittitur.[1])

7) *Vides eum de Farello simul profecturo ne cogitare quidem.*

8) *Memineris Farellum questum esse quod copia sibi eius adhuc non sit facta.* (*N.* 2702 *in fine.*)

2711. 1) *Paulo aliter habent eius Ephem. p.* 114: Dux W. curat inquiri in bibliothecam (*Gribaldi, post eius fugam*) si quid forte inveniatur quod errores saperet. Inveniuntur scripta quaedam eius quae a Duce huc ad senatum mittuntur, una cum descriptione omnium eorum quae illic acta erant. Senatus illum accersit, libros et scripta eius nobis examinanda tradit. Inveniuntur inter alia eum pro tribus personis tres constituere deos subordinatos, negare item idiomatum communicationem in filio et alia eiusmodi. Senatus cognoscens haec carceri eum tradidit decrevitque ut sub data fide et amissione sui dominii Duci se iterum sisteret et examen a quo perfugerat subiret. Promittit, sed liberatus e carcere rogat senatum ne remittatur illuc, sed ut patiatur illum subire iudicium suorum ministrorum. Impetrat. Remittitur ad nos. (*Ruchat* VI. 197 *ss.* *Trechsel* II. 296 *ss.*)

2712.

FARELLUS CALVINO.

Tot fere negotia quot versus. Multa et varia ἐν παρόδῳ tantum.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 123, coll. cum apographis Cod. 116, fol. 58 v., Bern. Epp. VI. p. 680 et Simleri Vol. 90.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis theologo insigniori fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Per bibliopolam Monbelgardensem ad te scribebam [1]) et una literas *Carradi* [2]) vix a me lectas mittebam. Arbitrabar hominem citius rediturum, sed frustra. Non enim rediit hactenus. Tu nos non invisisti, sed quae te impedierunt novimus ex parte. *Viretus*, quamvis Bernam petierit, [3]) neque *Beza*, nos non dignatus est invisere. Quid agendum sit *Bezae*, ne dicam mihi etiam, [4]) cum iis quos sollicitavimus ut legatos ad Regem mitterent, non satis teneo. Si Wormatiam daretur ire, in via et illic quoque possemus gratias agere iis qui legatos miserunt. Utinam id fieri posset. Soror principis [5]) hic supererat, sed mater eam revocavit. Nostri paene omnes ad bellum currunt. [6]) Nescio an tam laeti huc recurrent. Tantum ad bellum nati videntur, maior sane pars, et ad ea quae solent milites sequi. Christus omnium mutet corda.

Mirum Zebedaeos, Angelos et id genus, tam faventes omnes habere, [7]) *Viretum* vero a suis ad dicendam causam vocari. Princeps ille pastorum bonos tueatur et malos immutet aut prorsus perdat, et plebem obedientem verbo faciat, et non ita Christo in suis bellum intentare ferat. Vale cum piis omnibus. Si literas *Carradi* non miseris, fac quaeso ut eas habeam. Collega te salutat. Neocomi 15. Septemb. 1557. Audies plenius omnia ex hoc.

Tuus Farellus.

2712. 1) *N.* 2702.
2) *lege:* Quadrati.
3) *cf. N.* 2711.
4) *Iam ergo meditatur profectionem.*
5) *Françoise d'Orléans.*
6) *a Gallorum rege conducti.*
7) *Fateri coguntur sed rei rationem nullam habent.*

2713.

VIRETUS CALVINO.

Narrat quid Bernae obtinuerit quo nuper vocatus fuerat ut a Lausannensium accusationibus coram senatu se purgaret.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 67.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae observando.

S. Quia scio te pro nobis esse sollicitum, volui te paucis admonere de statu causae quam nunc ago pro Christi ecclesia, quam hostes penitus in me demoliri conantur. Hactenus multis modis iam suis consiliis frustrati sunt quae praeter eorum spem Dominus magna iam ex parte dissipavit. Foderunt foveam in quam ipsi, ut spero, brevi casuri sunt. Tabellarius tibi prolixius ipsam causae actionem narrabit, et quid hactenus actum sit. Longa est historia. Hoc impetravi tandem ut huc mittantur legati qui testes audiant, deinde causam referant ad senatum. Haec res valde urit adversarios, maxime in eo quod nimis liberaliter abusi sunt nomine civitatis. Paucissimi enim sunt qui unquam viderint aut audierint accusationum capita, imo ne ipsi quidem legati omnes viderant antequam Bernam pervenerint. Hoc praeterea maxime omnem gravat causam apud Bernenses, quod me prius nec vocatum nec auditum accusarint. Deinde quod secunda legatione auxerint capita accusationum, de quibus ne verbo quidem priore [1]) meminerant. Omnes cives et vicini colligunt ex vultu adversariorum animi consternationem. Interea non cessant modis omnibus quos possunt sollicitare ut in suas partes trahant: minantur, fremunt. Populus et maxima pars magistratus videntur non male in me affecti. Scis autem quatenus sit hominibus fidendum, et quae sit eorum, maxime vero vulgi, inconstantia. Quare a solo pendeo Domino cuius causa agitur. Bernae ab omnibus exceptus sum amice et humaniter. Salutant te amantissime ministri et professores, Bernenses et Lausannenses. Dedi huic tabellario exemplar accusationum ex quibus poteris colligere quo spiritu agantur adversarii. Salutat te uxor, et nostri omnes. Precibus Domino totam causam cum tota ecclesia tu et caeteri fratres commendate. Audies de causa propter quam haec secunda profectio suscepta est a tabellario, quid

---

2713. 1) *scil.* legatione. *Singula memoriae prodita non sunt. quantum quidem nos sciamus.*

actum sit. Dominus afflictae suae ecclesiae misereatur. Vale optime ac diutissime. Lausannae 16. Septemb. [2])

Tuus Petrus Viretus.

2714.

CALVINUS GALLASIO.

Hortatur eum ut stationem suam occupare pergat quamdiu poterit. Ipse interea per Budaeum et Bezam causam Parisiensium Bernensibus commendandam curat.

(Ex apographo quod insertum est Commentariis Vener. Ministerii Genev. B. fol. 29: cum hac inscriptione: *Eodem die 16. Septembris D. Calvinus responsum dedit nomine fratrum omnium cuius exemplar sequitur.*)

S. Prioribus tuis literis [1]) hactenus non responderam, quia et quis futurus esset comitis tui exitus anxius exspectabam, et libenter etiam de rerum nostrarum statu fecissem te certiorem, qui et ipse tunc dubius erat. Iam vero quum in scribendo essem allatus est tristis rumor, quem biduo post sequutae sunt tuae literae quas hodie accepi. Etsi autem ad primum nuncium et terrore perculsus et moerore fere prostratus eram, ad quaerendum tamen remedium minime fui piger. Die Martis, qui 14 fuit huius mensis, fuimus a vicinis amicis admoniti. Pridie quorundam piorum hominum rogatu profectus fuerat *Veracius* [2]) noster, ut novam legationem impetraret. Nam quia suspicabantur multi nova clade domitam esse cristati ferociam, visum est rursum periculum facere. Optimis mandatis instruxeram *Veracium*. *Bezam* quoque fueram obtestatus ut se adiungeret: quod fecisse confido. Nam opportune paucis ante diebus Arctopolim concesserat. [3]) Simul ac de hostium insultu intellexi, per equos celeres submisi qui *Veracium* consequeretur, qui ea nocte Paterniaci futurus erat. Modis omnibus expergefient omnes ut strenue in causam incumbant. In tanta tristitia nonnihil saltem solatii haec conscientia afferet, quod functus sum officio. Ut rebus adhuc incertis parceretur tuae uxori mihi curae fuerat tenere sepultum rumorem: dum ecce illa apud me, sed ea moderatione et constantia ut mihi nunquam magis placuerit. Hoc tibi sit non leve solatium quod de te, ut decebat, sollicita communem ecclesiae salutem et Christi gloriam vitae tuae praeferebat.

Iam ad consilium quod postulas [4]) de communi collegii sententia sic accipe. Si inter primos istos tumultus stationem tuam deseris, merito veremur ne omnium animos deiiciat, imo fere pavore exanimet tuus discessus. Scis quantum sit in unius ducis conspectu ad retinendum exercitum momenti. Quod si te subducas statim obrepet suspicio, te in desperatione fugere. Quoad ergo aliqua ex parte sedati sint turbulenti motus, optandum esset te non procul abesse, ut certo experimento agnoscant te venisse in societatem periculi. Hoc documento in posterum non ipsi modo, sed qui accedent, non parum animabuntur. Quam nobis cara sit tua vita nihil opus est testari. Sed nisi pluris nobis esset tot animarum salus, tibi cari non essemus. Certe nunc summopere eniti convenit ne diffluant reliquiae, imo ne dilabantur: quia nihil difficilius esset quam ex dissipatione eas colligere. Si ad eas retinendas tua praesentia opus esse videris, magnopere te obsecramus ut paulisper adhuc sustineas, donec mitigato hostium furore mediocris tranquillitas iustam missionem tibi concedat vel te extrudat maior necessitas. Caeterum si te constrictum teneat aliorum metus, vel tibi videas clausam esse viam, nolumus te inutilem sedere. Magnopere enim refert tua alacritate, quamdiu istic eris, accendi totius gregis animos ut praeeuntem sequatur. Neque procul dubio ignoras quam multis ex tuo sermone venentur timiditatis praetextum. Quo magis tibi videndum quid praesentia tua conferat. Videbis quid ad gregem scribamus. [5]) Vobis simul ex re praesenti certius decernere licebit quid utile sit factu. Et forte antequam ad vos perveniant nostrae literae, vel minus erit trepidationis, vel dimissus forte eris, vel tibi statutum erit manere. Quare nihil satius visum est quam te privatim ad perseverantiam hortari, donec oportunior exitus contingat, ne se fratres proditos existiment: consilium etiam dare, ne quid nisi ex collegii vestri suffragiis, ne malo et noxio exemplo aperiatur ianua, si spreto eorum iudicio te recipias. Dominus in hac deliberatione te et illos spiritu prudentiae consilii et rectitudinis gubernet, interea tibi adsit, te sub alis suis protegat roboret ac sustentet, imo totam simul ecclesiam. 16. Septemb.

---

2) *Annum definies coll. N.* 2697. 2711. *Hallero teste Viretus postridie Idus etiam Bernae erat.*

2714. 1) *quibus de itinere et adventu apud Parisienses verba fecerat. Posteriores tantum exstant N.* 2700. *De comite eiusque exitu vide ibid. not.* 1.

2) *Budaeus* (*N.* 2708. 2709).

3) *N.* 2710. 2711.

4) *an Lutetia relicta Genevam redire debeat.*

5) *Vide sequentem.*

2715.

LES MINISTRES DE GENÈVE A L'ÉGLISE DE PARIS.

Consolations et conseils à propos de la catastrophe de la rue S. Jacques. [1])

(Copie. Registre de la Compagnie de Genève. Vol. B. fol. 30. Imprimée dans l'éd. de Berlin p. 255; dans celle de M. Bonnet II. 139. Trad. latine: Gen. p. 276, Laus. p. 398, Han. p. 446, Chouet p. 378, Amst. p. 172. Trad. angl. III. 359.)

La dilection de Dieu nostre pere et la grace de nostre Seigneur Iesus Christ soit tousiours sus vous par la communication du sainct esprit.

Treschers seigneurs et freres, il nest ia besoing de vous declairer plus au long combien les nouvelles de vostre affliction nous ont este tristes et dures, comme aussi est bien raison que lunion que nous avons ensemble nous induise a cela, ioinct aussi que la cause nous est commune. Si nous avions moyen de vous monstrer par effect quel desir et soing nous avons de vous alleger, vous le sentiriez plus a plain. Mais oultre les prieres, nous ne pouvons pas beaucoup: tant y a encores que le reste na pas este mis en obly. Nous ne savons quil profitera, mais quoy quil en soit, ne doubtez pas que nostre Dieu ne vous regarde, et que vos pleurs et gemissemens ne soient exaulsez de luy. Car si nous ne nous reposons sur sa providence, la moindre fascherie du monde sera ung abisme pour nous engloutir. Nous serons a chascune boufee de vent, esbranlez ca et la: nous serons troublez en noz perplexitez, et esgarez en noz conseilz: bref ce sera ung labyrinthe que toute nostre vie. Surtout quant la bride est laschee a Sathan et a ses suppostz pour tormenter et molester la pauvre Eglise de Dieu. Il nous fault bien avoir ce refuge, que si Dieu pense de toutes ses creatures, il ne delaisse pas ceulx qui linvoquent. Mesme sil ne tumbe pas a terre ung seul petit oiseau sans sa voulunte, que son soing paternel ne deffaudra point a ses propres enfans.

Vray est que la tentation est grande et rude a soustenir, de voir ung si horrible trouble et qui peult attirer apres soy une desolation extreme, et que Dieu tarde dy mettre la main pour y remedier. Mais aussi ce nest pas sans cause quil est dit que Dieu veult esprouver notre foy, comme lor en la fornaise. Combien donques quil nestende pas si tost sa main que nous vouldrions pour nous secourir, ne laissons pas destre persuadez que les cheveux de nostre teste sont comptez de luy, et si quelquefoys il permet que le sang des siens est espandu, toutesfois il ne laisse pas de tenir leurs larmes precieuses, comme sil les gardoit en ses phioles, comme en parle David au Pseaume 56. Cest chose certayne quil na point permis ce qui est advenu, sinon pour faire ung preparatif a quelque grande chose et qui surmonte tous noz sens. Iusques icy ceulx qui ont este appelez au martyre ont este contemptibles au monde, tant pour la qualite de leurs personnes, que pource que le nombre na pas este si grand pour ung coup. Que scavons-nous sil a desia apreste une issue telle quil y aura de quoy nous esiouyr et le glorifier au double? Tant y a que cest nostre vraye sagesse de nous assubiectir a luy, et encores que tout soit confus, attendre quoyement et en silence la delivrance quil nous a promise. Cependant, treschers freres, nous vous prions de pratiquer la lecon qui nous a este aprise du grand maistre, cest de posseder nous* vies en patience. Nous savons combien il est difficile a la chair, mais quil vous souvienne aussi que cest lheure de combatre contre nous mesmes et noz passions, quant nous sommes assailliz de noz enemys. Et nestimez point que ce soit une garde trop maigre que de souffrir, et vous monstrer benings et paisibles comme agneaux contre la rage des loups, puys que vous avez la promesse que ce bon pasteur et fidele qui nous a prins a sa charge, ne nous defauldra point, quelque furie et enormite quil y ayt en la cruaute des ennemys. Dieu est assez puissant pour la reprimer par telz moyens quil vouldra ou sans nul moyen. Advisez seulement de ne rien attenter qui ne vous soit licite par sa parole. En nous tenans quoys pour luy obeir, nous sommes asseurez quil repoulsera les coups, ou bien nous donnera force et vertu pour les porter: mais en nous avansant plus oultre quil ne nous donne le conge, craignons tousiours de recevoir a la fin le salaire de nostre temerite. Nous ne parlons pas ainsi comme estans hardiz a vos depens, mais pource que nous savons bien quen telz effroiz on peut estre sollicite a beaucoup dentreprises ausquelles il est difficile de tenir bride. Nous vous donnons donques le conseil duquel nous vouldrions estre moderez et retenuz en cas semblable. Et de faict il vauldroit mieux que nous fussions tous abismez, que lEvangile de Dieu fust expose a ce blasme, quelle feist armer les gens a sedition et tumulte, car Dieu fera bien tousiours fructifier les cendres de ses serviteurs, mais les excez et violences naporteront que sterilite. Parquoy, treschers seigneurs et freres, monstrez que vous avez profite en lescolle de celuy qui requiert que nous luy soyons sacrifiez, nespargnans rien pour soustenir sa querelle, et souffrans iusques a

2715. 1) *Voyez les notes sur N.* 2700.

ce quil brise et rompe les armes de ses ennemys, ou quil les assubiectisse a soy.

Au reste, pource que vous navez point receu les lettres par lesquelles nous vous mandions que nostre compagnon alloit vers vous,[2]) nonpas pour y faire continuelle residence, comme aussi cela ne nous estoit point possible, mais seulement pour vous soulager et ayder quelque temps, nous vous prions de rechef, comme nous faisions alors, nous excuser de ce que nous ne povons pas plainement et du tout satisfaire a vostre desir. Il sestoit liberalement offert a faire ce veage pour vous servir, en attendant que fussiez pourveuz de quelque autre,[3]) et ny a celuy de nous qui ne desirast de semploy er en cest endroit a son tour, pource quil nous fault quasi desrober le temps, plustost de peur de vous descouvrir[4]) que pour regard de la charge que nous avons icy. Or maintenant que ces troubles sont survenus, nous vous prions de bien aviser si sa presence vous seroit point plus nuisible que profitable.[5]) Sainct Augustin a prudemment considere que si ung troupeau est assailly sans quon cerche le pasteur, celuy qui doit fortifier les autres ne les peut licitement abandonner. Mais si on tasche de persecuter lEglise en la personne du pasteur, quil fera mieux de se retirer pour appaiser la rage des ennemys par son absence. Il parle de ceulx qui sont arrestez en ung lieu, et ordonnez pour conduire quelque Eglise. Maintenant, puys que nostre compagnon est alle par dela pour suppleer au defaut qui y estoit, en attendant quon y peult donner provision plus certaine et de longue duree, regardez sil ne sera pas plus expedient quun tel obiet qui peult enflamber la fureur des ennemys, soit oste, car nous entendons le bruyt qui volle pour aggraver les ennuys et molestes quon tasche de voz* faire. Cest assez vous en avoir advertiz, car nous estimons bien tant de vostre prudence que vous previendrez les inconveniens, veu que la necessite qui se presente devant vos yeux vous doit donner conseil en cela. Toutesfois que sa retraicte[6]) ne soit pas cause de vous dissiper: car cest auiourdhuy plus que iamais quil vous fault retirer soubz lenseigne, congnoissant la fragilite qui est en vous, sachans aussi que lastuce de Sathan ne tend a autre fin, sinon de vous escarter pour vous faire du tout esvanoyr. Tenez vous donc conioincts et comme serrez, invoquans dun accord et comme dune bouche celuy qui a promis destre present partout ou deux ou trois seront assemblez en son nom.

Sur quoy, treschers seigneurs et freres, apres m'estre recommande a vos bonnes prieres, nous supplirons aussi de nostre coste le pere celeste de vous conserver soubz la protection de son filz, vous fortifiant en constance invincible, vous guidant par son sainct esprit en toute prudence, droicture et simplicite, humilite et constance, tenant voz ennemys bridez iusques a ce que plainement il les rende confus. Le 16. septembre 1557. De nostre assemblee.

2) *La lettre de la Compagnie s'était sans doute trouvée dans la mallette de du Rousseau.*

3) *En Janvier* 1558 *Jean Macard fut envoyé à Paris.*

4) destourner *Bt.*

5) *à cause de l'attention de la police et du public éveillée par l'affaire récente et rendant les réunions de prières plus périlleuses.*

6) *Des Gallars retourna à Genève bientôt après.*

2716.

CALVIN AUX PRISONNIÈRES DE PARIS.[1])

Même sujet.

Imprimée. *Histoire des Martyrs*, L. VII. fol. 470. — Lettres fr. II. 145. Trad. angl. III. 363.)

Ie ne m'esbahis point, trescheres soeurs, si vous estes estonnees en ces durs assauts, et sentez les repugnances de vostre chair, laquelle faict daultant plus ses efforts que Dieu veut besongner en vous par son Sainct-Esprit. Si les hommes sont fragiles et aisement troublez, la fragilité de vostre sexe est encores plus grande, voire selon le cours de nature. Mais Dieu qui besongne es vaisseaux fragiles, sait bien montrer sa vertu en l'infirmité des siens. Parquoy cest à luy quil vous fault avoir vostre recours, l'invoquant continuellement et le priant que la semence incorruptible quil a mise en vous, et par laquelle il vous a adoptez pour estre au nombre de ses enfans, produise ses fruicts au besoing, et que par icelle vous soiez fortiffiees pour resister à toute angoisse et affliction. Vous savez ce que dict sainct Paul: que Dieu a esleu les choses folles de ce monde pour confondre les sages, et a esleu les choses infirmes pour abatre les fortes, les choses contemptibles et mesprisees pour destruire celles qui sont grandes et de hault prix. Cela vous doibt bien encourager, affin que la consideration de vostre sexe ne vous face defaillir, encores que souvent il soit mesprisé par les hommes. Car quelque hau-

2716. 1) *Voir l'extrait de l'hist. des Martyrs que nous avons joint en note au N.* 2700. *Nous apprenons par la même source que les trois premières victimes périrent sur le bûcher le* 27. *Septembre, c'étaient une dame Philippe de Luns et deux surveillants de l'église de Paris. Plusieurs autres dames étaient encore dans les cachots.*

tains et orgueilleux qu'ils soyent, et que par mespris et desdain ils se mocquent de Dieu et de tous ceux qui le servent, si sont-ils contraincts d'avoir en admiration sa vertu et sa gloire partout où ils la voyent reluire. Et daultant que le vaisseau par lequel Dieu besongne sera debile, daultant seront-ils estraints et enserrez en eux-mesmes de la vertu de Dieu à laquelle ils ne peuvent resister.

Vous voyez que la verité de Dieu, quelque part quelle se trouve, leur est odieuse, et quelle nest pas moins haye d'eux es hommes qu'es femmes, es savans qu'es idiots, es riches qu'es poures, es grans qu'es petits. Que sils prennent occasion du sexe ou de la qualité exterieure, de nous courir sus davantage, (comme nous voyons qu'ils se mocquent des femmes et des poures gens mechaniques, comme s'il ne leur appartenoit point de parler de Dieu, et congnoistre leur salut!), sachons que tout cela est en tesmoignage contre eux et à leur grande confusion. Mais puisqu'il a pleu a Dieu de vous appeller a soy aussi bien que les hommes, (car il n'a esgard ne à masles ne à femelles), il est besoing que faciez vostre debvoir pour luy donner gloire, selon la mesure de grace qu'il vous a departie, aussy bien que les plus grans personnages qu'il a douez de haulte science et vertu. Puisque Iesus-Christ est mort pour vous et par luy esperez salut, aiant esté baptizees en son nom, il ne fault point estre lasches a luy rendre l'honneur qui luy appartient. Puisque nous avons un salut commun en luy, il est necessaire que tous d'un commun accord, tant hommes que femmes, soustiennent sa querelle. Quand il nous meet au combat et à lespreuve contre ses ennemys, d'alleguer la-dessus nostre infirmité, pour l'abandonner ou renier, il ne nous profite de rien, sinon pour nous condamner de desloyauté. Car celuy qui nous met en bataille, nous garnit et munit quant et quant d'armes necessaires, et nous donne adresse pour en user. Il ne reste que de les accepter et nous laisser gouverner a luy. Il a promis de nous donner bouche et sagesse à laquelle nos ennemys ne pourront resister. Il a promis de donner fermeté et constance à ceux qui se fient en luy. Il a espandu de son esprit sur toute chair, et faict prophetizer fils et filles, comme il avoit predit par son prophete Ioel, qui est bien signe qu'il communique semblablement ses autres graces necessaires, et qu'il ne destitue ne fils ne filles, ne hommes ne femmes, des dons propres à maintenir sa gloire. Il ne fault donc estre paresseux à les luy demander, ne lasches à les recevoir, et en user au besoin quand il nous les a departis.

Considerez quelle a esté la vertu et constance des femmes à la mort de nostre Seigneur Iesus-Christ, et que lorsque les apostres lavoient delaissé, elles ont persisté avec luy en merveilleuse constance, et qu'une femme a esté la messagere pour annoncer aux apostres sa resurrection, laquelle ils ne pouvoyent croire ne comprendre. S'il les a lors tant honorees et douees de telle vertu, estimez-vous qu'il ait moins de pouvoir maintenant, et qu'il ait changé de volonté? Combien y a il eu de milliers de femmes qui n'ont espargné leur sang ne leur vie, pour maintenir le nom de Iesus-Christ et annoncer son regne? Dieu n'a il point faict profiter leur martyre? Leur foy n'a elle point obtenu victoire du monde, aussy bien que celle des martyrs? Et sans aller plus loin, ne voyons-nous point encores devant nos yeux comment Dieu besongne iournellement par leur tesmoignage et confond ses ennemis, tellement quil n'y a predication de telle efficace que la fermeté et perseverance qu'elles ont eu à confesser le nom de Christ? Ne voyez-vous pas comme ceste sentence de nostre Seigneur a esté vivement enracinee en leurs coeurs, par laquelle il dit: *Celuy qui me renonce devant les hommes, ie le renonceray devant Dieu mon Pere; et celuy qui me confessera, ie le confesseray aussi, et advoueray devant Dieu mon pere.* Elles n'ont pas eu crainte de laisser ceste vie caduque pour en obtenir une meilleure pleine de beatitude qui dure à iamais. Proposez-vous donc ces exemples si excellens, tant anciens que nouveaux, pour asseurer à vostre foiblesse, et vous reposer en celuy qui a fait si grans ouvrages par des vaisseaux fragiles, et congnoissez l'honneur qu'il vous a fait, afin de vous laisser conduire à luy, estans bien asseurees quil est puissant pour vous conserver la vie, s'il s'en veut encores servir, ou bien s'il en veut faire echange pour vous en donner une meilleure, vous estes bienheureuses d'employer ceste vie caduque pour sa gloire de si hault prix, et pour vivre eternellement avec luy. Car à cela sommes-nous mis au monde, et illuminez par la grace de Dieu, à ce que nous le glorifions et en nostre vie et en nostre mort, et que nous soyons une fois pleinement conioints à luy. Le Seigneur vous face la grace de mediter attentivement ces choses et les bien imprimer en vos coeurs, afin de vous conformer du tout à sa bonne volonté. Ainsi soit il. De Geneve.[2])

2) *Cette lettre a dû partir avec la précédente.*

2717.

HALLERUS BULLINGERO.

Gribaldus in eo est ut palinodiam canat. Budaeus ex itinere redux spem bonam facere videtur.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 242. — Simler. Vol. 90.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino et compatri suo carissimo colendissimoque.

Tiguri.

S. Hae sunt alterae [1]) quas hodie ad te scribo sed citius hae prioribus tibi reddentur. *Gribaldus* hodie senatum suppliciter rogavit ne eum Tubingam remittat, se paratum recipere et agere quidquid iussus fuerit. [2]) Itaque denuo ad nos remissus est. Cras cum illo agemus. Si abnegaverit errores suos et subscripserit confessioni nostrae, symbolis item illis antiquis Nicaeno et Athanasii, mitigabitur forte lata in eum sententia. Quidquid actum fuerit tibi significabo. *Budaeus* quid afferat ex ipso cognosces. Senatus noster ea de re scribit ad vestrum. Non dubito quin Gallia tandem poenas persolutura sit tanti effusi cruoris piorum, et tam irremissi contra eos furoris. Dominus custodiat nos, ne faciamus nos huius sceleris et poenae quoque simul participes. Amen. Nostri te salutant. Bernae 17. Septembris 1557.

Io. Hall. tuus.

2718.

HALLERUS BULLINGERO.

Agit de nova legatione Parisiensium causa mittenda. Gribaldus iam laudabiliter se submisit sed solum vertere iussus est.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 115, olim Scrin. B. Epp. Tom. VIII. p. 2967. — Simler. Vol. 90.)

— — — — — — — — — — — — — — — — Quid *Farellus* et hic frater afferant audies ex ipsis. Senatus noster bene affectus est hac in re et si vestri volent, non gravabuntur nostri, quemadmodum suspicor, denuo legationem mittere. Cognoscam tamen ex te quid vestris videatur. Hic qui has affert, voluit ut senatus praemitteret legatum, sed nostri sine reliquis urbibus nihil agent. *Gribaldus* hodie erroribus suis abrenunciavit et confessioni nostrae subscripsit. Eam sua manu describet et hic relinquet. Scribetur hoc etiam ad Principem *Wirtembergensem.* Hoc ubi factum fuerit, relegabitur etiam extra fines ditionis huius. Haec de illo. [1]) — — — — — — — Bernae 20. Sept. 1557.

Hallerus tuus.

2719.

GRIBALDI PROFESSIO FIDEI. [1])

(Ex apographo Codic. 106 Plut. VI. olim Scrin. B. Tom. II. fol. 687. Archiv. Turic. — Trechsel II. 466.)

Confessio fidei christianae cui Matthaeus Gribaldus hic Bernae subscripsit anno D. 1557 mense Septembri.

Firmiter credo et toto corde confiteor unum esse Deum essentia divinitate natura maiestate potentia et gloria, trinum vero in personis quas Graeci hypostases vocant. Et has in eadem divinitatis essentia personas esse patrem filium et spiritum sanctum, qui licet singuli eiusdem sint divinitatis ex aequo et ab æterno consortes, haud tamen tres deos, sed unum et eundem sempiternum omnipotentem et omnium conditorem ac conservatorem Deum constituunt, quemadmodum et Irenaeus adv. haer. l. 4.

2717. 1) Priores eodem die scriptae exstant l. c. fol. 243 sed nihil continent memoria digni. Significat tantum Hallerus se caseum Bullingero pro agendis gratiis mittere (*Simler*).

2) *Addebat, si ipse Tubingam remitteretur, se cum tota amilia ad papatum rediturum.* (*Trechsel* II. 299.)

2718. 1) *Adde quae habent Halleri Ephem. p.* 115: Nos multis cum ipso agimus: illi non desunt quae regerat verba. Tandem ut certum constitueretur confessionem conscribimus cui petimus ut subscribat. Quaerit ipse effugia et expositiones. Nos simpliciter eum urgemus. Tandem subscribit et errores revocat. Senatus, quamvis nobis esset satisfactum, nihilominus illum extra fines suos migrare iubet. Migrat, sed post aliquot menses impetrat reditum ad sua. — *Ministri Bernenses praeter Hallerum erant Musculus, Weberus et Maur. Bischoff.* (*Trechsel* II. 300. *Ruchat* VI. 200.) *Gribaldus peste obiit* 1564 *in suo dominio Fargiis.*

2719. 1) *Cf. aliam quandam formulam supra N.* 2341 *expressam, et biennio antiquiorem. Vides eum ad omnia paratum praeter martyrium. Caeterum relege quae ad praecedentem Halleri annotavimus.*

cap. 47 patrem et verbum eius unum et eundem Deum esse ac semper humano generi assistere, et Cyprianus in expositione Symboli apostolici sic Deum unum ob id esse dixit quod illi nec secundus nec tertius addi queat: quemadmodum et sol eam ob causam unus est quod una cum illo alii soles esse non possunt. Atque ita agnosco et confiteor, patrem filium et spiritum sanctum neque tres esse deos, neque tres dominos, numero gradu et officio distinctos ac subordinatos, sed omnino unum et eundem una et eadem fide pariter invocandum adorandum et colendum.

Deinde firmiter credo et toto corde confiteor, patrem in divinitate ante omnia saecula ab aeterno et sine initio ex se ipso genuisse filium unigenitum, patria [2]) et aequali virtute ac maiestate pollentem, per quem et caetera omnia condidit, quem Ioannes tanquam verbum aeternum in principio apud Deum fuisse dicit. Et cum Cypriano confiteor, incorpoream illam et incomprehensibilem unigeniti Dei generationem nec in pluralem deorum numerum defluere nec in divisionem cadere, propterea quod genitus filius nequaquam a generante separatur.

Tertio firmiter credo et toto corde confiteor, unigenitum hunc patris filium Dominum nostrum Iesum Christum patri consubstantialem novissimis temporibus missum esse in hunc mundum, ut in utero virginis carne nostra de semine Abraami secundum scripturas assumpta, non coelitus ex ipso Deo allata, operante spiritu sancto verus homo nobis per omnia dempto peccato nobis similis fieret, et genus humanum pro peccatis nostris moriendo redimeret. Nec ullo modo recipiendum esse fateor, si quis verbum illud aeternum velut semen Dei in utero virginis in hominem vel liquefactum vel coagulatum, et Christum secundum humanam quoque naturam Deo patri consubstantialem et naturalem illius esse filium dicat. Confiteor etiam in Domino duas esse naturas inconfuse coniunctas, divinam scilicet et humanam: quare et agnosco non dividi illum in duos Christos, quum humanitati illius humana, divinitati divina competenter tribuimus, et per idiomatum communicationem Deum hominem esse factum, passum, mortuum etc. dicimus.

Quarto firmiter credo et toto corde confiteor, unum esse spiritum sanctum paracletum, tertiam eiusdem cum patre et filio divinitatis personam, eadem natura potentia et gloria praeditam, per quem fideles et electi omnes illustrantur unguntur et sanctificantur, quique cum patre et filio vivit et regnat in sempiterna saecula.

Postremo firmiter credo et toto corde confiteor, unam esse fidem, unam ecclesiam et unum baptisma, et indubitato verum esse quidquid in sacris veteris et novi testamenti scripturis nec non et in symbolis Niceno et Athanasii continetur, et oro Dominum ut in hac me fide et confessione spiritu gratiae suae ac veritatis fidelem sibi in finem usque custodiat. Amen.

Huic confessioni subscripserunt
Wolfgangus Musculus.
Ioannes Hallerus.
Ioannes Waeberus
et Mauritius Episcopius.

Et ego Matth. Gribaldus, dominorum meorum Bernensium humilis subditus atque vasallus, supra scriptae confessioni per omnia subscribo, et abiicio ac refuto omnem sensum et intellectum sacrosancto Iesu Christi evangelio et huic confessioni pugnantem, protestans coram Deo et sancta eius ecclesia, me in ipso Iesu Christi evangelio, et secundum evangelicam veritatem in omnibus et per omnia sentire credere vivere et mori velle. Ita me Deus adiuvet qui est laudandus in saecula. [3])

2) *Trechselius coniicit legendum esse:* pari.

3) *Nescimus de quanam confessione Gribaldi Vergerius ad Ducem Christophorum haec scripserit:* Remitto scriptum D. Gribaldi qui mihi valde suspectus est quod in sua confessione describenda noluerit dicere quod accipiat symbola, et sic includere Athanasii quoque. Sed dicit se symbolum acceptare apostolicum, et intelligit parvum symbolum. Nostri sic semper loquuti sunt quod acceptarent symbola. Non est sincerus, nec veniet, licet habuerit salvum conductum. (11. *Aug.* 1558. *Epp. Vergerii ed. Kausler et Schott p.* 183.)

2720.

CALVINUS FARELLO.

Novam regis in pios saevitiam notat et omnem lapidem moturum se declarat ut iis patroni in Helvetia et Germania reperiantur. Turicenses usque a colloquio abhorrent et contra Bezae confessionem declamant.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 162. Habet quoque Turretinus Cod. 108, fol. 84. Simlerus Vol. 90 et Epp. Bern. Tom. VI. p. 671. Versio anglica III. 368.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Guillelmo Farello ecclesiae Neocomensis fido pastori fratri et symmystae carissimo.

S. Divinitus factum fuerat ut profectionem, [1]) cuius haud dubie certior fuisti factus pridie quam tristis nuncius allatus est, rogatu meo hortatuque

2720. 1) *i. e. legationem ad civitates reformationi addictas in Helvetia, quas excitare volebat ad intercessionem pro vinctis Parisiensibus suscipiendam.*

susciperet *Budaeus* noster, etsi sponte currentem nihil opus fuit vehementius hortari. Spes erat, subacta Regis ferocia posse mitius aliquod responsum elici: atque huc me impulerat homo alioqui mihi ignotus,[2]) sed quem videbam interpretem esse communis piorum fratrum sententiae. Audita fratrum anxietate quam properanter admonuerim *Budaeum*, nihil attinet referre. Postea etiam quanta potui diligentia *Philippum* obtestatus sum[3]) ut nobis apud principes suum patrocinium commodaret. *Bezam* nostrum prius stimulaveram hoc argumento, quod haec optima esset occasio ad placandos Tigurinos, quorum morositas sic nobis ferenda est ut, si fieri possit, sensim mitigentur. *Bullingerus* quantopere a colloquio abhorreat pudet scribere.[4]) Et iam me *Bucero* comparat, cuius sedulitas ideo noxia fuit quod neque ingenue neque cordate sustinuit bonam causam ut decebat. Mea vero longe diversa est ratio, cui propositum est nos tantum a calumniis purgare.

Putabam de vestra confessione non fore amplius sermonem. Deceptus sum. Eccedum nova contestatio: sed adventu *Bezae*, nisi fallor, totus ille fumus evanuit.[5]) Utinam tota expeditio ex voto succedat. Simul ac certi aliquid allatum fuerit Lutetia, faciam ut resciscas. De urbis nostrae statu hoc tantum accipe.[6]) Arbitri nominati sunt quatuor qui nostras controversias diriment. Nisi acquieverint vicini ad rigidum iudicium res perveniet. Nobis transactio cordi esset, ratioque non difficilis videtur nisi damnatos nimis obstinate defenderent. Quid tamen cogitent brevi scietur. Regis hebetudine ego quoque attonitus sum. Donec mirabiliter Deus eum expergefecerit nihil sentiet. Rami digni sunt qui cum suo trunco stupidi iaceant. Omnia copiosius ex nuncio, cui facere iniuriam videor quod per eum scribam. Vale, integerrime frater. Dominus tibi semper adsit, te gubernet benedicatque labores tuos. Amen. Symmystae mei et amici te salutant. Tu quoque vicissim meo nomine plurimam salutem dices fratribus. Genevae 24. Septembris 1557.

Ioannes Calvinus
semper tuus.

2) *quanto magis nobis.*
3) *Literae non exstant.*
4) *N.* 2706.
5) *vide infra N.* 2722.
6) *Iis quae hic obiter attinguntur hoc addemus: Post proelium ad S. Quintinum Bernenses victorem Philibertum Emmanuelem ducem Sabaudiae serio metuentes propensiores facti sunt ad pacem cum Genevensibus colendam, praesertim quum viderent caeteros pagos horum causam amplexos esse.*

2721.

ZULEGERUS [1]) CALVINO.

Novissima tradit ex Wormatia, eaque satis ambigua, ita quidem ut sola Melanchthonis cauta moderatio impediat quominus res iam in fumum abierit. Meliora sibi pollicetur de futura quadam generali protestantium synodo. Coronidis loco bellica quaedam addit.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 78.)

Clarissimo viro et fidelissimo Christi servo Iohanni Calvino ministro Genevensi domino et praeceptori suo summa reverentia colendo.

S. Gratias tibi quam maximas ago, vir clarissime, quod literis tuis[2]) D. *Philippo* me commendasti. Nam praeterquam quod propter illas familiariter me excepit, etiam (quod maxime optabam) causa fuerunt ut ipse familiarius et liberius ea quae licet de conventu qui nunc hic agitur mihi exponeret, de quibus etiam spero eum ipsum nunc satis prolixe ad te scribere. Et quamvis D. *Crispinus* omnia quae scribi possunt coram vidit et audivit, ita ut de iis satis abunde ad te referre possit, tamen quoniam de iis ad te scribere promisi fidem liberabo.

Et primo personarum utriusque partis mitto ad te catalogum.[3]) Quod ad formam colloquii attinet, non colloquuntur inter se, ut antea saepe factum est, sed scriptis res agitur, quo in proximo conventu imperii certius de omnibus articulis, et in quibus conveniat cum papistis et in quibus dissensio sit, et quibus ex rationibus id fiat, ad principes et omnes status imperii referri possit. Iam dudum igitur inter papistas et nostros de praeparatoriis convenit, adeo ut ante decem fere dies[4]) de re ipsa et de peccato originis agi coeptum sit. A nostris articuli propositi sunt. An responderint adversarii adhuc ignoratur, sed hodie aut cras scibimus. Sic nunc res se habet ut cum adversariis facilius con-

2721. 1) *Natus* 1530 *in oppido Ioachimsthal, secretarius s. scriba fuit in exercitu Caroli V. tempore obsidionis Metensis, postea praeceptor privatus in Gallia, ex qua rediens Geneva transiit. Electoris Palatini consiliarius factus et sub Friderico III. praeses consistorii obiit* 1596. (*Adami Vitae ICtor.*)
2) *N.* 2701.
3) *Praebet hunc Salig* III. 292.
4) *Colloquium cum Catholicis incepit a. d. III. Idus Sept.* (*Corp. Ref.* IX. 265. *Planck* VI. 155.) *Sed demum a. d. XVI. Cal. Oct. Melanchthonis responsum de norma colloquii et peccato per Georg. Kargium lectum est.* (*Salig* 309. *Planck* 157.)

veniat, at nostratibus maximum inter se est dissidium. Nam Ihenenses a suis principibus, ducibus Saxoniae filiis *Iohannis Friderici*, habent in mandatis nullatenus ad aliquam cum adversariis actionem progredi, antequam damnentur Zwinglianorum aut Sacramentariorum, Anabaptistarum, Osiandrinorum et Swenckfeldicorum haereses. [5])

Qua in re D. *Philippus* cum aliis quibusdam hactenus vehementer restitit, et heri adhuc, ut audio, valde altercatum fuit. Saepe etiam illi discessum minati sunt. Sed a viris bonis audio rem paene eo perductam ut *Philippus* cum suis obtinuerit, et rem ita moderatam esse (quoniam iniquum esset nunc absentes, quos illi cupiunt, condemnare, et etiam hic conventus eam ob causam non indictus sit, sed tantum ut cum papistis agatur), ut statim sub finem huius colloquii generalis omnium protestantium synodus indicatur, [6]) in quo de omnibus doctrinis illis plene disputetur: hoc ita effectum suum consequuturum magna spes est. Sed de papistis nihil speratur, et sufficeret quidem si res, quod plane confido, inter nostros componeretur. Te etiam vocatum iri ad illam synodum omnes putant: de quo D. *Philippus*, ut opinor, plenius scribet. Ego cum ipso adveniens sedulo egi, ut quid sentiret de coena Domini publico scripto nunc testaretur. Is autem respondit, se id ante conventum publicum quem hanc ob causam a principibus indictum iri speraret non facturum, ne furorem Westphalicanorum augeret et animos ipsorum a se averteret, ita ut postea ad conventum non venirent: diligentiam tamen omnem se adhibiturum affirmavit ne negotium ultra differatur. Tuis literis hominem valde stimulari sentio: quare ut scribendo pergas utilissimum erit. Plurimi bene sperant de conciliatione si ad talem conventum res perveniat. Ipse quidem experior quam obcaecati sint nostrorum animi, et praeoccupati nominibus illis odiosis sacramentariorum et Zwinglianorum, ita ut vix de te loqui patiantur, quia te suspectum habeant. Sed nihil melius esse experientia me docuit quam sententiam tuam de sacramento simpliciter proponere, quam quum audiunt et te sentire rem ipsam cum signo coniunctam esse, et sic praesentiam Christi quo animae fidelium pascantur in coena constituere, statim manus dant: et qui libros tuos non legerunt vix adduci possunt hanc tuam esse sententiam. Itaque non dubito rem, si ad disputationem ventum erit bene successuram. Haec de colloquio.

Germaniam alias in reditu satis pacatam reperi, nisi quod Argentinae 20 insignia peditum et 1000 equites reperi qui urbem eo die quo veni praeterierunt Lotharingiam versus, et ignoratur adhuc quo tendant. *Philippi* regis Angliae nomen et signa gerunt et creduntur aut in Burgundia aut Lotharingia irruptionem in regnum Galliae facturos esse. Ego nunc ob aliquas causas celeriter in patriam ire cogor. Sed Deo volente post mensem unum huc revertar et quid hic agatur sedulo ad te perscribam. Tu interim, vir humanissime, cum ecclesia tua vale et me precibus tuis commendatum habe. Si quid humanitas vestra mihi commendare velit aut alias ad me scribere, conveni cum D. *Crispino* ut literas suas huc ad archigrammateum huius urbis, virum bonum et omnibus satis notum, nomine Iohannes Melchior *Seuther*, [7]) dirigat, qui eas semper, ubicunque sim, ad me mittere poterit. Iterum vale in Christo. Datum Wormatiae 8. Calend. Septemb. [8]) anno 57.

Humanitatis tuae discipulus
Wenceslaus Zuleger.

Rogo ut D. *Colladonium* meis verbis quam officiosissime salutes.

2722.

BULLINGERUS CALVINO.

Cum Beza Turico transeunte de confessione illa egit et res iam ita composita est ut summo animorum consensu discessum sit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 129, fol. 354 olim Epp. Tom. 30. — Simler. Vol. 90.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo domino meo colendo et fratri carissimo.

Genft.

---

5) *Cf. Salig* 295 *sqq., Planck* 140, *Schmidt, Mel.* 608. — *Hoc iam Nonis Sept. factum est.*

6) *Hoc egit Elector Palatinus, qui statim quum de Ienensium postulatis certior esset factus legatum Wormaciam misit, protestantibus suasurum ut pro tempore omnibus intestinis disceptationibus omissis, synodum postea haberent quam ipse cogendam per principes susciperet.* (*Planck* 142. *Schmidt* 610.)

7) Post obitum patris, quum mater vidua ferendis sumptibus ad studia necessaria iis non esset, de matris et cognatorum consilio ad calligraphiam animum appulit, ut alicui in scribendo operam deinde suam locaret, quo consilio Wormatiam e patria abiit, ibique apud urbis actuarium amanuensem egit (*Vita Zulegeri*).

8) *Lapsu calami ita scripsit pro:* Octobris, *ut argumentum epistolae luculentissime docet.*

S. D. Fratres nostri [1]) impetrarunt apud amplissimum senatum nostrum quod postularunt. Inde solventes descendunt Schaffhusiam et Basileam. Contulimus amice de exhibita confessione. Promiserunt illi se posthac curaturos ne quid tale fiat. Consensimus omnes in consensionem illam nostram. Polliciti sunt praeterea sese sententiam suam latius plenius et planius declaraturos, si Saxones aut alii confessionem istam nobis obiicere perrexerint. Ita summo animorum consensu discessum est. Vive et vale. Adolescens hic miro tenetur desiderio videndi te, tu itaque ad virtutes ipsum hortare. Iterum vive et vale. Tiguri 26. Septembris 1557. Salutant te fratres. Saluta tu omnes fratres et symmystas.

Bullingerus tuus.

2723.

DER RATH ZU BASEL AN DEN ZU STRASSBURG.

In Sachen der in Frankreich verfolgten Protestantem.

(Thomas-Archiv. Lade 22. Original auf Pergament. Mit der Beischrift: *Basell für die verfolgten Christen jn Franckreich. Empfangen mittwoch den 29. septembris anno 57. Lectum vor Rhät vnnd xxj donnerstag den 30. Septembris Anno* 1557.)

Den Fürsichtigen Ersamen wysen Meister vnd Rhadt der Stat Straszburg, vnsern Insonders gutenn Fründen vnnd Vertrüwtenn lieben Nachpurenn.

Vnnser fründtlich willig diennst zeüor fürsichtig Ersam wyss Innsonders gut fründt vnd vertrüwt lieb Nachpurn. Hüttigen tags habenn vns der Christenlichen Kirchen zu Nüwenburg Losanna vnd anderer ortten dienere mit beschwerdtem trurigen gemüete was schweren ouch jemerlichen vnd Erbärmbklichen durchächtung vnd verfolgung nüwlich zu Paris vnd an andern ortenn jnn Franckhrich mit etlichen die den warenn Christenlichen glauben- vnd die reine leer göttlichenn wortes bekhenndt vnd angenommen haben fürgenommen werde zeerkhennen geben, vnnd vns darnebenn verstenndiget wie sy harumb an Euch Ettwas gelangen zlassenn bedacht vnd gsynnet syenn. Mitt ernstvlissigem truugenlichen ansuchenn Das wir sy vss sonndern gnaden vnnd gonsten ann vch befürdern wölltenn Damit sy ditz dester befüegter vsszefüeren habenn möchten. So dann wir der sach geneigtenn willen tragen Da so wöllenn wir vch sy jnn jrem kleglichen fürtrag vnnd pittlichen ansuchen gnedigklichen vnd one verdruss, ouch vnbeschwärdter gstallten anzuhören vnnd zebedennckhenn hiemitt dienstlich gepetten haben, Den allmechtigenn gott demüettigklichen vnd allenn ernstes pittende ditz zu pryss sines Göttlichenn Namens vnnd merung sines heilsamen wortes gnedigklichen zebeleiten. Datum Monntags den xxvij. Septembris anno Lvij.

Bernhart Meiger Burgemeister
vnnd der Rhat der Statt Basell.

2722. 1) *Beza et Budaeus. Ex sequentibus efficies etiam Farellum adfuisse.*

2724.

WILHELMUS HASSIAE CALVINO.

Puerum sibi ab eo commendatum sibi curae fore pollicetur. [1])

(Ex authentico exemplari quod exstat in Cod. Parisiensi coll. Dupuy. Vol. 268, fol. 53 cum subscriptione autographa.)

Reverendo viro singulari nostro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis antistiti dignissimo
ad manus proprias.

Gulielmus Dei gratia Lantgravius Hessiae Comes in Catzenelenbogen Dietz Ziegenhain et Nidda.

Quas ad nos dedisti literas, vir clarissime, eae praeter insignem et doctrinam et pietatem, diligentiam quoque tuam, qua in commendando exsule pupillo usus es, perquam liquido nobis ostenderunt. Quod quum dico, intelligis, opinor, non ingratas nobis easdem fuisse. Licet autem pro innata nobis animi nostri bene de hominibus et piis et doctis merendi propensione satis prompti facilesque ad id officii iam antea propenderemus, tua tamen tam accurata diligentique commendatione longe nos alacriores factos id argumento erit, quod lectis literis tuis statim ad reditum clementissimi Domini Patris (qui eo quo hic familiaris tuus ad nos appulit tempore certis de causis ad dies aliquot alio concesserat) levissimo quasi momento rem eo deduximus ut fratri nostro

2724. 1) *Respondet ad N.* 2692.

germano natu minimo, D. *Georgio*, decem annorum puero, coniungendum commendationis tuae nomine consenserit: sic ut fore persuasum est ut qui aetate nunc fere pares pietatis quoque studiis una imbuti Christo nostro coalescant, tandemque Dei Opt. Max. munere in viros familia sua dignos evadant. Ad reliqua quod attinet benevolentia nostra puellum quam benignissime prosequemur, neque quidquam quod ad fovendum tuendum ornandumve eum pertinebit intermittemus. Quod si in maioribus animum benevolentiamque erga te nostram experiri aliquando visum fuerit, senties nihil eorum quae vel virtus vel probitas tua postulaverit a nobis tibi denegatum iri. Vale feliciter, tibi, tuis christianaeque reipublicae quam diutissime superstes. Marpurgi 4. Cal. Octobris Anno 1557.

Wilhelmus Hassiae.

2725.

VIRETUS CALVINO.

Narrat quis causae suae ex adventu legatorum Bernensium processus fuerit et commendat ei negotium pharmacopolae Lausannensis.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 71.)

Eximio Iesu Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae observando.

Genevae.

S. Audivisti, opinor, quod ceperint consilium nostri de pacificatione et reconciliatione, ne lis ab adversariis excitata maiores excitaret tragoedias. Atque utinam non sero sapiant Phryges. Interea dum haec capiuntur consilia adveniunt legati quaestor *Steguerus* et Bernardus *Erlacensis*, quibus noster praefectus adiunctus est, ad audiendam causam et testimonia, si quos adversum me testes volunt adversarii producere. Antequam vero ad rem veniatur intercedunt duo senatores apud legatos nomine diacosiorum, qui exponunt quae iam de pacificatione consilia inierint, ac simul rogant ut ipsi quoque legati huc suam operam impendant ut ipsorum autoritate pax firmior sanciatur. Respondent, se hoc non habere in mandatis, neque suarum esse partium quidquam praeterea tentare quam quod iussi sunt. Statuitur itaque ut ad singula accusationum capita respondeam, quorum octo rescissa erant senatus Bernensis autoritate, quae indigna iudicarunt quibus responderem certas ob causas. Supersunt sex ad quae scripto respondi. [1]) Iussi sunt adversarii, si non satisfaciat mea responsio, testes producere, sed viros bonos ac minime suspectos, quibus suas probarent accusationes. Communicatae sunt meae responsiones, quibus scripto opposuerunt quod libuit, nullis productis testibus. Ego rursum eorum diluo calumnias. Multa ultro citroque dicta et scripta sunt. Bene habuit quod legatos et auditores habuimus patientissimos et bonae causae exquisitissimos, de quibus non nisi iusta et aequa spero. Nunc nobis utrinque auditis iam superest ut cuncta ad senatum referantur, cuius exspectamus sententiam. Det Dominus spiritum sapientiae et consilii ut quod iustum est iudicent. Tu nobiscum ora Dominum et hanc causam amicorum commendato precibus.

Si quid habes de Parrhisiensi ecclesia, aut aliud aliquid quod nostra nos scire referat, significato. De rebus vestris et de spe foederis cupio cognoscere, si quam habetis bonam, et si quid iam confectum est.

Est hic apud nos pharmacopola quidam unoculus, cui nomen est Iacobus *le Costeoyer*, mihi hactenus ignotus. Multa mihi narravit de suis calamitatibus, in quibus hanc indicat gravissimam quod a vestra ecclesia et civitate exsulet ubi adhuc uxorem habet. Pollicetur meliora, si rursum in gratiam recipi possit et si priores offensae condonentur. Ego quia neque hominem novi, nisi quod ab amicis quibusdam commendatus est mihi, neque de eius causa quidquam nisi ab eo audivi, de ea non scribam prolixius. Tu qui melius tenes omnia facilius iudicabis quam aequum aut iniquum sit quod petit. Neque dubito quin eius causam habeas commendatam quoad expedire iudicaris.

Mitto ad te literas *Bezae* nostri Scafusia scriptas et *Halleri* ad me alias, [2]) ex quibus cognosces quid cum *Grybaldo* Bernae actum sit. Salutant te nostri omnes. Salutem multam dico amicis omnibus. Vale optime ac diutissime. Lausannae 30. Septembr. [3])

Tuus Petrus Viretus.

2725. 1) *Etiam hic nihildum audimus de his capitibus. Verum infra N.* 2739 *discemus accusatum fuisse quod praedestinationem e suggestu doceret, hactenus edictis Bernensium neglectis, et excommunicationem usque flagitaret* (*cf. Ruchat* V. 497.)

2) *Neutra epistola exstat. De Gribaldo vide N.* 2718.

3) *De anno non est quod dubites, quum hoc ipso mense saepius actionis Vireto intensae et Gribaldi mentio facta sit.*

2726.

CALVIN AUX ÉGLISES DE LAUSANNE, DE MOUDON, DE PAYERNE. [1])

Appel à la générosité des fidèles, en faveur des victimes de la persécution à Paris.

(Minute autographe. Bibl. de Genève. Vol. 107a, fol. 339. Lettres fr. II. 150. Trad. angl. III. 367.)

Messieurs et bons freres.

Encor que tout le reste ne suffit a esmouvoir les freres auxquelz on sadresse: ceste extremite ne souffre nul dellay. Car a grand peine sera il possible quen tant de tortures les uns ne soient enveloppez, et puis les aultres, iusques a un nombre infiny. Bref, voila tout le Royaulme en feu. Parquoy il nest plus question de satisfaire au desir des paovres freres: mais sil y a goutte dhumanite en nostre endroict, de les secourir a tel besoing. Pource que iespere quilz ne fauldront a essaier, ne faillez aussi de mander ce quaurez faict en suisse. Car encor quon ne trouvat promptement argent par dela, si feray ie telz effortz, quant ie me devrois engaiger teste et piedz, quil se trouvera prest icy. Ie supplieray nostre bon dieu vous guider en tout et partout, vous donner adresse, vous fortifier, et en somme monstrer le soing quil a des siens.

Extraict des lettres de sire *Georges* de lunziesme de septembre: Vous aurez entendu comme a Paris a esté prins plus de cent prisonniers dune assemblee, ou il y a plusieurs notables et bons personages.

Iay copie ceste clausule affin quelle fut mieux et plus vifement entendue de vous.

2727.

PEUCERUS CALVINO.

Summis votis synodum virorum doctorum et piorum congregandam optat ut tandem aliquando miserae ecclesiae succurratur.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 193. Inscriptio desideratur.)

Non tuae [1]) solum et aliorum etiam principum literae synodum flagitant, sed ipsa etiam saucia et misera ecclesia assiduis et gemitibus et lachrymis petit ut eruditi et pii mediocri frequentia conveniant ad quarundam controversiarum explicationem et constituendum consensum saniorum: etiamsi erunt aliqui qui dissentire volent, sive odio sive inscitia. Cur igitur hanc ecclesiae vocem nec principes nec doctores exaudiunt? Respondent multi, se metuere id quod Nazianzenus scripsit, synodum inflammaturam esse odia et dissidia non exstincturam. Id ita futurum esse, id ratiocinari potes, quia in oppido vicino [2]) Lubecae convenerunt aliquot *βλακικοὶ*, [3]) ac decreverunt se non accessuros esse ad synodum, si qua ediceretur, et se defensuros esse eadem *περὶ μυστηρίων* quae docuerunt hactenus. Quorsum igitur prodesset indici synodum? O miseram in hac mundi senecta et desertam ecclesiam, quum tanta sit perversitas ut etiam ad colloquium doctores convenire recusent. Et tamen in illo ipso dogmate *περὶ μυστηρίων* non est consentiens explicatio inter ipsos. Alii defendunt adorationem, alii ab ea abhorrent. Bonnae clamitant quidam, corpus ubique esse, quod unde acceperunt nescio. Denique nec vetustas eodem modo de re tanta loquuta est. Quare et ego synodum opto eaque de re cum meo socro* saepe loquutus sum, qui sic respondet: Si procedit conventus imperii ibi nostrarum ecclesiarum doctores alioqui conventuros esse, et adfuturos principes et alios praestantes viros, quos de omnibus articulis prius inter sese colloqui oportebit priusquam cum adversariis congrediantur. Sin autem non procedet imperii conventus suadet ut re deliberata cum aliquot principibus conveniant volentes aliqui, qui veritatem amant et consensum ostendant ecclesiae posteritati, nec deterreantur iniustis iudiciis et ineruditis clamoribus aliorum. Id tandem fieri necesse erit. [4])

Gaspar Peucerus.

2726. 1) *Nous empruntons cette adresse à une suscription qui se trouve au dos de la lettre, mais d'une autre main:* Lausanne Modon Payerne. *Il est possible et même probable que des lettres pareilles ont été adressées à d'autres églises encore. Quant à la date, il faut nécessairement tenir compte du post-scriptum qui parle de l'arrivée d'une lettre écrite le* 11. *Septembre, soit à Paris même, soit du moins en France.*

2727. 1) *Non opus est ut ex h. l. colligas Calvinum ad Peucerum scripsisse. Respicere poterat ad ep. N.* 2677.

2) *Unde ipse scribit? Sane Calvino Lubeca Wittembergae vicina videri poterat, an vero etiam ipsi Wittembergensi?*

3) *Flaciani.*

4) *Si quid videmus fragmentum tantum est. De natalibus vero vix est quod dicamus. Peucerus socero Melanchthoni comitem se adiunxerat quum is Wormatiam iret. Eo tempore tam principes quam ipse Calvinus de colloquio instituendo satagebant.*

2728.

LITERATI BASILEENSES FARELLO ET BEZAE.

Humanistae Erasmi Roterodami memoriam a theologorum conviciis vindicant.

(Ex schedis bibliothecae Faeschianae Basil. — Edidit Baum I. 301.)

Intelleximus haud ita pridem, *Farelle* et *Beza*, die xx. Septembris proximi hic in publico Sylvestris hominis diversorio [1]) ante prandium vos multis audientibus in D. *Erasmum* Roterodamum debacchatos, et a te nominatim, *Farelle*, disertis verbis *Erasmum* omnium mortalium deterrimum improbissimum et impurissimum nebulonem, a te vero, *Beza*, eundem Arianum appellatum fuisse. Id si fecistis, sique sanctae memoriae defuncti existimationem tot pudendis et atrocibus conviciis consulto lacerastis, nos subscripti factum vestrum improbum ac puram putam calumniam dicimus, ut qui confidamus persuasissimumque habeamus, eum ipsum *Erasmum* vere ac pro meritis a quoquam bono probo et integro viro eiusmodi calumniis conviciisque lacessiri aut proscindi nec posse nec debere. Haec pro integerrimi viri memoria existimationeque tuenda ne dissimularemus, legibus etiam civilibus admonemur. Dat. Basileae.

Bonifacius Amerbachius mea manu.
Hieronymus Frobenius mea manu.
Nicolaus Episcopius.

2729.

SCHALLINGIUS CALVINO.

Legit ultimam Admonitionem ad Westphalum et candide fatetur se a Lutheri partibus stare et staturum neque probare controversiae acrimoniam qualis ab utraque parte exhibetur, et hactenus Calvini quoque libellum notat. Ipse contra papisticam communionem scripsit et scriptam Turicensi prelo subiicere cupit. In Germania passim pii vexantur. [1])

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 150.)

Reverendo pietate eruditione et virtute praestanti clarissimo viro D. Ioanni Calvino docenti evangelium in ecclesia Genevensi domino et praeceptori suo unice colendo.

Genevae.

S. D. Reverende vir, colende praeceptor. Vidi Admonitionem ultimam ad *Westphalum* abs te editam, et legi paginas aliquot diligenter: lecturus longe maiore diligentia ubi contraria scripta in manus meas pervenerint. Nam quae de Magdeburgensibus et aliis edita refers mihi non sunt visa. [2]) Etsi autem ingenue fatear, eandem me sententiam amplecti quam *Lutherus* et *Philippus* scriptis publicis tradiderunt, neque in vestram concedere possim opinionem, velim tamen utramque partem minore vehementia causam agere quam defendendam suscepit, ac de rebus ipsis solide sine conviciis et acerbitate dixisse. Non enim video qua ratione sperata pax confici possit dum talibus libellis inter nos depugnatur, qui maiorum discordiarum semina sunt. Oro itaque, quantum in te est, placidis potius scriptis agas. Si diversum fecerit alter, propinabit sese ridendum aliis. In quadam parte *Lutherum* perstringis quasi tyrannice in suos egerit, et enormibus vitiis virtutes fuerint permixtae. Haec etsi tu diversis ponas verbis et mitius accipi possint, tamen suspicionem excitas multis, ut te *Luthero* adversarium iudicent ac causae huic infestiores fiant. Amamus enim, nec immerito, huius viri memoriam. Quod ultimum vocamus Eliam, Dei benignitati nihil derogat, nec sic a nobis intelligitur. Initium fecit repurgationis ecclesiae, et quidem ultimo mundi tempore, cuius finem instare certum est. Verum de hisce rebus non pugnabimus. Utinam dogma de praesentiae modo inter nos pie componeretur. In conventu Schmalcaldiensi recte scribis [3]) de foedere actum esse: sed et confessio doctrinae scripta et paulo post edita est germanice, [4]) adiunctis theologorum nominibus, ac recitatur ibi dilucidius Augustanae confessionis et Apologiae sententia. Scriptum huc annis abhinc quatuor recusum est Ienae mandato principis Electoris nati ex autographo, et addiderunt *Stolzius* et *Aurifaber* passim glossas quibus *Philippum* et alios acerbe traducunt. [5]) Videntur

---

2728. 1) *Gasthof zum wilden Mann, hodieque superstes. De die vero fortasse minus accurate dicunt. Nam* 17. *Sept. Bernae fuerunt et primum Turicum et Schaffhusium petierunt antequam Basileam se conferrent.* (*Cf. etiam Kirchhofer, Farel* II. 140.)

2729. 1) *Schallingium habuisti N.* 2594. 2607 *etc.*

2) *Cf. notitiam nostram Proll. Opp. IX. p. xxi seq. n.* 4. *De Magdeburgensibus i. e. Flacianis saepissime loquitur Noster in sua ultima admonitione, ex. gr. p. nostra* 179 *ss.* 188 *sq.* 193. 196 *ss.* 235 *sq. etc.*

3) *pag.* 152 *ed. nostrae.*

4) *a.* 1538. *Koellner, Symb. d. luth. K. p.* 445.

5) *Hic minus accurate dixisse videtur autor. Editio a Stolzio et Aurifabro procurata prodiit Vinariae, Ienensis anno demum* 1555. (*Feuerlin, bibl. symb.* 889. 890. *Cf. Koellner, p.* 457.)

enim sibi iustis de causis *Philippo* sese opposuisse, et quidquid occurrit arripiunt ut invidiam reverendo seni concilient. Utinam afficiantur principes et magistratus dissipatione piarum et recte docentium ecclesiarum, et tollant dissidia inter nos orta conventu doctorum et cognitione iusta.

Proxime scripsi, [6]) et simul misi papisticam communionis formulam quae in Bavaria latine et germanice edita est. Quoniam vero plerique nobilium et subditorum in eo ducatu religionis verae percupidi sunt, et moleste ferunt talibus scriptis plebeculam rudem infici (legitur enim de suggestu a sacrificis), miserunt ad me duo summae autoritatis homines refutationem germanice scriptam, ut legerem et correctam sumptibus illorum evulgarem. Dedi itaque Iacobo *Derbil'e* partem sumptuum, missurus reliqua bona fide. Ac te oro, tua nos iuves commendatione, ut Tiguri edatur. Scripsi eadem de re D. *Petro Martyri* praeceptori meo, a quo prima theologiae fundamenta didici, quum annis abhinc undecim Argentorati essem. Quod si editionem non impetrabimus, fiet magno cum multorum periculo, qui putant veritate nos victos silere, et ad adversariorum partes se conferunt. Et eo vehementius furent persequutores, nisi publico scripto conatus eorum retundatur. *Salzburgensis* episcopus totus est in persequendis Christianis. [7]) Pelluntur sedibus qui vel purius docent ministri, vel significant se religionis amantes. In aula Ferdinandi spargitur a quibusdam, *Ottonem* Palatinum et *Wirtembergensem* moliri bellum in sacrificos. Haec eo fiunt ut ipsi nos invadendi iustam habere causam videantur. Quiescere non possunt nisi sanguine iustorum manus suas humectarint. Oro autem filium Dei, reprimat illorum consilia et concedat ecclesiae suae Halcyonia.

A te quoque peto, bonam in partem accipias quae liberius de Admonitione ultima scripsi. Neque enim, si quaedam non sequor, in aliis vehementiam remitti cupio, te vel causam odi. Sed hoc potius confirmo, amari te quum a me tum ab aliis, et legi tua scripta et approbari quae recte dicuntur. Quumque fundamentum retineatis, et fratres haberi voluerit in colloquio Marpurgensi *Lutherus*, ego vestras ecclesias atro carbone non notabo, quantumvis doctrinae de praesentiae modo non assentiar. Feliciter vale et ora pro nobis ac ecclesiis nostris: nostrae preces quoque non deerunt vobis. Ratisbonae 3. Octobris 1557.

Te reverenter colens
Martinus Schallingius.

6) *N.* 2696.

7) *Fuit is Michael de Khienburg qui a.* 1556 *multos e sua ditione emigrare coegit. Contra eum in comitiis Ratisbonensibus de vi civibus illata questum est.* (*Schelhorn, Nachr. v. Urspr. d. ev. Rel. in Salzburg p.* 203.)

2730.

BULLINGERUS CALVINO.

Legationem communem ad Regem Helvetii parant. Melanchthon e Wormacia scribit de Lutheranorum hostili animo, qua occasione denuo Bezae confessio notatur. Albertus Dluski Polonus commendatur.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 117b, olim Scrin. C. Epp. Tom. H. fol. 376. — Simler. Vol. 90.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo domino suo colendo et fratri carissimo.

Genff.

S. D. Non placuit amplissimo Bernensium magistratui postulatum Dominorum nostrorum. [1]) Proinde sicut Bernenses a nostris postularunt, delegerunt nostri legatum D. Ioannem *Aescherum* Archigrammateum, qui hisce diebus Bernam ibit ibi exspectaturus legatos Basilienses et Schaffhusianos ut inde ad Regem abeant supplicaturi pro vinctis. Bernates delegisse audio Claudium *a Madiis* et D. Ioannem *Mirabilem.* [2]) Dominus benedicat legationi ipsorum. [3]) Quo nomine et fratres adhortandi videntur ut sedulo orent Dominum. Valde metuo Guysianos: non tam Cardinalem quam eum qui nuper ex Italia in Galliam rediit. [4]) Sed sunt in manu Domini corda regum.

D. *Philippus* ad me ex Wormacia amicissimas scripsit literas. [5]) Inter alia ad verbum: „Nos hic duplicia certamina sustinemus, *αἰτοῦσι γάρ τινες ψηφίσματα γραφῆναι κατὰ τῶν ἀποδοκιμαζόντων τὴν ἀρτολατρείαν.* Refragati sunt plurimi legati. Deus adsit ecclesiae suae. Plura non potui scribere" etc. Haec ille. Retulerunt et fide digni alii, sedulo instare Saxones ut damnaremur, et ut *Melanchthon* purget se de suspicione Zwinglianismi et *Calvino* renunciet. *Marbachius* Argentinensis ecclesiae minister dicitur damnationem nostram urgere prae aliis: [6]) interim tamen subinde in ore habere: Si

2730. 1) *Turicenses postulaverant ut Bernenses sine mora aliquem Lutetiam mitterent qui communem legationem mox sequuturam annunciaret, ita ut persequutiones maturius cessassent. Bernenses vero communem illam solam urgebant.* (*Baum* I. 311.)

2) *Clado Mey et Hans Wunderlich.*

3) *d.* 10. *Oct. profecti ineunte Novembri Lutetiam pervenerunt.*

4) *nempe Henricum* (*N.* 2701).

5) *d.* 20. *Sept. Corp. Ref.* IX. 283, *cf. Planck* VI. 132.

6) *Haec assertio nobis suspecta est. Certe quae exstat Mel. ep. ad Marb. d.* 8. *Nov. scripta nihil tale suspicandum suppeditat, et Eberus ad Maiorem ap. Planck. p.* 141 *dicit* Wirtembergenses, Palatinos, Hassiacos Argentinenses etc. sic

Calvinus et Tigurini ita sentirent ut habet confessio a *Pharello* et *Beza* in manibus relicta principum, sperari posset concordia. Vides, mi *Calvine*, quid illa sua confessione effecerint et ut accipiatur ab adversariis. Utinam nunc iterum nihil incommodent nostris ecclesiis quum Wormatiam descendisse dicantur et huius aliquid obscurius denotaverit *Beza* in epistola a Schaffhusio ad nos scripta: aut si quid agere velint, suo non nostro nomine agant. Nam confessionem illam in manibus principum relictam non agnoscimus. Id quod palam praesentibus diximus.

Quae fiant in Polonia intelliges ex praesentium latore *Stanislao*. Commendo autem tuae pietati Albertum hunc *Dluski* nobilem puerum.[7] Cures, oro, ut sancte educetur et optime erudiatur. Vive et vale. Tiguri 6. Octob. anno 1557. Salutant te nostri omnes.

Bullingerus tuus.

2731.

WOLPHIUS CALVINO.

Commendat Albertum Dluski iuvenem Polonum.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 132, olim Scrin. B. Epp. Tom. 45, fol. 227. — Simler. Vol. 90.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae antistiti fidelissimo domino sibi in Christo colendissimo.

S. P. Sumpsi hoc mihi pro tua erga me benevolentia, quam penitus perspexi, quoties vel aliquas abs te accepi literas vel ipsi convenimus, ut ad te familiariter, et quasi pro meo iure scriberem, si qua res esset de qua nonnihil laborarem. Albertus *Dlusius* Polonus adolescens nobilis, qui ante biennium paene huc abs sua matre, matrona vere pia ac nobili, missus mihique a D. *Lismanino* hinc in Poloniam abeunte commendatus fuerat, sic aliquamdiu apud nos commoratus literis graecis latinisque operam dedit. Eum quum *Stanislaus* D. *Lismanini* vetus internuncius secum ad vos deducendum existimaret, amor in illum adolescentem meus facile me adduxit ut ipsum tibi, vir clarissime, commendarem. Itaque abs te peto ut pro tua in Polonicas ecclesias remque christianam publicam omnem pietate singulari, sic illius curam suscipias, ut autoritate tua ductus aliquis vestras eum in suam fidem ac tutelam suscipiat, sicque et bonis literis instituat et ab omni malitia custodiat ut adolescens eam, aliquando in patriam revocatus, quam de eo sui habent, exspectationem sustinere queat. Atque id adeo cupio ut nisi mihi de tua erga D. *Lismaninum* meque ipsum benevolentia persuasum esset, pluribus verbis id conarer abs te impetrare. Quid a matre et propinquis sit exspectandum gratae voluntatis et officii mutui, *Stanislaus* qui illum vobis hinc adducit, poterit commemorare. Quid rerum novarum ex Polonia afferat ex iis quas secum affert literis disces. Unum hoc peto ut quod te quavis de re sollicitare audeam boni consulas mihique ignoscas. Vale. Tiguro 6. Octobris anno 1557.

Ioan. Wolphius
tui observantissimus.

animatos ut palam dicant . . . . nullo modo sibi probari illud Vinariensium intempestivum studium impediendi publicam colloquutionem.

7) *Cf. N.* 2514. *De Stanislao vide sequentem.*

2732.

IONVILLAEUS BULLINGERO.

Gratias agit pro libro Concionum in Apocalypsin exsulibus Gallis et Italis qui Genevae degunt misso.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 251. — Simler. Vol. 90.)

Clarissimo atque ornatissimo viro D. Henrico Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori fidelissimo.

S. Dici quidem certe non potest, vir clarissime, quantum ego privatim me tibi debere fatear et ex animo agnoscam, quum propter singularem illam, qua me semper prosequutus es benevolentiam et humanitatem prope incredibilem, tum vel maxime propter raram hanc et inauditam animi erga me tui propensionem, qua sic homuncionem longe infra mediocritatem positum amplecteris, ut satis mirari non possim, ita tui *Caroli* te esse memorem, ut tot iam nominibus tibi devinctissimum eo tandem honore cumulaveris quem nec sperare nec ambire ausus fuisset. Ecquid enim maius aut praestantius accidere mihi potuit quam me tanti abs te fieri, ut conciones tuas plane divinas in Apocalypsin Ioannis ad me perferendas curaveris, quas omnibus peregrinis et exsulibus dicatas et inscriptas ecclesiae

Gallicae et Italicae tuo nomine offerrem? [1]) Nihil profecto gratius iniungere poteras, nec quod lubentius susciperem. Itaque librum tuum vere aureum una cum literis communibus obtuli, quibus volebas. Quam vero gratum fuerit utrumque munus et Gallis et Italis saltem suis literis testabuntur et pignus illud tui erga se amoris agnoscent, quando alia ratione non licet. Sed hoc unum certo affirmare possum neminem hic esse qui non multum se, vel eo nomine, tibi debere fateatur et gratias agat quam maximas.

Iam superest ut paucis excusem quod non ante tibi respondere potuerim. Ac primo quidem quum redditae sunt D. *Calvino* tuae literae una cum libro quem mittebas, ego in urbe non eram, ut ex *Budaeo* fratre mihi carissimo intellexisti. Quum quinto post die reversus essem et accepissem, curavi ut aliquot ex nostris munus hoc tuum apud me esse resciront, et literas tuas legerent. Tandem quia vix licuisset singulis recitare, D. *Calvinus* quum praelectionem suam absolvisset, exposuit quantum honoris detulisses, qui tuos commentarios omnibus peregrinis dicasti et quantum tibi perpetuo sint obstricti. Caeterum ex eo nullus occurrit cui literas ad te darem, quum tamen id vehementer cuperem. Moleste enim ferebam tamdiu responsum differri. Quod autem statueras ab initio tuas conciones mihi *Budaeo Badio* et *Normandio* inscribere, [2]) longe tibi devinctiores sumus quam reliqui omnes nostri fratres. Itaque et meo et horum nomine quas possum maximas gratias ago, et profiteor nos multo plus tibi debere, quam possimus unquam esse solvendo. Salutavi nominatim D. Marchionem *Vici*, et quos tuis literis volebas. Illi reverenter te resalutant et tuos omnes symmystas, quod ego etiam facio ex animo. Quia vero D. *Calvinum* ad te scripturum [3]) scio si quid est novi ideo nihil hic addam. Tantum supplex oro Dominum ut te semper tueatur, servet diu incolumem suae ecclesiae et suis benedictionibus magis ac magis locupletet. Genevae nonis Octobris 1557.

Carolus Ionvillaeus tibi devinctissimus.

2732. 1) In Apocalypsin conciones centum. Bas. Oporin. 1557. fol. *De hoc libro Hallerus in Eph. p.* 112: A. 1557 d. 28. Ian. denegata est a senatu homiliarum Bullingeri in Apoc. editio. Quum enim Froschoverus opus illud imprimere nollet, libenter obtrusisset nostro Apiario: verebatur enim ne aliquid tumultus inde oriretur. Nostri hoc sentientes et idem timentes Apiario concedere noluerunt ut imprimeret, Postea impressum est opus Basileae latine et germanice Mülhusi (1558 *a L. Lavatero versum*). *Causa interdicti fuit turba olim ob Gualteri Antichristum excitata. Praetextum autem inde sumpserunt quod B. Apocalypsin inter canonicas scripturas recensere videretur, contra edd. receptas, et Disputat. Bern. et Zwinglii sententiam. Librum autor Bernensi senatui inscribere voluerat, sed consilio mutato exsulibus in Helvetia degentibus nuncupavit.* (*Hess* II. 316.)

2) *De hoc consilio in thesauro nostro nihil.*

3) *sequentem.*

2733.

CALVINUS BULLINGERO.

Persequutiones usque ardent maxime contra Waldenses. De concionibus in Apocalypsin exsulibus dicatis ipse quoque gratias agit.

(Ex autographo eiusdem Codicis ac praecedens fol. 36. Exemplaria recentiora praebent Cod. Genev. 111b, fol. 8 v., Epp. Bern. VI. p. 533 et 697 et Simleri Tom. 90. Versio anglica III. 370.)

Clarissimo viro D. Henricho Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori symmystae et fratri observando.

S. Quia nondum ex nundinis rediit *Crispinus* noster, quem ex aliorum relatu intelligo mihi a *Philippo* afferre literas, [1]) quaedam supersedeo scribere usque ad reditum illius adulescentis, [2]) per quem mihi nuper scripsisti. Tantum in praesentia volui de fratrum nostrorum statu facere te certiorem. Fratres Alpini rursus vexantur [3]) non solum a curi a Taurinensi sed etiam Gratianopolitana, nam sub huius ditione sunt duae valles. Multi Gratianopolin tracti sunt, quum ad reddendam fidei confessionem vocati essent. Omnibus dies est dictus, quo se ad papatus abominationes recipiant. Si quis vel ministros verbi vel ludimagistros capiat, promissi sunt in singula capita aurei scutati quinquaginta. Decretum ut manu armata rapiantur nisi intra tempus praefixum obtemperent. Parisiis ante dies octo tres fuerunt exusti. [4]). Etsi autem probabile est paucorum supplicio hostes voluisse incutere omnibus terrorem: brevi tamen audiemus, si constanter alii pergant, singula urbis compita flagrare. Videtur Pharaonis stupor hac una in re experge-

---

2733. 1) *eas puta quae mox sequentur.*

2) *Cave de Dlusko cogites qui Genevae stare debebat.*

3) *De his caeteri nihil habent. Hist. tamen eccl.* I. 158 *tradit Godofr. Varagle Pedemontanum, olim Ochini comitem, cardinalem legatum Caraffam in Galliam sequutum, Lugduno Genevam se contulisse quo melius evangelium disceret, tum vero Angroniam redeuntem captum fuisse et Taurini exustum d.* 30. *Dec.* 1557.

4) *Cf. N.* 2700. 2716.

fieri cladibus bellicis, ut atrocius saeviat contra pios. Dominus omnes eius furias compescat.

Quod tuos commentarios Christi exsulibus dicando tuum erga nos amorem publice testatum esse voluisti, qui hic sunt peregrini tibi communibus literis gratias agunt. et cuperent plenius, si daretur occasio, suam gratitudinem re ipsa testari. Ego quoque officii mei esse duxi verbum hoc instar suffragii addere. Vale, ornatissime vir et mihi observande frater, una cum familia et symmystis. Dominus vos omnes conservet regat et benedicere pergat usque in finem. Genevae nonis Octobris 1557.

Ioannes Calvinus tuus.

2734.

MINISTRI ECCLESIARUM PEREGRINARUM GENEVENSIUM BULLINGERO.

Gratiarum actio, cum Calvini laude coniuncta, de Concionum eius dedicatione.

(Ex autographo Arch. Tur. Plut. VI. Vol. 164, N. 127, olim Scrin. B. 19. Epp. anglic. — Simler. Vol. 90. Edita est in Lavateri l. de ritibus scholae Tigur. ed. Ott. p. 133.)

Pio et docto viro D. Henricho Bullingero ecclesiae Tigurinae episcopo vigilantissimo.

S. Quae res secundum Deum puramque eius cognitionem, vir ornatissime, nobis maxime optanda erat, ut ii doctores, a quibus evangelii luce animi nostri illustrantur, et haberent nos filiorum loco et essent cuique nostrum ut parentes cari, ea nobis abunde a Deo Opt. Max. data est. Hic enim postquam e toto orbe collectos nos in suam fidem accepit tuus sive potius noster *Calvinus*, non destitit ille ex quo nos in Christo genuit, tum piis doctisque suis scriptis tum sacris de suggestu concionibus, liberaliter, prolixe sancteque alere et confirmare. Qua in re ut et in caeteris, etsi omnibus aliis plane satisfacit, sibi tamen non satisfacit ipse. Neque tanto tamque ardenti ac perpetuo in nobis augendis et ornandis studio sese patris putaret officium explevisse, nisi sua quoque virtute efficeret, ut propter *Calvinum* ad ecclesiam, cui non dico praeest sed servit *Calvinus*, et amandam et iuvandam a sanctissimis quibusque pastoribus certatim fieret concursus. Habes enim exploratum hanc abs te familiam ob illud eius columen non amari sine rivali. Atque ut pergratum est, vestri in parentem nostrum amoris immortalem nobis fructum capere, sic illi de suo iure nihil decidi potest. Nam ex liberorum ornamentis in quibus sunt praestantium virorum amicitiae ad parentum laudem cumulandam non parva solet fieri accessio. Ut merito non dubitemus, dum gravissimas tuas in Ioannis Apocalypsin lucubrationes in nomine nostro apparere voluisti, consilium tibi fuisse non solum huius ovilis ad pietatem incitandi et informandi sed eius etiam pastoris hinc magis atque magis exornandi. Quare utroque nomine nos tibi omnia debemus, quum in diligendo nostro doctore idem qui semper fuisti pergas esse, et eum amorem eius discipulis, etiam dicatis doctis tuis vigiliis posteritati, quamdiu hic sol videbitur, testatum esse volueris. Quis te de tam raro munere non amet? qui dignas agere gratias possit? quis tam suaves mores tamque doctam et sanctam senectutem non amplectatur, colat, observet? Facis ut vivi hodie testimonii tui autoritate, iudicio, benevolentiae et ingenii suavitate foetuque tam docto perfruamur. Si ingenui liberalesque homines aes alienum dissolvunt, dum profitentur ei cui multa debent se plura velle debere, facilis nobis quoque ea sed sola dissolvendi erit ratio. Nam ex eo libro tuo, in quo nos appellare dignatus es, maximum eum honorem tibi ferimus acceptum: sed ex assidua quam meditamur eius lectione non dignitatis solum sed doctae pietatis fructus uberrimos tibi a nobis debitum iri speramus et interim praedicamus. Neque futurum est unquam ut huius beneficii memoriam in nobis obruat oblivio. Iam vero quum *Calvini* simus unius, qualescunque sumus, toti, ac amicorum omnia sunt communia, ab illo per eius humanitatem facile impetravimus, ut nos usu sibi asserens tibi cedat possessionem iure, quo nunquam non tuos habebis.

Deus communis in Christo Iesu fidelium pater te, vir plurimum nobis observande, suo honori cumulando ecclesiaeque promovendae usque servet incolumem. Genevae nonis octobris.

Agnoscis
tuis iussis obsequentem hanc
ex peregrinis ecclesiam.

Ministri Genevensis ecclesiae omnium exsulum Gallorum nomine.
Seniores et diaconi ecclesiae Italicae totius ecclesiae nomine.
Ministri seniores et diaconi totius ecclesiae Anglicanae nomine

subscribunt.

2735.

MELANCHTHON CALVINO.

Colloquii Wormatiensis tristia fata. Helvetiorum etiam legatio vix aliquid impetratura.

(Ex autographo mutilo Bibl. nationalis Parisiensis. Coll. Dupuy Cod. 268, fol. 8. — Corp. Ref. IX. 328.)

Reverendo viro eruditione et virtute praestanti D. Iohanni Calvino fratri suo carissimo.

[*S.*] D. Reverende vir et carissime frater. Collegae nostri, postquam adversariis exhibuerunt condemnationem vestrarum ecclesiarum, hinc discesserunt.[1] Nunc domi triumphos agent tanquam de Cadmea victoria. Nos adhuc in arce manemus ac oramus filium Dei ut sit *βραβευτὴς* noster. Viris excellentibus eruditione et virtute quos ad nos misistis[2] non defuerunt nostra officia, quae quidem praestare potuimus. Sed quid impetraturi sint nostri, etiamsi fiant *ἱκέται*, dubito. Nam ecclesia, quum fit supplex, hypocritis plerumque est velut navis *ἱκετεύουσα πέτραν*, ut in veteri versu dicitur.

Exspecto in hac senecta, post mediocres labores, similes casus quos vestri iam experiuntur. Ideo misericordia vestrorum magis adficior, et filium Dei oro ut et vestris et mihi in omnibus opem ferat. Bene [*vale*]. Die octava Octobris in urbe [*Vangionum*][3]

Philippus.

2736.

LEGATI GALLORUM THEOLOGIS WORMATIAE CONGREGATIS.

Venerant Wormatiam a theologis ibi congregatis petituri ut principes suos hortarentur ut prō Parisiensibus graviter vexatis apud Regem intercederent. Quibus iniunctum est ut ante omnia fidei suae confessionem exhibeant.

(Ex autographo Marbachii in Bibl. Seminar. Argent. A. VII. 5 nunc deleto. Edidit Baum. I. 409. Contulimus etiam exemplar Turic. Arch. Plut. VI. Vol. 106, olim Scrin. B. Epp. T. II. fol. 698 ex quo descripsit Simler. Vol. 91. Alia apographa et plures editiones recenset Bretschneider in Corp. Ref. IX. 332. Quibus adde Ruchat VI. 214, Sattler, Gesch. v. Würtemb. IV. Beil. 42. De re ipsa cf. Ep. Bezae N. 2762. In margine adscribimus variantes ex Corp. Ref.)

Reverendi viri, quod a nobis postulastis[1] confessionem doctrinarum[2] ecclesiarum Gallicarum, quarum membra sunt illi ipsi captivi propter quos hoc iter suscepimus, sapienter et recte facitis, et quum sciamus in tanta confusione generis humani tantam eam[3] esse varietatem opinionum et de nobis fortassis spargi diversos sermones, gaudemus a nobis peti confessionem et libenter ubique eam exhibebimus.[4]

Itaque primum omnium pie et constanter affirmamus, nos damnare omnes blasphemias pugnantes cum scriptis propheticis et apostolicis et symbolis, et nominatim exsecrari furores *Serveti*, Anabaptistarum, Libertinorum, Epicureorum et idola papistica. Pie autem et constanter affirmamus, nos et Gallicas ecclesias, quarum membra et nos sumus et captivi illi de quibus diximus, amplecti[5] scripta prophetica et apostolica et symbola apostolicum Nicaenum et Athanasianum, sicut noster Catechismus ostendit octo linguis editus. Et quum legerimus vestram confessionem quae Augustae exhibita est anno 30, prorsus eam in omnibus articulis[6] congruere cum nostris ecclesiis iudicamus, et eam amplectimur, excepto tamen uno articulo, videlicet de coena Domini, in quo adhuc controversiae haerent, de quibus colloquia cum vestris semper expetivimus, et speramus dirimi eas posse si eruditorum et piorum explicatio audiatur. Nunquam hoc nos sensimus aut docuimus, coenam Domini esse tantum signum professionis, sicut Anabaptistae sentiunt, aut sicut vociferatur *Schwenkfeldius*,[7] aut[8] esse signum tantum absentis Christi. Papistas damnamus qui conversionem panis et adorationem docent, et horribiliter cumulant idola adorantque panem in cir-

---

2735. 1) *Fuerunt illi D. Ioach. Moerlin superintendens Brunsvicensis, DD. Erh. Schnepfius et Vict. Strigelius professores Ienenses, Io. Stoesselius concionator aulicus Vinariensis, Erasmus Sarcerius superintendens Mansfeldensis et Basil. Monner consiliarius Vinariensis. Declarationem suam exhibuerunt Cal. Oct.* (*Planck* VI. 140. *Corp. Ref.* IX. 314. *Salig* III. 318.) *Fuit haec causa s. praetextus dirimendi colloquii.*

2) *Budaeo, Bezae, Carmelo, quibus se Farellus adiunxerat: videntur Octobre ineunte advenisse. Haec prima fuit Bezae c. Philippo conversatio.*

3) *Bretsch. praebet:* Wormatiae d. 8. mensis Octobris 1557.

2736. 1) postulastis.

2) doctrinae (*om. T.*).

3) confusionem tantam esse *T.*

4) exhibemus.

5) constanter amplectimur nos et G. ecclesiae . . . . . diximus (*T.*).

6) in omnibus articulis. *Haec verba Bretschn. suspecta habet et non in omnibus exx. legi videntur.*

7) Stenkfeldius (*T.*).

8) *cancellat Br.* — vel nuda tantum signa proponi *T.*

cumgestatione, in repositione, in elevatione [9]) et oblatione. Haec idola damnare nos fatemur et retinemus propositionem, nihil habere rationem sacramenti nisi in usu instituto. Constantissime [10]) affirmamus, filium Dei missum esse ut per eum colligatur ecclesia, et adesse eum suo ministerio, et in coena testificari quod faciat nos sibi membra. Et verba Pauli sequimur qui ait: Panis est *κοινωνία* corporis, i. e. illa [11]) res quam quum sumimus filius Dei vere adest et facit nos per fidem sibi membra, et testificatur se nobis dare et applicare remissionem peccatorum, spiritum sanctum et vitam aeternam. Retinemus et Hilarii dictum: Haec sumpta et hausta faciunt ut Christus sit in nobis et nos in eo.

Denique maxime optamus ut docti et pii de hac tota re colloquantur. In caeteris articulis omnibus iudicamus doctrinam nostrarum ecclesiarum prorsus cum vestra confessione congruere, et sentimus nos et vos unam veram ecclesiam filii Dei esse, et damnamus vobiscum idola papistica et idolorum defensores, et vobiscum invocamus verum Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, [12]) et consensum cum vestris ecclesiis pium et aeternum propter gloriam Dei et salutem plurimorum optamus. [13])

Haec subscripsimus Gallicarum ecclesiarum nomine ad illustrissimos et vere pios Germaniae principes legati Guilhelmus *Farellus* Neocomensis ecclesiae pastor, Ioannes *Budaeus* civis Genevensis, Caspar *Carmelus* Parisiensis ecclesiae minister, Theodorus *Beza* Lausannensis academiae D. [14]) et reverendis viris ac patribus D. Philippo *Melanthoni*, D. Ioanni *Brentio*, D. Michaeli *Dillero*, D. Ioanni *Marbachio*, D. Ioanni *Pistorio*, [15]) D. *Georgio Karg*, [16]) D. Iacobo *Andreae* exhibuimus nostris manibus consignata. Anno 1557 die Octobris 8. Wormatiae. [17])

Guilhelmus Farellus.
Ioannes Budaeus.
Caspar Carmelus.
Theodorus Beza. [18])

9) *Haec alio ordine.*
10) *T. et Br. praemittit:* Et.
11) est illa (*T.*).
12) *add.* in vera agnitione et fiducia mediatoris Iesu Christi, *sed obelisco notat Br. Habet tamen T.*
13) *Hic subsistit exemplar Turicense et Simlerianum.*
14) lector *Br.*
15) *qui tum erat superintendens Niddanus, a Landgravio Wormatiam missus.*
16) *superintendenti Onoldino Marchionis Georgii Friderici legato. Caeterum nomina apud Br. alio ordine veniunt.*
17) *Br. add.* in conventu religionis ergo habito.
18) *Subscriptiones in Corp. Ref. non adduntur. — De hac eadem legatione P. Eberus in ep. ad Bugenh. eodem die ex Wormatia scribit:* Advenerunt huc quatuor legati W. Farellus reverendus senex agens annum lxviii, Th. Beza eruditissimus vir, Io. Budaeus Budaei filius et C. Carmelus concionator in Gallica ecclesia Parrhisiis, ut consilio theologorum hic uterentur, num possit impetrari a Germanicis principibus ut legatione missa ad Regem intercedant pro his piis captivis, quos hi viri sancti affirmant nullo fanatico errore aut dogmate infectos esse, sed eorum doctrinam cum nostra confessione congruere, nisi quod in coena dom. reiiciant illam panis conversionem papisticam et adorationem. (*Corp. Ref.* IX. 331.) *Cf. etiam quae annotata leges ad N.* 2762, *not.* 9.

2737.

DIE ZU WORMS VERSAMMELTEN PROTESTANTISCHEN THEOLOGEN AN DIE PROT. FÜRSTEN.

Empfehlung des von den französischen Gesandten eingereichten Gesuchs um Intervention für die Pariser evangelische Gemeinde. [1])

(Copie von Marbachs Hand auf der ehem. Strassb. Bibl. siehe das vorhergehende Document. Daraus Baum. I. 308 Aus einer Casseler HS. Corp. Ref. IX. 334 f. Der Brief war für den Landgrafen, den Pfälzischen Churfürsten, den Hz. v. Würtemberg und den Pfalzgrafen v. Zweybrücken bestimmt, und wurde den vier Gesandten mitgegeben. Vgl. Neudecker, Neue Beitr. zur Gesch. der Ref. I. n. 61, p. 143. Sattler IV. 120. Barthold, Deutschl. u. d. Hugen. I. 233.)

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Ihesum Christum unsern Heyland und wahren Helffer, der ihm gewiszlich eine wahrhaftige Kirch durchs Evangelium sammlet, zuvor. Durchleuchtiger, Hochgeborner Fürst und Herr: E. F. G. haben ohne zweifel vernohmen wie in Parysz hundert xxx und v personen von wegen der christlichen religion gefangen sindt, darunder ettliche tugendliche Frawen und Jungkfrawen von Adel, derhalb diese beglaubte und wolgelarte Menner, Wilhelmus *Farellus*, Theodorus *Beza*, Ioannes *Budaeus*, Caspar *Carmelus*, zu uns gesandt dasz wir bey Ew. F. G. und ettlichen anderen christlichen Chur- und Fürstenn underthenigklich ansuchen wollten dasz Ew. F. G. neben anderen christlichen Fürsten ein Legation in Frankreich schicken oder ein schrifftliche Vorbitt thun wollten. Daruff wir ihn diese Antwort geben: erstlich dasz wir nitt gefallen dran haben dasz die Leuth, mann Frawen und Jungkfrawen in fremden heuszern und sonderlich gegen die nacht zusammen khomen, haben auch solches forthin widerhalten und angezeigt dasz die Leuth in ihren heuszern mit ihren Kindern lesen und den Catechismum lernen und betten wollen, die sacrament in solch Stedten nach Gelegenheit suchen, da oeffentliche ehrliche christliche Kirchen sindt oder sich deren enthalten.

Zum andern haben wir geantwortet, so ein Legation oder Vorbitt bedacht wird, dasz gleichwol

2737. 1) *Eberus l. l.* Nostri theologi scripserunt ad quatuor principes. Quid effecturae sint hae literae incertum est.

sie ein christliche Confession jetzund uns überantworten sollten die dem Künig zugleich auch bey der Vorbitt überantwortet würde. Denn soll man Vorbitt thun so müsz man dennoch wissen was ihr lehr sey. Denn Irrthümer als Anabaptistarum, Servetistarum, Libertinorum oder anderen wöllten den Fürsten in keinen weg gebüren.

Nach dieser unser Vermanung haben sie uns geantwort ein Confession zu stellen, welcher Copia wir hie eingelegt. Dyweil denn die Confession und lehr in allen articlen stimpt mit unsrer Confession, obgleich ein articel etwas dunkel gestellt ist, darin diese Leuth durch einen Synodum möchten gericht werden, haben wir in solcher groszen Vervolgung ihnen diesen Trost nicht nehmen wöllen E. F. G. untertheniglich anzusuchen, und bitten E. F. G. wölle gnädiglich als ein hochlöblicher christlicher Fürst gedenken ob an den jetz gemeldten König ein schickung zu verordnen und schreyben, und bitten E. F. G, wölle diese unsere underthenige schrifft gnädiglich vernemen, und so viel möglich den ehrlichen christlichen Leuthen in ihrer unschuld tröstlich seyn.

Der allmächtig Gott der Vatter unsers Heylandts Iesu Christi wölle E. F. G. an seel und leib sterken. Geben ausz Wormbs den 9. Octob.[2]) anno 1557.

Ew. F. G. unterthänige Diener
Philippus Melanthon.
Ioannes Brentius.
Ioannes Marbachius D.
Michael Dyllerus.
Ioannes Pistorius Niddanus.
Iacobus Andreae.
Georgius Karg.[3])

2738.

VIRETUS CALVINO.

Causa ipsi a suis adversariis intensa iam eo processit ut serio de abdicatione cogitet.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 73.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae plurimum observando.

Genevae.

2) *Bretsch. hat den* 8.
3) *Subscriptiones absunt ab exemplari Argent.*

S. Furit undique Satanas suis, ut nunc videtur, vinculis solutus. Scis unde quaerendum et expectandum sit auxilium. In mea causa[1]) huius aliquid sum expertus in accusatorum mala mente. Optas ut exitus illius meae spei respondeat. Ut ingenue fatear quod de ea sentio, etsi multis iuvor patrociniis, nihil tamen ab hominibus exspecto nisi quod ipsi solent facere. Quo fit ut cogitem potius de ablegatione a meo ministerio quam de eius continuatione et confirmatione: non quod de causae bonitate aut de iudicum aequitate diffidam, sed quia vereor ne iis mihi conditionibus hic vivendum sit in mea functione quas ferre non possim. Putas malum esse praesagium quod praetermissa sunt octo accusationis capita de quibus nulla est suscepta cognitio,[2]) ac me faciliorem fuisse aequo qui in hanc adductus sim sententiam. Si rem totam bene teneres aliter iudicares. Non suspicor senatum alia de causa voluisse illa capita suppressa quam quod indigna iudicarit quibus responderem. Ego vero tantum abest ut deflexerim, ut in omnibus meis responsis palam contestatus sim, me hoc unum cupere ac poscere ut omnibus respondeam, mihique fieri iniuriam nisi meae cognoscatur innocentiae defensio. Exspecto adhuc quid de hac accusationis parte statuendum sit. Si iudices eius cognitionem nolunt suscipere, non is sum qui cogere possim: neque video quid conferre possit, si importunius et molestius urgeam. Statui posthac facere quod coram legatis disertis verbis contestatus sum nuper, si contingat me aut meum ministerium conviciis calumniis et falsis impeti accusationibus: si vocor ad meam defendendam innocentiam paratus ero, sin minus, patiar lubens Christi et apostolorum exemplo hominum probra. Interea non desinam meum facere officium nisi prohibear. Non enim vidi hactenus magnum nos fructum percepisse persequendo summo iure nobis illatas iniurias. Si essent mihi lites suscipiendae quas hactenus suscepi, nullis certe cuiusquam rationibus in eam adducerer sententiam in tanta iudiciorum iniquitate. Arbitror enim nos vocatos ad studia meliora, et alias esse rationes praestantiores ad tuendam nostram innocentiam. Studeamus Deo et bonis placere puritate doctrinae et vitae sanctimonia: aures interea occludamus ad canum latratus. Qui nostra volent uti opera, si nos tales suspicantur quales dicimur ab impiis, requirant, si volunt nostrae innocentiae defensionem. Si de ea nihil dubitant, suscipiant ipsi eius patrocinium,

---

2738. 1) *De qua vide N.* 2697. 2711. 2713. *Etiam h. l. de ipsa causa nihil accuratius expositum legimus, neque scriptores recentiores Schmidt, Archinard, Cart,* (*Viret* 1864) *quidquam praebent Verum vix fallemur si haec omnia ad contentionem de disciplina ecclesiastica referimus.*
2) *N.* 2725.

quorum non minus quam nostra interest. Spero fore ut posthac nemo me videat amplius per fora et iudicium hominum perreptantem. Utinam melioribus studiis illud consumpsissem tempus quod huiusmodi altercationibus perdidi. Iudicabunt qui volent me fractiore esse pectore: ego sic me sentio affectum, nec puto mihi hoc esse aspernandum consilium, quod nec a divinis literis nec a meo munere alienum esse censeo. Tu interea orato Dominum, ut facis, pro me et meis omnibus. Existimas magna me iam anxietatis parte levatum, sed falleris. Nulla enim me tenuit in hac causa anxietas quae non adhuc teneat. Nam de causae bonitate nihil unquam dubitavi, nec de ea anxius fui, sed tantum de statu ecclesiae, cui qua via succurratur non video. Vereor enim ne, postquam hac causa liberatus ero, ad maiora vocer certamina. Dominus prudentiam et vires suppeditet. Salutem multam dicit uxor et nostri omnes. Vale optime ac diutissime. Lausannae 11. Octob.

Tuus Petrus Viretus.

2739.

CALVINUS VIRETO.

Suum iudicium profert de causa eius coram Bernensi senatu pendente, scilicet non prudenter factum quod res ad forenses iudices delata fuerit.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 164. — Epp. Bern. VI. 699. Simler. Vol. 90.)

Eximio Christi ministro Petro Vireto ecclesiae Lausannensis pastori fratri mihi carissimo.

S. Perinde meis literis respondes,[1]) ac si te litibus implicare mihi fuisset propositum. Equidem memini quid de *Vendelio* aliquando scripserim, neque tamen ut inciperes, tunc autor tibi fui: sed ubi honeste cursum reflectere meo iudicio integrum non erat, ad constantiam hortatus sum. Nunc vero quam diversam rationem sequutus sim, hinc colliges quod maxime timui, ne litigandi viam ingressus fores. Neque enim eiusmodi erat accusatio, quam forensi more diluere consentaneum esset. Libere potius obiurgandi erant adversarii et retinenda pastoris autoritas, ut tanquam e suggestu eos refelleres. Doctrinae et disciplinae defensio ingenue et cordate suscipienda fuit. Ego vero quum negasses ad praesentem causam spectare quod de excommunicatione et praedestinatione[2]) calumniati fuerant, putavi, quia videbas in utroque capite iniquissimos fore iudices, te consulto odium fugisse. Hoc mihi displicuisse scripsi. Nunc me opinione deceptum fuisse aegre fero: quid spectaverint iudices referendarii mihi subolfacere visus sum. Occasio captata fuit, vel saltem cupide arrepta, cuius exitum timeo. Et certe non dissimulas te videre quam intolerabilis conditio isthic te maneat, nisi remedium divinitus allatum fuerit. Quidquid acciderit, quia iam longo usu ad omnia ferenda assuefactus es, non te movebit e gradu. Nos hic interea precabimur ut negotium hoc Deus gubernet. Vale, optime et integerrime frater, cum uxore et familia. Dominus vobis semper adsit vosque tueatur incolumes ac spiritu suo regat. Fratribus multam salutem. Genevae 12. Octobris 1557.

Ioannes Calvinus tuus.

2739. 1) *quas intercidisse patet, una cum responsione. Viretus enim de priore sua lite cum Vandelio a.* 1556 *scripsisse videtur.*

2740.

CALVINUS BULLINGERO.

Bezam et Farellum denuo excusat quoad confessionem illam Goeppingensem et a fide recepta defecisse negat. Addit quaedam de adolescente sibi commendato.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 35. Recentiora exemplaria exstant Genevae Cod. 111b, fol. 8. Bernae Epp. VI. fol. 531 c. et 700, et Turici ap. Simlerum Vol. 90.)

Eximio Christi ministro et ecclesiae Tigurinae fido pastori D. Henricho Bullingero fratri et symmystae colendissimo.

S. Divinitus oblata fuit nuper occasio fratribus nostris *Farello* et *Bezae*, dum isthac iter faciunt, ut fide suae integritatis vobis facta offensionem quae ex vana suspicione concepta fuerat tollerent.[1]) Certo persuasus eram, quod mihi sancte testatus erat *Beza*, de confessione tacuisse ipsos,[2]) quia le-

2) *Hinc fere de natura et occasione accusationum istarum coniecturam feceris.*

2740. 1) *Quos nescit hoc ipso tempore Wormatiae novam confessionem edere coactos fuisse, quae etsi circumspectius elaborata nihilominus Bullingero displicuit aeque ut prior.*

2) *N.* 2663. 2676.

vioris momenti esse rem putabant, quam ut mentio ulla fieri deberet. Metu quidem aliquo me fuisse ab illis celatum nunquam fuisset credibile. Etsi autem nonnihil ob brevitatem vel ambiguum erat, vel obscurum, mihi tamen dubium non erat, decies potius morituros quam ut a nostro consensu vel tantillum deflecterent, imo quin profiterentur ingenue idem se nobiscum sentire. Itaque nimis stomachose *Gualtherus* [3]) noster in me simul et illos fuerat invectus. Quod de sponsione scripseram, [4]) cur te pungere debuerit non video. Negas esse in arbitrio privati cuiusqam de re communi quidquam promittere. Atqui putabam esse illud inter nos plane transactum: si ad colloquium vocati essemus, neque iustam recusandi causam neque honestum praetextum nobis esse. Quid porro *Philippo* scripserim ex verbis ipsis certius cognosces. Iam *Philippi* ipsius literae ostendent, [5]) nihil fuisse magis expetendum quam ut in partes nostras palam transiret. Iacobi *Andreae* ratio dissimilis: qui tamen et ipse, nisi *Brentium* metueret, satis esset docilis.

Adulescentem vestrum discipulum hortatus sum ut monueras. Pius frater qui ad vos cum eo proficiscitur, rogavit ut ad *Philippi* literas aliquid commendationis adderem. Quamquam a *Philippo* discedens statuerat recta ad vos concedere, huc usque tamen a *Crispino* nostro adductus fuit. Caeterum quando obstat linguae diversitas ne utilis sit apud nos eius opera, nunc se ad portum quem ab initio sibi destinaverat recipit. Quum hominis pietas aliaeque virtutes ad conciliandum favorem satis valeant, dignus tamen est quem excipiant nostrae ecclesiae, ob quarum coniunctionem a gentilibus suis et Saxonibus quoque expulsus est. Homini pio modesto et erudito facile, ut spero, conditio vel apud vos vel in ditione Bernatum obtinget. Vale, ornatissime vir et venerande frater, cum uxore et familia. Dominus vos semper tueatur incolumes, regat spiritu suo et benedicat, Collegis tuis plurimam salutem precor. Genevae 13. Octobris 1557.

Ioannes Calvinus tuus.

Literas *Philippi* remitte [6]) quam primum dabitur nuncii opportunitas.

3) *De hoc nihil in thesauro nostro.*
4) *Etiam hic lacunam deprehendimus in serie hac epistolarum.*
5) *Melanchthonis epistolae editae nihil tale produnt.*
6) *Eas ipsas de quibus supra. N.* 2735 *nondum ad manus esse poterat.*

2741.

CALVINUS BULLINGERO.

Loquitur de epistola quadam Melanchthonis. Se et Bezam minis hostium minime terreri affirmat.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 56. Inscriptionem addidit Ionvillaeus. — Simler. Vol. 90.)

Clarissimo viro D. Henricho Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori fratri et symmystae observando.

Humaniter scribit *Philippus*. Utinam libere et explicate. Sed magis dolendum est hostiliter inter nos agi. Bene est quod Dominus me contra minas et terrores obduravit. In *Beza* quoque non minus animi et constantiae fore certo persuasus sum. [1])

2742.

CALVINUS VERMILIO.

Itali Genevenses eius excusationem aegre ferunt, etsi agnoscunt eum vix aliter respondere potuisse. Interim adhuc sine pastore sunt.

(Autographon non exstat. Descripsimus ex satis recenti exemplari Bibl. nation. Paris. Coll. Dupuy Vol. 102, fol. 50.)

Praestantissimo viro D. Petro Martyri.

Excusatio tua, [1]) venerande frater, etsi nondum omnes tuos gentiles placavit, tamen, ut arbitror, satisfecit aequis et moderatis hominibus. Si qui adhuc obmurmurant (quod tamen occultum est), tibi non fuisse permissum discessum quia non optaveris, dabis veniam nimio amori. Me quoque non omnibus morem gessisse video, quia non praecise te et absque ulla exceptione vocaverim. Quasi vero mihi liberum fuerit verbo uno sacrum illud vinculum quo adstrictus eras abrumpere. Mihi sane commune erat cum illis desiderium: sed hoc inter nos discrimen fuit quod me tenuit religio, ne ecclesiae cui ministras ius violarem, liberius illi suo voto indulgebant. Iam tamen sedato fervore agnos-

2741. 1) *Si quid videmus, hoc epistolium scriptum fuit post receptas Melanchthonis literas N.* 2735. *Fortasse conieceris simpliciter post-scriptum fuisse ad N.* 2740. *Quod de Beza habet alludere videtur ad Bullingeri literas N.* 2730.
2742. 1) *propter non acceptam vocationem Genevensem.*

cunt, tibi fas non fuisse deserere legitimam vocationem, ac si liber tuique iuris fuisses.

De mea responsione [2]) tuum iudicium flagitaveram, quod hanc causam ex omnium nostrorum voto tractare quam difficile sit expertus sum. Dum feruntur meae literae quid sentires intellexi, nec opus fuit verbum addere. Ego tamen duplici testimonio bis mihi gratulor.

Fratri nostro *Martinengo* nondum successor electus est. Tanta est in paucis quibusdam morositas vel fastidium. Vale, eximie vir mihique plurimum observande. Salutant te reverenter collegae mei. Dominus te regere pergat ac tueri. Genevae 13. Octobris 1557.

Ioannes Calvinus tuus.

2743.

LIBERTETUS CALVINO.

Refert quid cum legatis egerit qui Lutetiam evangelicorum causam acturi propediem proficiscentur.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 81.)

Insigni Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo patri et amico plurimum observando.

Genevae.

S. et omnem gratiae abundantiam ab optimo patre nostro per Dominum Iesum Christum.

Ultimo Septembris [1]) die fasciculum literarum a fratribus nostris qui sunt in Germania accepi, in quo literae ad D. Praefectum [2]) erant, aliae ad D. *Mirabilem*, et aliae ad me quas D. *Crispino* ostendi, ut qua ratione Bernam concessissem [3]) tibi referret. Hoc tandem a senatu responsum accepi, se paratum esse suum mittere legatum, quum tres alii mittentur. [4]) Deinde literas ad senatum Diviensem exoravi, quas per nuncium publicum mox miserunt. At reversus a Simone nostro *Itereto* illinc redeunte audivi duos rogo traditos vivos et tertium mortuum, idque iam in mense Septembri factum. [5]) Unde miror fratres, qui maturius de captivis illis id quod res erat certo resciverant, in novissima hac profectione id apud DD. Bernenses non curarint.

Heri mane quatuor legati a quatuor pagis evangelicis huc appulerunt, quibuscum fere per totum diem contuli, quandoquidem perplexi ideo erant quod neminem hic invenissent qui eos dirigeret et viaticum (ut fratres polliciti sunt) suppeditaret. [6]) Habebant quidem legatus Tigurinensis, quem scribam urbis esse arbitror, et Schaffusianus instructionem latinam, quod gallicam ignorarent linguam, quam solus Bernensis novit quem Hans *Vis* [7]) nominant. Atque ideo huic gallice scriptam tradidi illam ipsam quam fratres ad D. *Mirabilem* miserant. Hanc quidem cum latina Schaffusianus et ipse contulimus, verum prolixior illis utraque visa est. Tempestive a prandio D. Praefectus et D. *Mirabilis* advenerunt, et cum illis de oratione habenda ad Regem aptissime contulerunt, et quo pacto prolixiora in compendium contrahenda essent indicarunt. Quod sane fuit illis gratissimum, eo maxime quod nos in unam coire sententiam conspicerent. De viatico autem respondi bonam spem esse fideles refusuros [8]) qui legationis huius sunt autores, aut ii quorum gratia suscepta est. Noctu cum D. Praefecto in arce coenarunt et hodie mane solverunt. Unum hoc urgebant ut nomina captivorum, aut saltem urbium aut provinciarum Galliae in quibus fideles carceribus conclusi sunt evangelii causa, ipsis scripto traderemus, et ad Nicodemos, [9]) ut dicebant, maxime Lutetianos eos dirigeremus, quibuscum seorsim de modo accedendi ad regem conferrent. Ego respondi legationem hanc non in rem designatorum aliquot captivorum exoratam, sed omnium, et ad sedandam in tota Gallia persequutionem, si Dominus cor re-

---

2) *contra Westphalum*

2743. 1) *vide not. ult.*

2) *Io. Iac. a Bonstetten.*

3) *De legatione in Galliam mittenda acturus.*

4) *Legati fuere Clado Mey et Io. Wyss Bernenses, Io. Escher Turicensis et Io. Wunderlich Neocomensis. Vides maiore ex parte Bernenses a pagis delectos utpote Lutetiae maiore autoritate gaudentes et qui iam antea eodem officio defuncti fuerant.* (*Cf. N.* 2730 *et Baum p.* 272.)

5) *Nomina praebent Hist. eccl.* I. 136 *et Hist. d. Mart.* 442. 473 *v. Combusti sunt Divione* Archambaut Seraphon mercier de la Molsiere en Bazadois et un nommé Iaques compagnon de Philippe Cene de S. Pierre sur Dine en Normandie. *Hic Lutetiam devectus ibi supplicio affectus est. In carcere mortuus est Du Rousseau N.* 2714.

6) *Cf. epp. Bezae m. Nov. scriptas et Baum p.* 312. *Calvinus aegre ferebat quod Carmelus Bernam reliquerit antequam legatis statum rerum exposuisset et eorum discessum pecunia suppeditata accelerasset. Ipse instructionem scripto exaravit.*

7) *Wyss* (*v. supra*). *Iam m. Maio Parisiis fuerat.*

8) *sic. Caeterum cf. N.* 2726.

9) *i. e. qui fidem suam nondum publice profitebantur.* Au lieu qu'auparavant il n'y avoit quasi que les petis qui osassent embrasser I. C. et sa croix Dieu en suscita trois des plus grans du royaume pour s'en mesler, à savoir Antoine de Bourbon roi de Navarre (*at hercle minus quam Nicodemitam!*), Louis prince de Condé son frere, et François de Coligny Sr. d'Andelot frere de l'amiral. (*Hist. eccl.* I. 140.)

gis eo misericordia sua impellere dignabitur. Deinde non defuturos insignes Nicodemos qui sese opportune apud eos exserant, imo qui adventum et legationem ipsis hanc congratulentur. D. Praefectus ad piam matrem ac principem nostram [10]) per eos hac de causa scripsit, quam nunc esse Lutetiae existimamus. Si quid huiusmodi quod illos rescire expediat nostis aut aliquid consilii habetis, commonefieri satis mature poterunt, quum lente festinent, et fortassis aliquot dies insument in conveniendo primum reginam et principem nostram: quarum consilio et opera regem seorsim alloqui queant. Iusserunt quoque, si fratres nostri e Germania brevi redierint, per celerem nuncium sibi significari principum deliberationem et quidquid eos rescire expediet. Heri quoque appulit nuncius DD. Bernensium cum literis [11]) quas D. Hans *Vis* reseravit et collegis ac mihi communicavit. Harum substantia est: Acceptis literis vestris 5. mensis huius scriptis omnes urbis huius carceres invisimus et nullos reperimus religionis gratia detentos. Quod si in vestri gratiam aliquid possumus lubentissime id praestabimus etc. In eo quod primo die literas a nuncio recipere detrectarunt, fraudis alicuius legatis et nobis obtruditur suspicio. Quamobrem ipsum Simonem *Iteretum* audire voluerunt. Praefectus Bodriacensis, qui adhuc est Lutetiae, huc scripsit, fideles captivos illic per decadas comburi. [12]) Dominus Satanam increpet et Antichristum conficiat, quo plene Deo omnes adhaereant.

Hodie convenit me Petrus ille *Daguetus* [13]) qui tibi olim servus inutilis et impudicus fuit, cui Onesimi resipiscentiam proposui etc. Quod si cor sermoni externoque pudori conveniat non videtur omnino deploratus. Is, inquam, qui tibi fuit crudelis, te sibi misericordem esse obsecrat, ut indumenta et sarcinas suas sibi reddi pro tua caritate cures: alioqui nudus et ad summam redactus inopiam textoriam artem quam professus est persequi non poterit. Dixit se *Viretum* nostrum habuisse patronum apud te. Nil possum testari de homine. Tu pro tua agito prudentia: quid in hac re et aliis agendum sit unctio docebit te. Vale, mi pater in Domino colendissime. Dominus te ecclesiae suae servet diutissime et laboribus tuis benedicat. Saluta, si placet, fratrem et fratres symmystas, D. *Varennium* cognatum meum, cum nepte, familia, D. *Normandio*, D. *Fabro* meo, uxore, fratre huius et amicis omnibus. Neocomi 17. Sept. [14]) 1557.

Tuus totus Christoph. Faber.

Excusa me apud cognatum quod ad eum nunc scribendi non detur mihi spatium. Praefectus, *Mirabilis, Fatonus, Maturinus et Anna* tua te plurimum salutant. Parum abfuit quin haec *Mosem* sequuta sit. Sit nomen Domini benedictum.

2744.

CALVINUS UTENHOVIO.

Respondet ad epistolam quandam qua de rebus Polonicis plura ille tradiderat, maxime suam opinionem de Rege, de Lasco aliisque exponit.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 19. Edidit Bretschneider p. 46.)

Nobili et praestantissimo viro Ioanni Utenhovio fratri et amico vere colendo. [1])

S. Quod tam prolixe et diligenter me de statu ecclesiae Polonicae facere certiorem gravatus non es, [2]) eximie vir et colende frater, pro hoc tuo officio et sedulitate quas possum ago gratias. Et hoc quoque boni accessit ad illa spei principia quod regio diplomate permissa *Lismanino* fuit libertas manendi [3]) et exsilium suspensum. Hinc colligo, regi crevisse fiduciam ut animosius audeat hostium insolentiam compescere. Dolenda certe atque etiam pudenda erat illa mollities, quod suam autoritatem ita addixerat improbis, ut quem privatim amabat in illorum gratiam publice e sua ditione expelleret. Nunc specimen minime ambiguum dedit ex quo palam appareat, non quidem mitigatum fuisse eius animum ut homini indigne [4]) oppresso parceret, sed

---

10) *Marquise de Rothelin.*
11) *ex Divione potius quam Lutetia missis.*
12) *Tres combusti fuerant a. d. V. Cal. Oct.* (*N.* 2733) *duo alii a. d. VI. Nonas, iterum duo iuvenes studiosi a. d. X. Cal. Nov.* (*Hist. eccl.* I. 129 *ss. Martyrs fol.* 473 *v.*)
13) *Uxoris Ant. Calvini moechus.*
14) *Sic quidem Codex sed lapsu calami autoris, ut ex pluribus epistolae ipsius locis facile colliges. Citra dubium reponendus October.*

2744. 1) *Bretschneiderus perhibet inscriptionem negligenter scriptam esse scil. ut amanuensi describenda traderetur epistola. Talis negligentiae vestigia nos quidem non deprehendimus.*
2) *N.* 2599. *Vide tamen not.* 10.
3) *Vide N.* 2431. 2458. 2703.
4) maligne *Br.*

non amplius constrictum et mancipatum teneri. Antequam vero tam libere sensum animi professus esset, D. *a Lasco* humaniter ab eo fuisse exceptum gaudeo.[5] Utinam ad privata colloquia atque familiares sermones saepius admitteretur. Sed quod sanis consiliis sanctisque monitionibus difficilis ad eum accessus patet, hoc vitium, ut spero, tandem corriget tempus. Si confecto bello[6] serio ad reformandas suas ecclesias incubuerit, locum procul dubio quem pro sua pietate doctrina experientia dexteritate meretur D. *a Lasco* apud ipsum et cunctos proceres obtinebit. Mea quidem commendatio hoc tempore non inutilis modo sed ridicula quoque esset. Sed an postremae literae, quas ferebat *Lismaninus*, ad eum[7] pervenerint, adhuc mihi est incertum. Itaque donec mihi compertum fuerit non repudiari ab ipso meam operam, a scribendo supersedeo. Apud illustr. principem Palatinum *Vilnensem* libenter fungar his partibus. In literis etiam communibus quas scribere decrevi[8] idem studeo praestare. Denique per me non stabit quominus autoritate qua dignus est apud suos polleat. Cuius rei iam hyeme praeterita documentum non obscurum dedisse videor. Quum ille quem oblique designas multa apud me verba faceret[9] de intestino dissidio, respondi, ita mihi perspectam esse pietatem D. *a Lasco* ut certo persuasus essem, fideliter et strenue ipsum laborare in amplificando Christi regno. Ubi laudavi et doctrinam et studium: confessus sum, fieri quidem posse ut austeritate nimia nonnihil peccasset: quia tamen procul abessem, non ferre iudicium de rebus incognitis.

Quod ad nuncupandum Duci opus aliquod spectat, iam exierat commentarius in Psalmos,[10] antequam venirent tuae literae, nec brevi continget similis facultas. Etsi enim Isaiam nunc retexo, manebit tamen labor meus dicatus optimi regis memoriae.[11] Vale, eximie vir et frater mihi plurimum honorande. Salutant te collegae mei et prae aliis *Remondus*. Nam optimum virum *a S. Andrea*[12] Dominus ad se recepit. Frater quoque meus et amici complures tibi fausta omnia precantur. Dominus tibi semper adsit, te spiritu suo gubernet omniqne benedictione prosequatur. Genevae.

5) *Cf. N.* 2652.
6) *Livonico.*
7) *Ad quem? Si quid videmus, non ad Lascum cui etiam post abitum Lismanini Calvinus scripsit* (*N.* 2465) *sed ad Regem* (*N.* 2362), *quae etiam Bretschneideri sententia est. Imo dubius haerere vix poterit aliquis.*
8) *Vide sequentem: unde etiam huius natales definiri queunt.*
9) fecerit *Br.* — *Agere videtur de Vergerio.*
10) *m. Iulio. Mireris sane epistolam m. Februario scriptam post quinque demum menses Genevam pervenisse, et fortasse potius de aliqua epistola deperdita cogitare velis. Quid quod de nuncupando Duci libro in illa Utenhovii nihil legitur. Etiam caetera in hanc minus bene quadrare videntur.*
11) *Prodiit ed. II. a.* 1559 *eaque dicata fuit ut prior Eduardo VI., sed nova addita est dedicatio Elisabetae inscripta.*
12) *Br. scribit:* v. s. Anderam. *Haagius* IX. 76 *fatetur se ignorare quando obierit. In Commentariis Senatus legitur ad Cal. Iul. Calvinum rogasse ut aliquis in locum defuncti sufficeretur.*

2745.

CALVINUS POLONIS.

Praemissis nonnullis de rebus eorum ecclesiasticis, de Lismanino et Lasco, suo et collegarum nomine quo pacto Augustana et Waldensium confessio citra damnum puritatis doctrinae conciliari possint et debeant declarat.

(Describimus exemplar per Amanuensem Bullingeri exaratum in Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 106, olim Epp. II. 689 cum hac inscriptione: *De confessione Waldensium et Augustana Genevenses.* Exstat quoque in Archivis fratrum in Herrenhut MSS. Tom. X. p. 78, et ap. Simlerum Vol. 90. Idem aliud praebet Hala per H. R. Pauli ad Io. Conr. Füsslinum missum cum hac inscriptione: *Exemplar epistolae ad nobiles et generosos Dominos qui puram evangelii doctrinam sequuntur in Polonia et ecclesiarum ministros.* Beza dempto capite et calce edidit Genev. p. 186, Laus. p. 401, Hanov. p. 449, Chouet p. 252, Amst. p. 115.)

S. Quas mihi vestro nomine et mandato, generosi et nobiles Domini fratresque observandi, mense Iunio scripserat fidelis apud vos minister Christi et symmysta mihi colendus Felix *Cruciger*,[1] nunc demum *Stanislaus*[2] mihi reddidit. Etsi autem maxime optassem citius perlatas esse, mutatio tamen quae postea contigit optima fuit morae compensatio. Nam quia vobis redditus est optimus frater noster *Lismaninus*,[3] quamvis me anxium teneret

2745. 1) *non exstat epistola.*
2) *N.* 2730. 2731.
3) *N.* 2703. *Decretum quo in exsilium actus est Rex quidem non abolere ausus est propter episcopos Lismanino infestissimos* (*Lubien.* 74. 93 *sq.*), *permisit tamen ut in Polonia apud amicos lateret.* — *In Actis Senatus Genev. ad* 14. *Oct. scribitur:* Lettres des Chrestiens de leglise de Pologne. Ilz advertissent comme Lismaninus est proscript dont ilz sont marrys, se recommandans aux freres de ceste eglise. Arresté qu'on les communique a M. Calvin. *Haec aliter sonant ac nostra epistola. Etiam quae Gindely habet p.* 403 *de epistolis Lasci et Lismanini contra Waldensium confessionem scriptis, deque responsis variis Helvetiorum quibus nonnulli huius confessionis articuli impugnati dicuntur cum hac nostra epistola non bene conveniunt.*

rerum vestrarum ignoratio, facile tamen patior suspensum interea fuisse meum desiderium. Nisi enim levata fuisset exsilii poena de unius hominis discessu quasi publicum triumphum egissent verae pietatis hostes, et illis contra reliquos crevisset protervia. Nunc in mitigatione, quamvis nondum de causa rex pronunciaverit, non tamen leve praeiudicium tulit ad retundendam ipsorum insolentiam. Huc accedit quod utilem multis in rebus fratris nostri praesentiam vobis fore confido. Etsi enim alii pii quoque doctores vobis suppetunt et Christo in vobis aedificandis fidelem impendunt operam, adest etiam doctissimus vir D. Ioannes *a Lasco*, cuius et eruditio et integritas et aliae virtutes non vobis modo sed exteris quoque gentibus notae sunt. Quia tamen ad tantam molem obeundam vix mille sufficerent, non parum meo iudicio vobis conducet optimum *Lismaninum* recuperasse, qui et sincero studio incumbet ad ampliandum Christi regnum, et pro sua virili puritatem doctrinae salvam tueri studebit. Quantopere vero inter initia a corruptelis cavendum sit, aliqua ex parte haud dubie iam estis experti.

Porro quum [4]) de statu vestro verba facerem apud collegas meos et inter alia referrem, iam de sacra Christi coena exortum esse aliquid dissidii inter vos, [5]) rogarunt me ut de communi omnium sententia hoc vobis scriberem. Quam noxia pestis sit dissensio pluribus verbis disserere supervacuum foret: nam et optime novistis non modo in fidei unitate, sed etiam fraterno consensu sitam esse ecclesiae salutem: et dum ad vos oppugnandos vires studiaque sua coniungit hostium factio, quam sollicite sancta conspiratio vobis fovenda sit, experientia ipsa docet. Et hoc artificio haud dubie molitur Satan evangelii cursum vel abrumpere vel remorari. Neque vero nos latet magis pretiosam esse sinceram fidei doctrinam quam ut redimendae pacis gratia minimum ab illa deflectere nobis fas sit. Sed quantum probabili coniectura assequimur, non tam in controversiam vocatur ipsa doctrina, quam moderatio quaeritur quae minimum pariat offendiculi. Pars, ut audimus, Augustanam confessionem amplectitur. Alii Valdensium doctrinam mordicus retinent. Sunt qui desiderent puram et dilucidam mysterii explicationem. Et de Augustana quidem confessione non videtur iusta esse ratio, cur inter se litigent servi Christi, modo de genuino sensu conveniat. Valdenses etiam cupimus vobis semper coniunctissimos manere. Sed non videmus cur magis arrideat cuiquam Augustana confessio quam eius autori. Atqui profiteri non dubitat clarissimus ille vir, tradendam esse posteris plenam et liquidam huius doctrinae lucem. Et sane quominus omnes ad tollendam ambiguitatem consentiant, nihil aliud obstabit quam crucis metus. Quia de hoc capite doctrinae infeliciter nostro saeculo pugnatum fuit, nonnulli dum pro ingenii sui mansuetudine turbas fugitant, leviter et obscure attingi vellent, quod perspicue in ecclesia docendum est. Sed longe falluntur, dum hoc remedio componi sedarique posse certamina existimant. Neque tamen haec erit ab Augustana confessione discessio, si clarior fidei vestrae expositio accedat, sicuti vos divortium cum Valdensibus facere minime vellemus, quibuscum fraterna coniunctio ad extremum usque colenda sit. Tantum cupimus ultro citroque alios aliis accedere, ut communibus studiis quaeratur sacrum unitatis vinculum. Nec certe putamus adeo morosos esse bonos illos fratres, quin libenter recipiant quae aliunde allata fuerit explicationem: si modo in usum ecclesiae commoda aptaque esse videbitur. Legimus locum illum ubi suam de sacra Christi coena sententiam exponunt. Breviter et fere concise asserunt, panem et vinum esse verum Christi corpus et sanguinem. Statim ad dēfensionem [6]) transsiliunt, quae nostro iudicio doctrinam obscurat vel involvit magis quam illustret. Queruntur iniustis se calumniis gravari, imo traduci ludibriis et subsannationibus: sed primos sibi adversarios statuere videntur, quicunque certius definiri postulant quomodo panis sit corpus. Atque [7]) utinam sedatis animis expendant quanto acrius excanduerit scriptor confessionis et quanto asperius invectus sit contra multos non solum pios homines sed etiam de ecclesia optime meritos: mirum certe nisi illis displiceat vehementia fervoris. Neque tamen certo colligere licet in quos stylum dirigere voluerit. Sed dum sibi liberius quasi laxis habenis ruere in omnes promiscue permittit, a quibus expetitur verborum Christi interpretatio, modum certe excessit. Sed nolo exacerbare quae plus satis offensionis iam per se ingerunt. Tantum dico, quum non satis diserte vel enucleate de hoc mysterio loquuti sint Valdenses, fastidium a christiana modestia procul remotum fore, si ab ipsis omnis interpretatio respuitur. Formulam vero confessionis amplecti, quae sine discrimine in unum fasciculum damnationis omnes involvit, qui praecise non fatēntur panem esse praesentissime Christi corpus (hic recitamus eorum verba) an fas sit christiano homini, videritis: nos certe non putamus. Etsi vero nostrum non est quidquam vobis praescribere,

4) *Hinc incipit textus impressus.*

5) *Non de coena sola, verum de Augustana quam quidam etiam fratribus Bohemicis obtrudere volebant. Qui in suis synodis Moraviensibus eam recusarunt.* (*Gindely p.* 405.)

6) confessionem transeunt *edd.*

7) *Sequentia a Beza omissa, usque ad verba:* per se ingerunt.

quae tamen vestra est moderatio et humanitas, si vobis ingenue ostendimus quid conseamus factu optimum, aequi bonique, ut speramus, consuletis hanc nostram fiduciam. Quando pro vestra prudentia exitiale fore malum perspicitis, si in contentionem erumpat dissensio, non estis prolixius monendi, ut sibi quisque temperet. Verum simul adhibenda est diversa cautio, ne, si gratificandi causa ambiguum nescio quid et perplexum receperitis, hinc inde ex caecis vel obscuris simultatibus deinde emergat deterius certamen. Quid autem obstat quominus in consensionem piam sanctam ac dilucidam coalescatis simul omnes? Neque enim hoc modo violabitur confessio Augustana: et Valdenses, si recte sentiunt, commode nulla sua iactura diluent offensionem, quae ex brevibus et obscuris eorum verbis alioqui concipi posset: quae opportunitas merito illis est optanda.

Primo itaque ubi clare fuerit exposita mysterii vis et efficacia, luculenta etiam definitio tradita fuerit de vera carnis et sanguinis participatione, qua constet Christum non ludere inanibus figuris, nec quidquam fallaciter promittere, sed praestare re ipsa quod per externa symbola testatur, saltem addenda esset exceptio: quod caro Christi nobis datur in cibum et sanguis in potum, arcana et incomprehensibili spiritus sancti virtute hoc fieri, nec ideo fingendam esse immensitatem, quae palam naturae humanae repugnat. Nos certe libenter recipimus, panem et vinum non modo esse symbola vel arrhas, sed certa testimonia quibus coniuncta est earum[8]) rerum exhibitio: ita fatemur panem esse corpus Christi, et vinum sanguinem, quia haec symbola nobis porrigendo Christus vere animas nostras carne sua sanguineque pascit. Libenter etiam ferimus, dum spiritualis vocatur haec communicatio, interpretationem adiungi: hac voce non debere intelligi imaginarium nescio quid, ac si cogitatione tantum essemus Christi participes: sed potius intelligi coelestem virtutem, quae crassa terrenae praesentiae figmenta excludat, nihil autem minuat de ipsa veritate. Sed ubi clare expositum fuerit, per symbola panis et vini proponi nobis et re vera offerri Christi carnem et sanguinem in spirituale alimentum, absurdis deliriis, quibus fascinata est maior pars mundi, obviam ire expedit atque adeo necesse est. Itaque ne fingatur immensum esse Christi corpus, et esse ubique, quasi naturam exuisset, explicandus est communicationis modus. Quod scilicet Christus secundum corpus suum in coelo manens, admirabili spiritus sui virtute ad nos descendit, et simul nos ad se sursum attollit. Nam hoc nodo expedito, simul carnalis et superstitiosa adoratio solvetur. Porro nisi unum ex praecipuis fidei nostrae articulis sponte nobis perire volumus, retinenda est humanae naturae in Christo veritas. Nisi enim illud fixum maneat, resurrexisse Christum ut nos sibi conformet, ubi erit spes resurrectionis? Et quod praeposteri quidam homines terrena signa cum substantia vel re spirituali confundunt, non omittenda esset distinctio, sine qua ex singulis sacramentis totidem idola sibi fabricat mundus. Quamvis ergo panis non figurativum modo (ut loquuntur) sed exhibitivum quoque signum sit, sciendum tamen metonymice vocari corpus secundum communem analogiam, quae in scripturis sacris passim occurrit inter signa et res signatas. Atque haec moderatio indigne hac calumnia gravatur, ac si fidei iugum excutiat ex hominum cordibus, vel extraneum aliquod glossema assuat Christi verbis: quoniam non alio documento probari certius potest fidei obsequium: quando in toto coelestis doctrinae tenore harmonia quaeritur, quae omnem repugnantiae speciem discutiat. Nec minus futilis est obiectio, dum falsis commentis occurritur (quale illud est de immenso Christi corpore) rationem humanam praeferri Dei verbo: quia neque ingenii nostri captu metimur mysterium hoc incomprehensibile, neque quaestionem movemus de potentia Dei, neque vocamus in dubium Christi promissiones, nec repudiamus quod a sensu carnis nostrae abhorret: sed huius mysterii intelligentiam ex communi scripturae usu petimus. Quia etiam altera quaestio hodie agitatur, an promiscue increduli cum fidelibus percipiant Christi corpus et sanguinem, utilis esset expositio, offerri communiter omnibus: et quamvis oblata gratia non omnes fruantur, nihil tamen de sacramenti efficacia decedere et Christum nihilominus manere veracem: sed quamvis ex parte ipsius, panis sit omnibus corpus Christi, non omnes tamen tam praeclari doni capaces esse.

Nec vero excidit, quod paulo ante praefati sumus, nostrum non esse formulam vobis dictare, quae vos obstringat: sicut tamen visa est utilis haec admonitio, ita vobis gratam fore speravimus. Si qua alia in re nostram erga vos benevolentiam licebit testari, officia nostra vobis semper parata fore promittimus. Valete, clarissimi domini et generosissimi viri fratresque plurimum observandi. Dominus vos regere pergat prudentiae spiritu et invicta virtute sustinere, donisque suis vos in dies locupletet, quo regnum filii eius apud vos magis ac magis propagetur. Genevae, 9. Calendas Novemb. 1557.

Clarissimus[9]) senatus noster mandavit suo no-

8) *sic codex. Alterum exemplar praebet:* verarum, *mendose. Edd.* vera.

9) *Haec non leguntur in edd. a quibus etiam subscriptiones absunt.*

mine plurimam salutem vobis adscribi una cum fraternae benevolentiae testimonio. Quod vobis non respondit non factum est incuria, sed quia maior pars latinam linguam ignorat, alii vero non sunt ad scribendum exercitati.

Pastores et ministri ecclesiae Genevensis qui aderant, fratres vestri studiosissimi et vere vobis coniunctissimi,

Ioannes Calvinus.
Claudius Badvelus.
Franciscus Burgoinus.
Remondus Calvetus.
Michael Copus.
Ioannes Macarius.
Lodovicus Enocus.
Nicolaus Colladonius.
Claudius Fontanus.
Petrus ab Arabodosa. [10])

2746.

BULLINGERUS LISMANINO.

Confessionem Waldensium in articulo de Coena neutiquam approbari posse docet.

(Simlerus inseruit thesauri sui Vol. 90 a Füsslino acceptam. Alibi non invenimus.)

Reverendo viro eruditione et virtute praestanti D. Francisco Lismanino nunc agenti in Polonia, domino suo colendissimo et fratri carissimo.

— — — — — — — — — — — — — — — — — — Quid sentiamus de confessione Waldensium dudum quum apud nos esses tibi diximus. Nos illam per omnia commendare non possumus. Censuram ergo requiris. — — — — — — — — — — — — — — — — Quid vero hunc laborem nobis vis imponere ut de novo argumenta et rationes repetamus quas iam toties protulimus? Certe symmystarum nullus hoc laboris suscipere voluit. Unus D. *Petrus Martyr* inspexit locum de eucharistia et mox reddidit et dixit sibi non probari per omnia quae illic dicuntur de coena Domini. Ego certe, dum inspexi paulo diligentius, vidi autores illius confessionis id quod verum est vidisse nec tamen expedite et clare effari voluisse. Cur autem ita libuerit non video. Suspicor aliquid. Negare videntur corporalem praesentiam, interim negant per tropum explicari licere verba Domini: hoc est corpus meum. Contendunt simpliciter intelligendam loquutionem. Quod si obtinuerint vicerunt sane papistae qui dicunt panem esse corpus Christi. Dicunt Christum habere duplicem modum essendi, unum personalem et corporalem quo non sit in terris sed in coelo, alterum spiritualem, qui sola fide capiatur et ubique praesentissimus sit. Quem et operandi modum vocant. Quod si simpliciter et vere et ita ut dicitur intelligunt, non video cur debuerint tam anxie urgere literalem horum Domini verborum: hoc est corpus meum, sententiam. Si enim corporaliter non adest sed spiritualiter, spiritualiter itaque adest et percipitur a fideli anima ad vitam. Quo modo nemo dixerit nobis tradi inane signum. Loquantur ergo sic et quidem diserte. Ita sane nos sentimus et loquimur abhorrentes a medio nescio quo modo qui nec carnalis nec spiritualis, sed mixtum quid sit ex carne et spiritu. Augustana confessio approbata est a papistis, sicuti testatur Apologia confessionis. Quid autem probant papistae? an alienum a sua sententia? Non puto. Prudenter quidem dissimularunt a Lutheranis negari transsubstantiationem; satis enim ipsis fuit quod realem praesentiam confessi sunt. Noluerunt de vocabulo contendere, quum cernerent ipsis Lutheranis probe convenire cum papistis in re; utrique enim confitentur corpus Christi substantialiter adesse et manducari a fidelibus et infidelibus. Prudenter, inquam, noluerunt papistae contendere de praepositione *trans* quum viderent illos dare quod maius est: substantialiter. Displicet ergo nobis illa confessio, quia displicet papismus in hoc articulo. Quod quidam boni viri conantur commode interpretari illam confessionem, omni fructu, vereor, carebit. Nolunt enim Lutherani ullam admittere expositionem. Apologiam citant, cui si accedat recessus comitiorum imperialium habitorum 1530 apparebit manifestissime quis fuerit tunc et sit etiam nunc confessionis Augustanae intellectus, non alius quam papisticus: ipsum corpus Christi substantialiter adesse et ab omnibus percipientibus manducari. Tametsi ergo millies nobis proponantur huiusmodi confessiones et loquutiones, non recipiemus aut probabimus illas unquam, quia scimus sic intellectas pugnare cum fide, cum omni vetustate et cum sacris literis. Nisi itaque qui nunc Wormatiae colloquuntur *Melanchthon*, *Brentius* et caeteri explicatius et plenius sese exposuerint, et aliud in hac causa se sentire quam papistae sentiunt declaraverint, nunquam pii illam confessionem recipere poterunt. — — — — — — — — — Tiguri d. 25. Octob. 1557.

Bullingerus tuus.

---

10) *In codice quatuor ultima nomina deformata.*

2747.

VIRETUS LISMANINO.

Eiusdem argumenti ac praecedens.

(De hac idem valet quod de praecedenti.)

Clarissimo viro D. Francisco Lismanino praestantissimo Christi servo ac plurimum venerando.

— — — — — — — — — — — — — — — — —

Superest ut de Waldensium apologia aliquid respondeam in qua tuae epistolae parte brevior ero, quia perlecto exemplari responsionis Genevatium ministrorum, quae ad nos missa est, non video quid ego amplius adiicere possem. Quod illud attinet caput de quo potissimum controvertitur, si caeteri fratres mei omnes in urbe fuissent, et si nobis omnibus paulo plus otii et temporis datum fuisset, fortassis communibus literis prolixius respondissemus. Quod quia nunc non factum est, fiet alias commodius. — — — — Ego non in quaestione tantum de eucharistia sed in aliis etiam quibusdam maiorem desidero lucem qua omnis tollatur ambiguitas, contentionum mater. Sunt enim pleraque obscuriora et involutiora quam ut planior et certior sensus mihi erui posse videatur. Quae etsi commode interpretari * possunt ad fidei sensum et analogiam, sunt tamen eiusmodi, ut ab adversariis etiam in contrariam trahi possint sententiam. Alia sunt quae desiderarem paulo puriora et longius a papismo semota. Quod ad illos adtinet, qui usque adeo addicti sunt, alii Augustanae, alii Waldensium confessioni, ut libenter suspicio * certas in ecclesia exstare confessionum formas ad retinendam doctorum unitatem et confessionem, ita illos satis probare non possum, qui pro illis dimicant velut pro aris et focis, perinde ac si funditus evertatur religio, si quis vel apicem mutaverit. Quid enim hoc aliud est, quam hominum scripta sacris aequare? Quanto gravius peccant qui nullam volunt commodam ferre aut admittere interpretationem, quique illis plus attribuunt formulis quam ipsi earum autores vellent. — — — — — — — Lausannae 26. Octob. 1557

Tuus Petrus Viretus.

2748.

BULLINGERUS CALVINO.

Commendat Zachariam Ursinum. Improbat denuo Bezae confessionem. Transscribit epistolam Melanchthonis de condemnatione Helvetiorum a Lutheranis Wormatiae postulata et iam omnem spem concordiae obtinendae abiiciendam perhibet.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 129, olim Epp. Tom. 30, fol. 352. — Simler Vol. 90.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori domino suo colendissimo et fratri carissimo.

Genff.

S. D. Hodie literas tuas accipio, colendissime mi *Calvine*, simul etiam hic *Zacharias* [1]) Vratislaviensis indicat, se cras mane abiturum. Cogor itaque brevibus ad tuas [2]) respondere. Audies aliquando non suspicionem vanam fuisse quam conceperamus ex deposita fratrum apud Principes confessione. [3]) Metuimus enim illa adversarios nostros aliquando liberius usuros quam velimus. Quid scripserit D. *Gualtherus* nescio, neque cum ipso ea de re contuli. Et quod antea scripsi id nunc repeto, nobis ministris non licere non consulto magistratu in ullum colloquium consentire. Oportebit eam rem prius cum eo conferre. Nam is quoque insciis nobis nihil prorsus agit in ecclesiae et religionis negotiis.

Pro literis *Philippi* communicatis maximas ago gratias, quas et nunc remitto. Communico vicissim quod accepi ab ipso hodie: [4]) „Reverende vir et carissime frater. Quum non perfecissent nostri collegae ut condemnationem vestrarum ecclesiarum comprobaremus, seiunxerunt se a nobis et eam privatim exhibuerunt *τῷ βραβευτῇ Iulio*, [5]) a quo petiverunt ut publice in consessu recitaretur. Fuit autem ea moderatio *τοῦ βραβευτοῦ* ut recitari eam in consessu noluerit. Postea hinc illi discesserunt. Nunc igitur an inchoata collatio processura sit, du-

2748. 1) *Ursinus natus* 1534, *filius diaconi Vratislaviensis, studiis Wittebergae operam navavit, Melanchthonem Wormaciam comitatus mox Heidelbergam, Argentoratum, Basileam, Lausannam, Genevam invisit.* (*Sudhoff., Olev. u. Urs. Elbf.* 1857.) *A.* 1558 *rector in urbe patria, a.* 1561 *Heidelbergae prof., c. Oleviano Catechismi autor obiit* 1583. *Cf. Melanchthonis Testimonium Ursino datum Cal. Oct.* 1557 *in Corp. Ref.* IX. 318.

2) *N.* 2740.

3) *Novum illam postridie Nonas traditam nondum habere potuit.*

4) *a. d. III. Non. Oct. scriptum.* (*Corp. Ref. IX. p.* 327.)

5) *Pflugio, ep. Numburgensi.*

bitamus. Quicunque autem eventus erit, spero sapientes viros nostram contationem * non improbaturos esse, quod noluimus statim re non disputata nec explicata confirmare Pontificum idola et parricidia. Sed precor filium Dei ut nos gubernet. Bene et feliciter vale. Die 5. Octobris. Salutem opto vobis omnibus ac nominatim *Petro Martyri* et *Laelio.*" Has eius literas bona fide descriptas attulerunt studiosi nostri qui Martburgo * redeuntes Wormatiae *Philippum* salutarunt et has ab eo ad me perferendas acceperunt. Proinde non spero ullum inter nos porro instituendum colloquium, nisi *Philippus* Argentinam venerit. [6])

Conditiones apud nos plane nullae sunt vacantes. [7]) Si qua aliquando vacet decem sunt competitores. Interim propter tuam et *Philippi* commendationem dabitur viro optimo subsidium ad tempus, si hic haerere voluerit. Magna est copia apud nos pauperum studiosorum.

D. Iacobi *Andreae* librum [8]) quum hactenus legere non potueris, quod germanice scriptus sit, potissima eius hic mitto a me versa ex germanico in gratiam D. *Martyris*: oro autem ut per primum nuncium forte oblatum illa mihi remittas. Literas eas [9]) legere non potui, eas puto quas communicasti, quas libenter nunc quoque remitterem, nisi in turbis negotiorum quo posuerim prorsus ignorarem. Ubi rursus invenero, mittam ad te certo.

Zachariam autem hunc singulariter tibi commendo. Vratislaviensis est. Venit ad nos Basilea commendatus mihi per Hermannum *Pinzingerum*, qui asserit illum *Philippi* esse intimum. Venit te salutaturus et visurus Genevensem ecclesiam. Vive et vale. Nostri omnes te salutant. Saluta tu symmystas omnes. Saluta item D. *Ionvillaeum* et *Badium* et *Normandium* et reliquos fratres, *Budaeum* quoque si rediit. Gratulor mihi plurimum quod inscriptionem operis nostri Apoc. tam bene collocaverim. Pluris facio benevolentiam et tuam et fratrum Italicae, Gallicae, Anglicanaeque ecclesiae quam multa auri talenta etc. Tu me illis commendabis. Tiguri 26. Octobris 1557.

Tuus Bullingerus.

6) *Quod non factum est.*
7) *Haec pertinent ad eam commendationem quam ad calcem N.* 2740 *legisti.*
8) *N.* 2630.
9) *Melanchthonis puta.*

2749.

BULLINGERUS FABRICIO.

Colloquium Wormaciense a Calvino contra Westphalum scribente non turbatum est quia iam antea in fumum abibat.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 131, olim Scrin. B. Epp. Tom. 10, fol. 3. Exemplar aliud ab amanuensi descriptum exstat in Vol. 117b, olim Scrin. C. Epp. Tom. II. fol. 377. Simlerus habet Vol. 90. Edita est in Epp. Stumphii lib. IV. Ep. 73 p. 113.)

— — — — — — — — — — — — — — —

Rogas num scripto amarulento *Calvinus* colloquium turbaverit Wormaciense? Non turbavit *Calvinus*. Priusquam enim responsio eius ultima contra *Westphalum* prodierit in publicum, Saxones aliquot contra *Philippum* conspirarunt. Ea de re haec fere scribit ad me literis ultimo Septembris Martburgo ad me datis D. Andreas *Hyperius* [1]) — — — — — — — — — Tiguri 29. Oct. 1557.

Bullingerus tuus.

2750.

VILLIERIUS [1]) CALVINO.

De vexationibus quibus pii Parisienses subiecti sunt, dum tamen verbum Dei usque progreditur, querelas suas effundit, et nuper editam apologiam vix rei satisfecisse dolet.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 150.)

A mon bon seigneur et frere Monsr. D'Epville a Villedieu.

S. D. Etsi novi nihil accidit quod aut te scire magnopere intersit aut me ad scribendum invitet, huic tamen quae se mihi dedit occasioni deesse no-

2749. 1) *in quibus nihil ad Nostrum.*
2750. 1) *Claude Loiseleur dit de Villiers, olim iuris studiosus Aurelianensis et advocatus in parlamento Parisiensi, propter religionem Genevae exsul theologiae se applicavit. Hoc tempore Parisiis redux degebat, anno proximo ab Andeloto cum Carmelo in Britanniam gallicam deductus ecclesiam in Croisic fundavit. Tempore caedis Bartholomaicae Rotomagi fuit postea Londini et tandem* 1593 *in Belgio obiit.* (*Hist. eccl.* I. 153. *Haag* VII. 112.) *De studiis eius in N. T. v. Reussii Bibliothecam N. T. gr. p.* 94.

lui, eoque magis quod quamdiu in Belgis, ad quos profectionem paro, commorandum mihi sit ignoro: quo quum non mea vocent negotia, alieno tempore rationibusque inserviendum mihi video. Itaque, ne dum ad eas me accomodo redeam serius, intermissionis culpam (si modo futura est ulla) praecavere volui, interponendaeque morae usuram ante praestare tibi quam tibi literarum ullum officium requirere veniret in mentem. Verum satis amplum mihi ad scribendum argumentum iudicavi, tantas accessiones progressionesque serpentis atque omnia paene tenentis et complectentis evangelii: rem ut lectu iucundam tibi, ita quae me ipsa cogitatione mirifica voluptate permulceat. Quod enim abiectos nos in leonum specum [2]) tanto miraculo tantaque virtute servavit servatque incolumes Dominus, quod ab eorum faucibus eripuit, quod eorum dentes atterit, gratias (ut par est) agimus liberatori servatorique nostro optimo, ac spe magna in posterum confirmati ubique laudes eius praedicamus, tantum promoventes quantum miramur et obstupescimus. Certius tu haec quidem ab aliis fortasse: sed tamen iuvat haec eadem audire millies. Messis tempestiva maturitate caduca est: nobis orandus Dominus et perpetuis precibus exorandus quo messores operasque mittat in opus suum atque frumentum cogat in horreum suum.

Allata ad nos est Apologia [3]) in Advocatum, acerba quidem et vehemens, sed quae obscure nescio quem perstringat. Nam quum plerique in eadem causa sint, in quem potissimum torqueatur hoc telum, multo foret incertius nisi aeneum os percelleretur quale plerisque qui hanc causam egerunt idem est. Nam quae de Numa Pompilio pluribus verbis tractantur nec a quoquam dicta audivi nec quaerendo potui cognoscere. Ita vir doctus et pius elusus mendacio *iactat brachia protendens et verberat ictibus auras.* [4]) Nam si mihi permittis quae sentiam libere scribere, tota causa gravior est quam ut simplici defensione contenta sit. Stat ipsa quidem suo robore et aeterna Dei veritate confirmata, munitaque est adversus omnem omnium iniuriam, ne dicam sycophantarum rabularumque aliquot calumniam, ut vel nullius patrocinio egeat, vel si vindicatur pro ipsius maiestate graviter digneque tractanda sit. Non quod vel vim dicendi vel eruditionem in patrono nostro desiderem, quae sunt in illo amplissima, sed doleo de tot tantisque probris, quae in nos religionemque indignissime coniecerunt vel despuerunt potius nequissimi impurissimique homines, ea tantum esse prolata quae non magnum afferunt ad caput causae momentum. Haec sunt omnium nostrum clamoribus refutanda refellendaque doctorum piorumque lucubrationibus et quasi stylis confodienda, quod Christo illudunt in ipsius corpore, hoc est in nobis quos crudelissime cruci affixerunt ipsius, quod Anabaptistae, sacramentarii, alieni ab omni religione dicimur, devovemur omni suppliciorum acerbitati, quod omnium impietas furorque acuitur in nos. Ecquis vero ferat sacrosancta Dei oracula divinosque libros e manibus nostris excuti, in quibus diu noctuque hortatore et magistro spiritu sancto versamur, quorumque perpetua lectione sustentamus in tantis malis spem immortalitatis? Et negant tamen a nobis recipi, hoc est, ab optimis viris, quos nobiscum optimae parentis ecclesiae genuit Christus per spiritum suum sanctum. Impudentiam vero hanc quis ferre possit stomachus, quod Christi nomen, quo gloriamur adoptati in Dei familiam illo autore, nobis adeo detrahitur ab iis in quibus religionis nullus est usus, quod corporalem Christi praesentiam in symbolo *εὐχαριστίας* non constituimus. Nam horum ego cogitatione perhorresco totus, quod naturae leges, quas omne genus animantium religiose colit, a nobis violari et effringi sceleratissime mentiuntur: promiscuos aiunt esse concubitus, vagas libidines, nihil sanctum aut religiosum esse. Adeo nihil tam excellens divinumque est quod non polluat et inficiat virulenta sordibusque corrupta istorum hominum lingua. Poterant haec quidem probra unius confessionis nostrae lectione refelli, sed ea nunquam recitata ac ne citata quidem. Unum tantum aut alterum caput excipio.

Tu quid faciendum sit pro tua singulari prudentia facile constitues. Ego totam causam graviter et distincte tractari excogitarique vellem, aut si non putas necessarium, historiam rei gestae simpliciter et nude a Nicolao nostro *Villerano* [5]) conscribi, qui toti negotio non solum interfuit sed etiam praefuit. Nos omnes Dei merito valemus ut hic possumus. Deum oro et obtestor per Iesum Christum Dominum nostrum ut te tuosque symmystas optimos clarissimosque viros ecclesiae suae quamdiutissime incolumes esse patiatur: nostris vero heroibus

---

2) *Affaire de la rue S. Jacques. (?)*

3) *Haec satis obscure dicta. Si quid videmus agit de Apologia qua pii vindicabantur a calumniis de ipsorum nocturnis conventibus sparsis. (Martyrs f.* 466 *v. Hist. eccl.* I. 120 *ss.)* Une apologie par le pasteur de Chandieu fut imprimée, mais trois réfutations catholiques d'une extrême violence y répondirent coup sur coup. (*Coquerel, Hist. de l'égl. réf. de Paris* 21.) *Cf. quoque Ep. Macarii 7. Febr.* 1558.

4) *Virg. Aen.* V. 377.

5) *Si revera (quod suspicati sumus) haec epistola ad catastrophen prid. Non. Sept.* 1557 *referenda est, habes hic nomen (utrum verum an ascititium?) ministri coetus a plebe furiose disiecti.*

tuis fratribus (scis quos dicam) salutem meo nomine plurimam renunciabis. Iterum vale. [6])

Tuus Cl. Villierius.

2751.

CONFESSION DE FOI

présentée au Roi par les fidèles de Paris au nom des églises de France.

(Voyez Oeuvres T. IX. p. 715 et Prolégomènes p. lv. Elle commence par ces mots: *Puisque nous sommes chargez* etc.)

2752.

BULLINGERUS LASCO.

Hic quoque res sacramentaria stylum viri optimi exercet, et quidem de pace desperantis et in gratiam hominum nihil amplius concedendum firmiter credentis.

(Exemplar authenticum quod solum exstat reperies in Cod. Arch. Turic. VI. 117[b], olim Scrin. C. Epp. Tom. II. fol. 384 manu Lud. Lavateri scriptum qui Bullingeri fuit amanuensis. Inscriptio et subscriptio desideratur et epistola incipit in media pagina post aliam. — Simlerus habet Vol. 90.)

D. Ioanni a Lasco. Nov. 6. 1557.

— — — — — — — — — — — — — — — — —

Res sacramentaria magis atque magis rapitur in contentionem, Saxonum quorundam ministris tantum non insanientibus. Neque videmus quomodo in tanta exacerbatione veritati bene possit consuli nisi ut praeteritis omnibus personis et confessionibus hoc doceamus et profiteamur simpliciter quod res est, ne fortassis, dum aliquid in gratiam hominum facimus, obscuretur veritas et simpliciores tandem quid tuto sequantur ignorent. Allegant pro se Saxones Augustanam confessionem et exponunt eam crassissime ita ut et Apologia exposuit ac recessus imperii anno 1530 editus exponendam evincit. Relinquamus ergo istis confessionem illam, sequamur nos veritatem. Waldenses in libro suo edito sub *Lutheri* auspiciis [1]) sibi in hac doctrina non constant, sicuti et Lutherani omnes. Habent fucos et pharmaca quibus morbida tingunt: ineffabili potentia, ratione a saeculo semoto, * ineffabiliter, inenarrabili spiritus virtute. Quibus item uti video quosdam melioris notae homines. Nos omnino periculosum esse putamus et veritati perniciosum involucra verborum quaerere et his contegere res ut utraque fere pars suam sententiam proferri existimet. Omissis ergo huiusmodi loquutionibus fateamur, Christum verum et naturale habere corpus ideoque corporaliter non esse in coena praesentem, sed spiritualiter: manducari eius carnem ad vitam, sed spiritualiter per fidem. Sic enim loquitur scriptura: sic exposuit illam universa vetustas. Nec patiamur haec nobis eripi ex oculis et supponi nescio quam * subtilia quae tamen nos magis reddant dubios quam certos. — — — — — — —

2753.

VIRETUS CALVINO.

Bernae fuit cum Beza qui accuratius de statu rerum referet. Quae usque in suspenso sunt et ipsum indies magis consilii inopem faciunt. Etiam de re domestica vexat ipsum cura iamiam obaeratum.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 54.)

Praestantissimo Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae plurimum observando.

Genevae.

S. Audies de *Beza* nostro, qui mecum fuit Bernae, [1]) quae illic ceperimus consilia et quibus de causis. Quid hic postea actum sit aliqua ex parte intellexisti. Quo adhuc in statu sint res nostrae plenius *Beza* referet, quocum consilia communicabis. Adeo sunt incerta adhuc omnia ut perquam sit difficile quidquam certi statuere. Eo res meae devenerunt ut quoquo me vertam effugere non possum,* quin in multorum etiam virorum bonorum et amicorum offensionem incurram. Adeo

---

6) *Ex mera coniectura hunc locum epistolae assignamus. Caeterum vide quae diximus de Confessione Regi inscriptae quam hoc ipso tempore exaratam credimus. (Opp. T. IX. proll. p. lv.*

2752. 1) *a.* 1535. *De hac Waldensium confessione saepius dictum est in epp. N.* 2745 *et seqq.*
2753. 1) *N.* 2710. 2711.

sunt varia etiam doctissimorum et sanctissimorum iudicia. Ego vero cupio tantum de Domini voluntate certior fieri, ne quid agam meo ministerio indignum. Cognovi ex tuis literis,[2]) quas a me accepisti te perinde interpretatum ac si tecum expostularem, quasi me litibus implicare volueris. Ego certe nihil minus suspicatus sum, sed ita scripsi taedio quodam litium in quibus me tam indignis modis hominum iniquitas exagitavit. In postrema, quoad eius fieri potuit, autoritatem Christi ministri retinere conatus sum, quae res fortasse iudicibus displicebit. Sed me decebat illius esse personae memorem quam agebam. Exspecto causae eventum. Porro quod scripsisti de senatus vestri voluntate et studio,[3]) idem mihi persuasi quod scribis. Illi gratias ago per literas,[4]) quod ut verbis tu quoque facias meo nomine vehementer rogo. Quod autem cupis ut in sinum tuum effundam, si quid est quod urgeat vehementius, et si ullis constringar angustiis, habeo maximam gratiam pro tua hac sollicitudine. Ut ingenue fatear apud te quod res est, hactenus sic vixi, ac victus tenuitate et qua potui parsimonia, domestico vectigali, id effeci ut neque superfuerit quidquam neque defuerit. Nunc, quod prius non contigerat, obaeratus sum, sed fratris mei potius culpa quam mea, ex quo cum illo divisi patrimonium quod exiguum supererat. Ad haec accessit morbus et praeterea uxoris valetudo parum firma et onus liberorum. Verum non desunt amici quam plurimi, qui quotidie omnia offerant officia, et ex animo, ut nihil dubitem in promptu fore auxilium quoties opus erit. Deinde si me hic diutius contingat commorari, hoc est, si felicior sit rerum nostrarum successus, quam adhuc sperare ausim, nihil pudebit pro meo iure petere ut aliam habeant mei rationem quam hactenus. Utinam nulla me magis premeret cura quam mei et meorum, ut qui sciam nostras opes in eorum esse animis reconditas qui nos habent pro Christi servis: quem votis ardentissimis precor ut indies magis ac magis sanctis tuis laboribus benedicat et te suae ecclesiae diu servet incolumem. Vale optime salutatis omnibus collegis. Salutant te amantissime nostri omnes, praesertim uxor mea. Lausannae 7. Novemb.

Tuus Petrus Viretus.

2) *N.* 2739.

3) *Haec in ep. modo laudata frustra quaeres. Videtur aliqua recentior intercidisse, qua Calvinus Vireto Senatus Genevensis benevolum in eum animum declaraverat.*

4) *Recitatae fuerunt coram Senatu d. 9. Nov., quibus auditis per nuncium Lausannae transeuntem 25 scutatos aureos miserunt Vireto.*

2754.

BEZA FARELLO.

Maiore ex parte pertinet ad res Parisiensium. Legatis mittendis neque pecunia neque instructionibus in tempore provisum. Carmelus nimis diu Neocomi morari videtur, qui officio suo apud ecclesiam defungi deberet. Ibi enim non omnes constantia sua inclarescunt et confirmatione opus habent.

(Ex autographo bibliothecae pastorum Neocomensium sine inscriptione. Edidit Baum. I. 490.)

S. et pacem a Domino.

Genevae [1]) reliqui D. *Calvinum* optime valentem cum amicis omnibus. Valde illi displicuit quod nemo nostrum [2]) Bernae substitisset aut eo esset reversus, dum proficiscerentur legati. [3]) Nam procul dubio maturatum esset, neque in Bernensium indignationem incurrissemus, quod nec pecunia esset parata quam eis obtuleramus nos ubicunque vellent repraesentaturos, nec satis essent paratae instructiones, denique quod cuperent aliquos nosse quibuscum Lutetiae et in aula de re tota communicarent. Hoc poterat unus noster *Caspar* [4]) optime curare, sicut iam tum indicabamus. Sed tamen ferendum est quod mutare non possis. His incommodis iam prospectum est istic aliqua ex parte, nos vero conabimur, missis primo quoque tempore literis, caetera excusare. Lutetiae praeter illos quinque de quibus audieramus, combusti sunt duo prorsus iuvenes,[5]) die Octobris 23: quorum alterum negant decimum quintum annum excessisse. Utrumque testatur incredibili patientia ac constantia non minus perculisse adversarios quam pios fratres confirmasse. Scribit *Galasius* pergere fortiter dispersionis reliquias et in captivis maiorem etiam inveniri constantiam quam ipsi ministri sperassent. Nonnullos tamen superavit caro in tanta multitudine. Inter caeteras eminet constantia D. *de Rentigny*,[6]) quae oblatam veniam fortissime ad hunc diem repudiavit. D. *de Longjumeau* [7]) contra quod illa recusavit ar-

2754. 1) *Ex Germania redux statim eo se contulisse videtur.*

2) *qui in Germaniam profecti sunt.*

3) *Lutetiam.*

4) *Carmelus minister ap. Parisienses optime potuisset et statum rerum exponere et auxilii ferendi vias aperire, si Bernae adfuisset.*

5) *Franc. Rebeziers et Frid. d'Anville.* (*Martyrs* 475, *Hist. eccl.* I. 132 *et supra N.* 2743.) *Qui* 23. *Oct. perierunt. Ante eos* 2. *Oct. Nic. le Cene medicus et Petr. Gabart.*

6) fille du Sr. de Rambouillet, épouse du chevalier de Rentigny enseigne du duc de Guise. (*De Thou. éd. fr.* II. 531.) *V. Bezae ep.* 2762. *Exstant epp. Calvini ad eam.*

7) *Cf. N.* 2775.

ripuit. Nempe haec sunt Domini iudicia in utramque partem. Rogemus Deum ut aberrantes revocet, infirmos confirmet, firmos reddat firmiores.

De nostro *Caspare* ita censet D. *Calvinus*, nobiscum non posse illum sine gravi totius ecclesiae offensa diutius hic haerere, tam strenue laborantibus ipsius collegis et adeo periclitante grege ipsi commisso. Quaecunque impedimenta se ingerunt uno hoc verbo superet: Qui respicit a tergo non est me dignus. Uxori est obligatus, fateor, sed valeant omnia quae nos a Christo abstrahunt. Scio difficillima haec esse, sed eo gloriosior est victoria. Hoc tamen addit D. *Calvinus*, postquam eo venerit et ecclesiae omnia a nobis tum dicta, tum facta exposuerit, posse illum expositis suis difficultatibus ab ecclesia veniam petere, ut alius ei substituatur. Omnino autem curandum illi est ut quam brevissimam moram interponat et istinc recta proficiscatur. Adsit ei Dominus in opere tam sancto et servum suum ab inimicis omnibus custodiat. De mea voluntate novit quid sim apud eum ex animo testatus. Per me, ut spero, non stabit, quominus etiam, si opus sit, per Dei gratiam istic immoler. Sed videant diligenter quid magis expedit.

Haec ego ad te raptim. Genevae certo sperabant mox coiturum foedus cum nostris, quum civitate exirem.[8]) Bene vale, et nostro nomine collegas omnes diligenter saluta. *Casparem* nostrum, si non corpore, at animo certe et precibus comitabor, quem etiam summopere rogo ut peculiariter ecclesiae illi toti me commendet. Si quid audisti ex Mompelgardo, vel posthac audies, cura ut resciscamus tempestive. Iterum vale. Lausannae 11. Novembris.

Th. Beza, filius
tibi in Domino addictissimus.

In *Vireti* nostri causa nihildum est peractum.[9]) Advertissez Mr. *Gaspar* que *Pelissier* n'a esté a Geneve et n'en a lon ouy parler, qui a esté une grande faulte et seroyt bon d'y pourveoir par le meilleur moyen. Davantage l'un de ceulx dont il ma laissé memoire est pieca departy, l'autre s'arreste encores par deca.

8) *M. Octobre vergente, quum Bernates de foedere renovando meliores conditiones offerre parati viderentur, nova legatio a. d. vii. Cal. Nov. Bernam missa est.*
9) *Vide praecedentem.*

2755.

CALVINUS BULLINGERO.

Ex Bezae literis quid Wormatiae actum et effectum sit intellecturum eum dicit. Ipse usque in ea persistit opinione, posse per colloquium pacem conciliari: qua de causa, si occasio ferat, manus dare quibus ecclesiae salus curae est non recusare debere.

(Autographon exstat in Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 37. — Alia exemplaria habes in Cod. Genev. 108, fol. 81, in Epp. Bern. VI. 702 et VII. 91, et ap. Simler. Vol. 90. Versio angl. III. 377.)

Clarissimo viro et fratri mihi observando D. Henricho Bullingero, ecclesiae Tigurinae fido pastori.

S. Ex *Bezae* nostri literis [1]) intelliges, quam propensi fuerint Principes ad legatos deprecandi causa mittendos: et quam liberaliter operam suam obtulerint. Paulo plus difficultatis fuit in ordinis nostri hominibus. Displicent illis scilicet nocturni coetus: [2]) ac si oppressis tam dura tyrannide fratribus liberum foret horas sibi commodas eligere. Quaesita etiam confessio fuit,[3]) in qua videbis fratres nostros ingenue professos esse quid sentiant. Saltem non dissimularunt eam se doctrinam amplecti, a qua visi vobis antehac fuerant nonnihil deflexisse, et quod timuistis, ne *Brentio*, *Merpachio* et similibus obstricti forent, discussum est. Imo intelligent illi, cum Gallicis omnibus ecclesiis sibi non esse consensum. Etsi autem pertinaciter adhuc fovent suos errores, sunt tamen quidam mansuefacti, ut spes sit, si ad amicum colloquium semel ventum fuerit, flecti posse. Quamquam hac fiducia non adducor, ut remedium esse existimem, si nos invitent: sed alias quoque rationes, quas tibi exposui, sequor. Quod excipis, absque consensu magistratus nihil vobis licere: mene adeo et temerarium et humanitatis expertem esse putas, ut eos contemnam quibuscum sacro vinculo et insolubili divinitus coniuncti sumus, ut communibus studiis idem simul agamus? Sed non puto tam serviliter nos constrictos teneri, quin disputare familiariter liceat, quid maxime expediat in commune ecclesiae bonum. Quod scripsi, iterum repeto, si refugimus, nihil obiici posse coloris, meo quidem iudicio, quominus turpis et inhonesta haec tergiversatio sit. Si tibi forte aliud videtur, mihi dolet in causa communi ita sententias nostras discrepare. Sed neque claris-

2755. 1) *Beza ergo Turicum in reditu non adierat. Literas vero, quas hic Noster Bullingero pollicetur, demum octo diebus post scriptas infra suo loco habebis.*
2) *Cf. N.* 2737.
3) *N.* 2736.

simus senatus vester, ut spero, conventum, si oblatus fuerit, respuet, neque per vos stabit, quominus ad tollendum infelix hoc dissidium et pacificationem quaerendam voluntarios se ostendant, qui cupiant ecclesiam tranquillam videre. Vale, ornatissime vir et mihi plurimum observande frater. Symmystis omnibus plurimam salutem. Dominus vos omnes sua virtute sustineat, praesidio tueatur et spiritu gubernet. Genevae 15. Novembris 1557.

Ioannes Calvinus tuus.

De foedere iam aliquid Bernae confectum esse arbitror.

2756.

GALLASIUS CALVINO.

Narrat quid legati Lutetiam missi ut pro piis intercederent in curia regia obtinuerint, vel potius quo pacto, quum sibi verba dari vidissent, infecta re discesserint. Quem nimis praecipitem discessum causam ipsam peiorem redditurum esse praevidet, ipse vero quantocius fieri poterit Genevam redire cupit, alio scilicet ministro in suum locum suffecto.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 80.)

A mon tres honnore Seigneur Monsr. D'Espeville.

S. Gravi sollicitudine me tum literae tuae [1]) tum huius nuncii adventus liberarunt. Nihil enim praeter incertos rumores audiebamus de vestro statu, nec quidquam vicissim de nostro putabamus ad vos in tanta itinerum difficultate perferri posse. Nunc vero et vos certiores redditos esse de rebus nostris, et utrinque tandem redditas esse literas, et quid apud vos agatur nostros intellexisse admodum laetor. Sub finem Octobris alias adhuc literas tabellario cuidam, quem *Ferrerius* huc miserat, ad te dedi. [2]) Ab eo tempore in nostros saevitum non est. Calendis Novembr. quatuor civitatum legati [3]) advenerunt. Tunc aberam, accersitus a piis et nobilibus viris ad fines Belgarum: ubi quid egerim aliquando tibi rationem reddam. Illinc reversus, quum legatos in aulam profectos esse intelligerem, eos e vestigio sum sequutus. Itaque paulo momento fere aulicus sum factus, nisi quod liberius paulo et apertius more maiorum omnia tractavi. Conveni homines antequam regem salutassent. Omnem operam, studium et diligentiam polliciti sunt. Nihil tamen praeter verba obtinuerunt, [4]) et scriptum quoddam quod ne verbis quidem, quae largiora fuerant, respondit. In summa, res suas agere, sua sibi habere iussi sunt, ac rogati ne posthac aliena curent. Institi summopere ne re infecta discederent, atque ostendi, post eorum abitum longe deteriorem quam antea fore piorum conditionem, nisi regem magis urgerent: frustra vero tantum laborem itineris magno sumptu ab iis fuisse susceptum, nisi allevationem aliquam nobis adferrent. Quod sponte ipsos facturos iam antea existimabam, id in gratiam nostram se non recusaturos esse dixerunt. Postridie igitur obtulerunt supplicem libellum, in quo quid contineretur nondum rescivi. Varii feruntur de eo rumores. Quid in eo scriptum sit ante tres dies, ut spero, sciam. Nam mihi eius exemplar bonus quidam vir se recuperaturum promisit. Verum antequam huic libello responderetur legati, veluti re desperata, discesserunt. Quod certe maximam curam animo meo ingessit. Videbam enim magis ac magis exacerbatum iri hostium animos quod iniecto aculeo irati abiissent. Nam interpretati sunt omnia nostrorum impulsu atque instigatu peracta esse. Nec me fefellit opinio. Quis eos evocasset perquisitum est diligenter. Eius rei clam nonnullis mandata cura, ac speculatores constituti qui omnia sedulo observarent. Accersiti praesides, iudices ac regii advocati, ut in hanc causam, quam neglexisse videbantur, maiore et studio et cura incumberent. Procancellarius ad eos urgendos veluti magister adhibitus est, qui iam strenue officio fungi coepit. Quam in partem legatorum abitionem adeo praecipitem interpretari deberem, diu mecum dubitavi: quia sane lentius ac frigidius paulo quam deceret

---

2756. 1) *deperditae.*

2) *Etiam haec desideratur. Ultima Gallasii nobis fuit N.* 2714. *Ferrerius ille ipse vir nobilis Cenomanensis fuisse videtur quem Hist. eccl.* I. 99 *Sr. de la Ferrière nominat, qui Lutetiae degebat et in cuius aedibus (au pré aux Clercs) Jo. le Maçon dit La Riviere a.* 1555 *coetus piorum instituerat.*

3) *N.* 2743, *not.* 4.

4) *Martyrs* 479: Les cantons evangeliques des Suisses esmeus de pitié et scachans que c'estoit pour la mesme doctrine qui est annoncee en leurs eglises qu'ils estoyent prisonniers envoyerent leurs ambassadeurs devers le Roy pour faire remonstrances et supplications pour eux. Au mesme instant arriverent aussi lettres de la part du Comte Palatin electeur tendantes à mesme fin: tellement que le Roy sollicité de ceste sorte et voyant le besoin qu'il avoit du secours des estrangers accorda qu'on procedast plus doucement en la cause de ces prisonniers. Aussi le feu cessa pour quelque temps et on commença à proceder par eslargissemens *etc. cf. Hist. eccl.* I. 132. *Vides principum intercessionem propter rationes politicas maiorem effectum habuisse quum Helvetiorum.*

hanc causam mihi tractare videbantur. Sed antequam postremum illud scriptum legerim, iudicium meum suspendere quam temere quidquam proferre malo. Hostium vero rabies, ut antea verebar, magis ac magis accensa est, nec quidquam praeter tristem exitum ex eorum minis et terroribus sperari potest. Ac certe mirum est eos adversus coelum et terram, Deum atque homines una bellum gerere, nec ullis ferulis aut plagis ad saniorem mentem revocari.

In tanta rerum omnium desperatione ego nihilominus aliquid sperare cogor, bonosque omnes video eodem mecum animo opem a Deo exspectare. Hanc vero spem quibus possum argumentis foveo, aliosque assidue hortor ut tum maxime in Domino recumbent quum ab hominibus deseruntur. Ac fortassis haec bilis, quae legatorum adventu tantopere efferbuit, ubi secum omnia meditati fuerint efferati homines, aliisque negotiis quae varia ipsis parantur impliciti erunt, paulatim defervescet, atque tandem moderatiores fient. Verum haec pendent a Dei nutu, ad quem omnia referre, a quo pendere debemus. Quum advenerint principum legati, melius forsitan aliquid audietur.

Gasparem tam longe progressum aegre fero. [5]) Quandocunque redeat, diutius hic manere mihi consilium non est, nec etiam id boni et cordati viri tutum esse putant. Iam enim plus quam ne[*cess*]e esset plerisque innotui. Itaque missionem impetravi, [*mod*]o tamen discessum meum aliquantum differam, nempe a[*d*] Idus Decemb., dum interea mihi successorem decernatis, [6]) qui paulo post reditum meum istuc veniat, ne diu grex iste ductore destituatur. Facite igitur, obsecro, ut quum venero praesto sit is qui in meum locum mittetur. Idem a vobis fratres summopere postulant. Quae ad iter ei necessaria erunt mecum feram. Optant autem, quo plus autoritatis habeat in hisce turbis, ut e collegio nostro [7]) deligatur.

Dominus vos tueatur praesidio suo, gratia sua foveat magisque ac magis donis suis locupletet, salvosque et incolumes ecclesiae diutissime conservet, ut communi omnium saluti prospicere atque indies consulere possitis. Quantam consolationem in mediis malis acceperim, et quam me laborum istorum non poeniteat, ego coram vobis narrare quam literis mandare malo. Iam enim longior fui quam putabam, tametsi haec scribens plus vigesies * interpellatus fui. Vale igitur, mi pater, vosque omnes in Domino valete. E castris [8]) 18. Novemb. 1557.

Vestri observantissimus
N. Salicetus. [9])

5) *Cf. N.* 2754.
6) *Macarius m. Dec. designatus Parisiensium minister m. Ian. in urbem appulit.*
7) *Genevensi.*
8) *Lutetiae.*
9) *Nic. Gallasius Sieur de Saules.*

2757.

FARELLUS CALVINO.

Varia attingit tam publica quam domestica. Carmelus itineri tandem se accingit. Colloquium urgendum apud Palatinum qui bene dispositus videtur.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 134, coll. cum exemplari Bernensi Epp. Tom. VI. p. 701 et Simleri Vol. 90.)

Christi servo valde insigni Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori, theologo clarissimo fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Hodie *Caspar* se accingit itineri [1]) recta Monbelgardum, ut legatis [2]) adsit principum quorum praecipue gratia missus ab ecclesia fuit. Nam quum instaret ut *Gallasius* mitteretur, [3]) hoc dicebant fratres: tu familiarior fuisti legatis qui hic fuerunt, et quum *Ducissa* [4]) ad praefectum scribat et *Mirabilem*, ut tibi fidem habeant, nemo magis hic servierit te uno. Accipies et tecum *Farellum* et pro *Beza* mittes. Volebat socrum invisere bis miseram, ut aliquâ ratione ter miseris consuleret pupillis. Ego quidem volo sed non possum. *Claudius* posset. [5]) Verum ut iam nemo plus eis nocebit, tantum abest, ut prodesse et adesse velit. *Iacobus* qui patrem perdidit quid matri et fratribus praestabit? Quod praedixit pauper defunctus se in fratris gratiam ea empturum, quae sibi et suis ruina essent corporis animae et omnium denique, abunde video impletum, et quum omnia agat pessime et

2757. 1) *saepius monitus propter nimis diuturnam absentiam.*
2) *Nescit ergo Palatini propositum de legatione mittenda a caeteris principibus non probatam fuisse, qui satis habuerunt ad Regem scribere.* (*De Thou* II. 531 *ed. gall. Sattler, Gesch. d. Hz. Würt.* IV. 122.)
3) *in Germaniam ad principes.*
4) *Aurelianensis, Mde. de Rothelin.*
5) *De his certiora non habemus. Memineris Carmelum uxorem e Farellorum familia duxisse, ad quam etiam Claudius Guilelmi frater, et Iacobus ille pertinebant. Ad tristem quendam casum iam allusit Calvinus in fine N.* 2710.

mala fide, vult videri optime omnia et optima fide: si in me, quid in aliis? Utinam Dominus malam immutet mentem. Accedit difficultas uxoris, [6]) quod omnium minime sperabam, sed ubi plura multo essent in mora, nunquam assentirer ecclesiam deserendam: ubi etiam ipsa assentiretur, nisi alio vocet Dominus et aperto mandato iubeat. Ipse quoque *Caspar* tuo hortatu et *Bezae* mox annuit, quamvis miretur fratres nihil scripsisse, si quidem abiens instantius rogarat, ut diligentius scriberent, et omnium diligenter admoneretur, quae agenda forent, se ex animo omnia curaturum. Heri referebat aliquis se in via legatos [7]) ante dies octo offendisse ad Regem pergentes ex Lutetia, quum solvissent.

Abunde intellexisti quid actum fuerit Wormatiae et apud principes pro colloquio. Tuum erit, ut potes, urgere tam necessarium conventum apud *Palatinum*. Probus, superioris Palatini Cancellarius et alii paene omnes, praeter Cancellarium, probe sunt affecti et admoniti negotium curabunt diligentius. Christus det ut Argentoratenses [8]) agant quod receperunt et cuius sunt admoniti. De foedere istius urbis cum Bernensi nihil hactenus accepimus. Christus omnia componat. Vale cum omnibus collegis ac piis, sancto senatu. Dominus Iesus omnes servet, omnique benedictione prosequatur. Collega et *Caspar* quam amantissime te salutant. Neocomi 19. Novembris 1557.

Tuus totus Farellus.

2758.

BEZA FARELLO.

Negotium Parisiense. Carmeli profectio urgenda. Confessionem emendatam sibi mitti rogat.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Baum I. 491.)

Eximio servo Dei D. Gulielmo Farello patri mihi in primis observando.

Neocomi.

S. Mi pater, haec ad te festinans scribo. Accepi literas tuas. [1]) Quum vero malis illis mederi non possimus superest ut rem totam Domino committamus, qui diabolum etiam ipsum quoties libuit sibi servire cogit. *Casparem* nostrum vide ut urgeas etiam atque etiam, nec censeo ut hac iter faciat. Quorsum enim? Si prius illuc venerint Germani, [2]) quem convenient? Quis instabit? quis singulorum admonebit? Nostros [3]) miror tamdiu cessare et vereor ne dum Germanos exspectant amittatur omnis occasio. Tanti erat *Casparem* una cum illis proficisci. Sed praeterita mutari non possunt.

De nostra confessione probat omnia *Calvinus* noster. Scribam ad Tigurinos: quod iam esset factum si remisisset *Caspar* confessionis exemplar, ita ut illi emendarunt. [4]) Illud enim quod habemus deprehendi illa non habere quae illi inseruerunt ad marginem. Pauca fateor, sed si vel syllaba variet, nosti quam sint quidam ingeniosi ut sibi ipsis struant offendicula. Remitte ergo primo quoque tempore. Quod promiserunt Argentinenses cavendum est ne quis intempestive effutiat. [5]) Bene vale. Dominus Iesus te servet. *Viretus* et nostri omnes te salutant. Laus. 19. Novembris.

Tuus Beza.

Collegam *Casparem* et nostros omnes vide ut diligenter mihi salutes. Fratres Parisienses puto quidem admonitos de legatorum profectione, sed nemo missus est qui illos urgeret, nec ab eo tempore quo legati pervenerunt quidquam scriptum est a ministris quod sciam.

---

6) *Carmeli, quae absente marito Neocomi remanserat.*
7) *Helvetiorum.*
8) *Cf. proxime sequentes Hotomani et Bezae. Nihil omnino factum fuisse vix est quod moneamus.*

2758. 1) *deperditas.*

2) *qui tamen omnino nulli fuerunt.*
3) *Helvetiorum legatos.*
4) *De utra dicat ambigere posses. Neque de emendatoribus quos dicit habemus quod asseramus. Num Turicensium annotata respicit? An Wormatienses theologi aliquid tale imposuerunt? Verum fortasse loquitur de confessione Parisiensium nomine ad Regem scripta, quam scimus in Helvetia recognitam antequam proderetur (N. 2750, not. 6).*
5) *Vide praeced. Farelli et sequentem Hotomani.*

2759.

HOTOMANUS BULLINGERO.

Argentoratensis senatus de theologorum amico colloquio iam serio cogitat.

(Excerptum ex autographo Cod. Turic. Archiv. Plut. VI. Vol. 106, olim Epp. Tom. II. fol. 693. — Simler Vol. 90.)

Clarissimo viro D. Henrico Bullingero theologo praestantissimo et pastori ecclesiae Tigurinae fidelissimo

Tiguri.

Franc. Hotom. S. D.

— — — — — — — — — — — — — — —

Farellum et *Bezam*, opinor, iam audisti a senatu nostro impetrasse ut se in Helveticis et Germanis theologis ad amicum aliquod colloquium evocandis interponeret. Id in senatu nostro nunc agitur, ut audio, summo studio. — — — — — xiij. Calend. Decemb. 1557.

2760.

VIRETUS CALVINO.

Nunciat senatum Genevensem de propria liberalitate et neutiquam sollicitatus ipsi pecuniae summam misisse. Subiicit nonnulla de foedere inter utramque rempublicam sancienda et de sua ipsius causa nondum diremta.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 55.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae plurimum observando.

Genevae.

S. Nescio quam in sententiam senatus vester meas literas interpretatus sit [1]) aut quid cum illo egeris. Sic responderam ut intelligerent nulla me premi necessitate quae mea ex parte sollicitare deberet ad opem implorandam quam offerebant: quod tamen facturus fueram si ita res postularet. Quod in tuum sinum familiarius omnia effudi, non eo spectabat ut hoc tempore quidquam peterem a vestris auxilii, quum non deessent in promptu amici quorum opera iuvari facile possem, si tam in arctum res meae redigerentur. Interea, quum nihil minus exspectarem, legati vestri huc reversi obtulerunt 25 escus d'or, quos et accipere quum recusarem compulerunt. Quae certe eorum liberalitas nimio me perfudit rubore. Scis quam non libenter illis sim oneri. Iam me nimis eorum pudet quae hactenus accepi. Vereor praeterea ne, si remittam, non boni consulatur: quia non dubito quin hoc faciant ex animo. Peto igitur hic tuum consilium. Scribam ad omnes per legatos prolixius, rogans ne tales mea causa sumptus faciant.

Porro, quia in mentionem legatorum incidi, non puto opus esse ut quid audiverim de foedere ab amicis qui Berna scripserunt prolixius scribam, quia non id vos puto ignorare. [2]) Omnia transacta erant praeter caput illud de imponendis vectigalibus. In hoc fortiter resistunt diacosii, qui nuper congregati conditionem illam quam vestri proponunt penitus recusarunt. Quid postea acciderit incertum est.

Causa mea cum nostris sepulta iacebat, nisi eam excitassem: sed nescio quo fructu et successu. Audio hac hebdomade venturos hic legatos quibus commissa erit cura omnia componendi, admonitis tamen utrinque partibus. Quid exspectare aut sperare debeam ex eo maxime coniicere possum quod scripta, et quae utrinque sunt obiecta et responsa, nec lecta nec audita fuere, quia nimis prolixa visa sunt. Quale igitur erit de ignota causa iudicium? Nescio certe quid sint legati in mandatis habituri, sed ex iis quae subodoror coniicio facile quo spectetur. Ego fungar meo munere, nec quidquam omittam quod mearum erit partium, si modo Dominus prudentiam et sapientiam, constantiam et fortitudinem suppeditet. Tu igitur illum nobiscum precator ut suae causae patronus adsit, ut quanto magis hominum deseritur patrocinio, eo potentius ille suam vim in ea procuranda et tuenda exserat. Salutat te uxor et mei omnes amantissime. Vale. Lausannae 24. Novemb.

Tuus Petrus Viretus.

2760. 1) *Vide N.* 2753, *not.* 4. *Scilicet ipse Calvinus apud Senatum pro eo intercessit.*

2) *Etiam de hoc negotio in superioribus iam dictum. Cf. Ruchat* VI. 229. *Foedus ipsum tandem a. d. V. Idus Ian.* 1558 *sancitum fuit.*

2761.

BEZA CALVINO.

Pluribus agit de instructione legatis Helvetiorum data et in uno articulo pro temporis necessitate mutata, rogatque ut Calvinus ipse suis partibus non desit in hoc negotio. Tum addit quaedam de Vireti causa aliter atque ipse voluerit scopum suum persequentis, item de Gallasii filio gymnasiaste.

(Ex autographo Cod. Genev 117, fol. 95. — Edidit Baum. I. 492.)

Eximio Christo servo D. Ioh. Calvino Genevensis ecclesiae vere fido pastori.

Genevae.

S. et pacem a Domino.

Mi pater, ne verbulum quidem faciam excusandi mei causa. Tantum rogo ut plenius rem intelligas. Tuum illud scriptum [1]) erat veluti in tres partes distinctum. Nam primo loco monebantur legati de suo officio, ubi ad aulam pervenissent. Deinde ea afferebas quibus permoveretur rex ad concedendam petitionem: postremo loco adscripseras petitionis capita. Nos neque in prima neque in ultima parte vel unum apicem mutavimus, ac praesertim in ipsa petitione quam ad verbum descripsimus. Tantum in iis quae regi videbantur exponenda ut ad petitionem pateret aditus, hactenus mutatum est aliquid, ut, quum non meminisses postremae istius calamitatis (neque enim adhuc ea inciderat quum fratres ad te scriberent, et tu ista ex illorum voluntate annotares) nos omnia ad praesentem statum et regni et Parisiensis ecclesiae referremus, et hac hypothesi uteremur ad eas omnes indignitates explicandas quas tu perscripseras. Et tamen hic quoque tuis vestigiis, sicuti par est, prorsus institimus, eo uno excepto, quod quae de unius Dei invocatione expresseras maluimus in genere tantum attingere, veriti nimirum ne Rex, ut prorsus est imperitus et recens etiam irritatus, mox ad eius rei mentionem resiliret. Quod tamen non essemus veriti, si haec legatio rebus integris, quemadmodum sperebas futurum quum illa scriberes, esset a nobis suscepta. Haec ita esse, ut dico, tu ipse, si libuerit et si vacabit, ex utriusque scripti collatione cognosces. Nam quod Comitis *Mompelgardensis* secretarius nonnulla in compendium contraxit, nihil est, quum integra latine scripta et apud *Lantgravium* et apud *Palatinum* reliquerimus, qui conficiendae, quam vocant, instructionis onus in se recepit. Deinde hoc ipsum ubique diserte inculcavimus, non tantum nos laborare de captivorum liberatione, sed multo magis ut rex aliquid libertatis ac quietis ecclesiis concedat, etiam cum causae cognitione, si hoc possit ab eo impetrari. Quum igitur nihil neque in consilii scopo neque in ipsis petitionis capitibus sit mutatum (quamquam non possumus statuere quid ipsis principibus magis placuerit) rogo te ut statuas num sit ex usu fratrum, eo tempore te obmutescere quo nihil non a te expectant.

Laborem ego quidem minime defugio, qui sum etiam, Dei gratia, paratus vel mea praesentia, si ita opus sit, illos adiuvare: sed non dubito quin plus sit illis profuturum quod scribere iam, ut audio, eras aggressus, quam omnes omnium exhortationes. Et sane etiam si quid a nobis per incogitantiam peccatum est, indignum fuerit nostram culpam in illos redundare. Sed tu hic quoque statues, procul dubio, quod maxime censebis expedire.

De rebus nostris. Exspectamus legatos brevi venturos ut nostri *Vireti* causam componant. Hic vero non dubito quin plus satis detur occasionis ad ea fortiter tentanda, quae iam confecta esse oportuit. Nostro [2]) videtur multo plus esse animi quam putes. Ideo monueram ut tantum confirmares. Ego quidem si nihil aliud possim, suadere et hortari non desistam.

Gratissimum fuit quod de *Palatini* literis scripsisti. [3]) Nostros [4]) miramur tam diu cessare, neque de Germanis quidquam audimus. [5]) Tigurum et Bernam scripsi. [6]) Quidquid de fratribus istic accipitis, rogo non ut nobis tu ipse scribas, sed per *Normandium* aut *Budaeum* nostrum, aut denique per quemvis alium significes.

De *Galasii* nostri filio vanum est quod illa loquacula apud vos sparsit. *Prevotium* satis nosti. *Rendonus*, [7]) quo praeceptore utitur puer in secunda classe, si qua in re, certe in nimia lenitate peccat. Domi comperi illum semel atque iterum vapulasse, sed intra modum, idque ut mihi affirmavit *Praevotius* non sine magno fructu. Nam quum antea esset quodammodo petulans, et ad mentiendum valde pronus, levi castigatione multum profecit. Ego vero perinde illum curare constitui ac si meus esset. Hoc enim paternae benevolentiae ac pietati debeo.

Caeterum tua illa brevis quidem sed amoris plena cohortatio mihi non tantum iucunda, sed etiam utilis fuit, unde coniicio quid apud nostros illos fratres sis effecturus, si in illis confirmandis omnes illos tuos nervos contenderis. Si me velint nostri secum implicare, quod tamen puto non esse facturos, longe aliud consilium capiam, quam is cui tantum fuit certaminis, de quo ad me scripsisti, in quo nihil habeo praeter unum scopum, quod possim probare. Nam optimam causam tuetur pessime, neque ullis consiliis regi se patitur. Utar interim mea libertate, et quidem liberius, ut spero, quam antea, quandoquidem maledicit Dominus non tantum male agentibus, sed etiam vel tacite consentientibus. [8])

2761. 1) *Instructiones datae legatis Helvetiorum. Cf. N.* 2754.

2) *Vireto.*

3) *Tales Calvini literae non exstant. Scripsisse videtur de Ottonis Henrici epistola ad Regem.*

4) *legatos Helvetiorum.*

5) *quia scil. nulli fuerunt missi.*

6) *Non invenimus.*

7) *Hic et Prevotius scholae Lausannensis praeceptores.*

8) *Totum hunc obscuriorem locum Baumius* I. 349 *sic*

Bene vale, mi pater. Dominus Iesus tibi magis ac magis benedicat, teque ecclesiae suae salvum et incolumem servet. Laus. 24. Novembris.

Th. Beza tuus.

Duobus illis fratribus de quibus ad nos scripsisti, utinam ita possimus, per Dei gratiam, prodesse, ut fert nostrum omnium voluntas et digna est eorum testata probitas.

2762.

BEZA MINISTRIS TURICENSIBUS.

Prolixe narrat suam et collegarum legationem ad theologos Wormaciae congregatos et ad principes Germanos. Tum accuratius exponit quatenus ipsius confessio cum Lutheranorum sententia conveniat aut ab eadem discrepet. Spem concepit optimam de pace non ita difficulter procuranda. Addit quaedam de colloquio Wormatiensi et quae ex Lutetia nuper accepit.

(Ex autographo Cod. Turic. Arch. Plut. VI. Vol. 106, olim Scrin. B. Epp. Tom. II. fol. 694. — Simler Vol. 91. Edidit Baum I. 494.)

Salutem et pacem a Domino.

Fratres et patres in Domino plurimum observandi. Sero reversus [1]) serius scribo. Fuerunt enim mihi dies aliquot necessario consumendi, dum ad Gallicas ecclesias scribo et amicis praesentibus et percontantibus satisfacio, nec statim sese obtulit cui meas ad vos literas darem. Profectionis autem nostrae haec summa est.

Schaffusianis et Basiliensibus [2]) idem quod amplissimo vestro senatui placebat, nempe ut Bernenses [3]) primo quoque tempore legationem istam communi quatuor civitatum nomine obirent. Itaque quoniam ea re iam subito, ut putabamus, confecta satis spatii nobis relictum videbatur, tentandis praeterea vicinorum animis, qui possent Bernensibus in aula satis tempestive sese coniungere, profecti sumus Basilea, alii quidem ad Comitem *Mompelgardensem*, alii vero Argentinam versus, ut quam minimum morae interponeretur. Comes quum nobis esset omnia perbenigne pollicitus, fuit in ea sententia, ut, dum Helvetii priores cum Rege agerent, sollicitaremus alios etiam Germanos principes, ac praesertim eos, a quibus Pharao ille nova auxilia hoc ipso tempore postularet. [4]) Idem etiam Argentinensibus placuisse postea cognovimus, qui nos praeterea commonefecerunt, si *Melanchthonem* et alios theologos Wormatiae coactos conveniremus et literas ab eis commendatitias obtineremus, fore ut ea res causam nostram apud principes plurimum adiuvaret. Onusti igitur Comitis et Argentinensium literis Wormatiam imus. Occurrit in via Marchio *Badensis* [5]) non ita pridem evangelium amplexus, ad quem etiam quum literas haberemus, libuit illum salutare. Is vero, quum nos humanissime audiisset, literas nobis ad *Virtembergensem* dedit et omnia se fratrum causa facturum promisit. Inde quum Wormatiam venissemus, [6]) Gienensibus, et Magdeburgensibus iam profectis, D. *Philippum* et alios salutavimus, qui quum totum paene diem partim in colloquutione partim in scriptione consumerent, totos tres dies, Domino (ut rei exitus ostendit), ita disponente, nos retinuerunt. Erant autem isti omnino D. *Philippus*, *Brentius*, *Dillerus*, *Pistorius*, *Marpachius*, *Andreas*, *Kargius*. Tandem facta nobis dicendi potestate, quum adventus nostri causas intellexissent, et inter se contulissent: „Nos, inquit D. *Philippus*, optimorum et carissimorum fratrum vicem ex animo dolemus et quantum in nobis situm est illis laborantibus adesse constituimus. Mallemus tamen eos privatim per domos duntaxat convenire, neque ullos coetus nocturnos probamus, et quod ad coenam Domini attinet, suademus ut fratres qui illic sunt vel ab ea prorsus abstineant vel in iis locis petant ubi libere potest ac solet administrari. Caeterum, etsi nobis persuasimus, vos pro vere piis et christianis fratribus interpellare, tamen brevi aliqua confessione vobis opus est, quam ad nostros principes mittamus, ut liquido cognoscant, nos pro eiusdem prorsus religionis fratribus deprecari. Nam quod attinet ad articulum de coena Domini, qui vos fortassis remoraretur, nos de ea re ita scribemus, ut principes intelligant, nostras ecclesias propterea diversas a vestris non esse [7])."

---

expedit ut dicat Bezam Vireti rigorem in flagitanda disciplina minus probasse.

2762. 1) *ex itinere Wormaciensi.*

2) *Vide annotata ad N.* 2728.

3) *Kirchh. Var.* II. *p.* 139 *ex Actis quibusdam huius legationis narrat primum Tillierium aerario praefectum cum Mirabili ad hoc officium suscipiendum propositum fuisse, sed ei Claudium May praelatum.*

4) *Primum non ultra Argentoratum ire volentibus hic ergo Comes autor fuit itineris Wormaciensis. Novis auxiliis rex opus habebat contra Hispanos.* (*de Thou* II. 531. *Barthold p.* 235.)

5) *Carolus II., Marchio Phorcensis s. Durlacensis.*

6) *Quod factum est a. d. IV. Nonas Octobres. Melanchthone enim teste ipsis Nonis, tertio post adventum die primum legati cum theologis convenerunt.*

7) *Eadem fere legisti in ep. theologorum ad principes supra N.* 2737.

Haec ille in summa. Nos vero collatis capitibus, etsi quod ad illos coetus attinet quos non probabant idonea responsa habebamus, tamen tota illa parte praetermissa, quum gratias illis egissemus, tantum de confessione respondimus: Nos quod de ea re nihil essemus suspicati, nullam paratam habere, rogare vero ut pro confessione acciperent *Calvini* catechismum octo linguis editum, ut qui soleat in peregrinis omnibus ecclesiis doceri. Tum denuo D. *Philippus*: „De re ipsa, inquit, non laboramus, scimus enim vos eandem doctrinam tueri, sed breve tamen aliquod scriptum vobis texendum est, quo praecipua capita paucis attingatis, ut variis calumniis et rumoribus occurratur, utque principibus et aliis quibusdam fortasse difficilioribus satisfiat. Legistis procul dubio Augustanam confessionem et alteram quoque a nobis Tridentino concilio exhibitam.[8]) In illis non putamus vos quidquam damnare, quod ad res ipsas attinet, quamvis in articulo de coena Domini nonnullae adhuc controversiae haereant. Non estis certe Anabaptistae, aut Stencfeldiani, aut Papistae nec rem sacramenti tollitis, et antea vobis diximus, quid in ea re simus facturi." Respondimus nos consilium capturos et prostridie, quum rursum convenissemus, breve illud scriptum[9]) eis exhibuimus, cuius ad vos mittimus exemplar idque Gallicarum duntaxat ecclesiarum nomine.[10]) Speramus autem illud sicut est ab eis acceptum, ita vobis quoque non ingratum fore.[11]) Nam in tanta brevitate et temporis angustia nihil potuimus copiose persequi, et omnia studuimus ad pacem et concordiam, sine ullo tamen veritatis praeiudicio, accommodare. Itaque acceptis eorum communibus literis[12]) ad *Lantgravium, Palatinum, Wirtebergensem, Bipontinum*, recta Marpurgum contendimus. Ibi a *Lantgravio* patre ac eius filio humanissime accepti et auditi, responsum tulimus eximiae pietatis plenum. Inde Heidelbergam ad *Palatinum* ascendimus, qui nos suorum nobilium mensa dignatus, nobis a prandio ad se vocatis, per interpretem (nobiscum enim ipse loqui non poterat) significavit sese paulo ante adventum nostrum de hac ipsa re quam aliunde accepisset iis verbis ad Regem scripsisse ut suas literas putaret ad frangendos istos impetus aliquid momenti habituras. Se tamen omnino velle cum reliquis principibus legationem primo quoque tempore mittere[13]) et quoniam arbitretur fore, ut onus instruendae legationis in se reiiciatur, sese spatium trium dierum ad deliberandum sumere, ut pleno accepto responso ad *Wirtebergensem* et *Bipontinum*[14]) iremus. Hic vero nobis aliquamdiu obstitit quidam non parvae autoritatis homo,[15]) ex eorum numero qui nos libenter vel ipsi Satanae traderent, si id esset in ipsorum potestate. Sed tamen bonae causae boni patroni non defuerunt. Ita vicit tandem veritas et septimo demum die[16]) optimo accepto responso Stuccardiam perreximus. Inde ad Thermas ferinas[17]) ubi tum forte *Wirtebergensis* cum affine *Brandeburgensi* venabatur. Hic vero, ut est humanissimus, et quantum quidem cognoscere potuimus, in obeundis negotiis longe diligentissimus, quamvis ingentem chartarum molem ad eum attulissemus, tamen omnibus ante noctem perlectis (veneramus autem

8) *Duae confessiones fuerant in eum finem conscriptae, altera a Melanchthone* (Confessio doctrinae Saxonicarum ecclesiarum synodo Tridentinae oblata). *Salig* I. 667, *altera a Brentio* (Conf. quae nomine Christophori ducis Wirt. 24. Ian. 1552 congregationi Trid. concilii proposita est) *ib.* 673. *Cf. Gieseler* III. 1. 369.

9) *Quod in exemplari Turicensi huic epistolae subiunctum est, nos supra ad* 8. *Oct. edidimus. De vero autore istius confessionis, nempe an Beza Melanchthonem in consilium adhibuerit, disputant Schlosser p.* 73, *Baum* I. *p.* 306. *Cf. Calv. ep. ad Bull.* 4 *non. Dec.* 1559 *et Baum* I. 306. 327. *Hoc loco addere libet quae habet Ruchot* VI. 212: Ils allèrent à Worms et remirent une confession qu'ils avoient dressée au nom des églises de France, où l'on s'explique en ces termes sur l'article de la sainte cène . . . . . Les théologiens allemands ne se contentèrent pas de cette confession parce qu'ils croyoient qu'elle ne contenoit que la doctrine des églises de Suisse. Afin donc de n'entreprendre pas à la légère d'intercéder pour les prisonniers françois, ils demandèrent aux députés une confession telle que ces prisonniers eux-mêmes pourroient la faire, pour qu'ils pussent les aider dans les cours des princes d'Allemagne avec une plus grande espérance de réussir, parce qu'ils ne devoient pas recommander des sectaires à leurs princes. Ces députés ne firent point de difficulté de leur donner une nouvelle confession au nom des églises de France. Voici cette confession *etc. Haec nobis satis suspecta videntur: de priore nihil apud Bezam. Etiam Saligius minus recte* (III. 321) *ducem Christophorum cum legatis colloquutum dicit antequam Wormaciam irent (ubi comitem Georgium dicere debebat) cui illi confessionem de coena exhibuerint quae ei satisfecerit (quod de priore illa m. Maio scripta intelliges si sapias) Patet utrumque scriptorem duas Bezae confessiones vel confudisse, vel utramque saltem Wormaciensi conventui traditam credidisse.*

10) *Scil. memoria tenens quo modo prior confessio a Bullingero excepta fuerit, haec caute addit.*

11) *Egregie falsus in hac sua opinione.*

12) *N.* 2737.

13) *Illi tamen satis habuerunt scripsisse, legatos vero mittendos non censuerunt.*

14) *Wolfgang comes Palatinus et dux Bavariae Cal. Iun.* 1557 *ecclesiam Bipontinam reformavit, promulgata constitutione eccl. ad amussim Ottonianae palatinae et Wirtembergensis formata, et a Melanchthone, Brentio et Marbachio approbata. Typis exscripta prodiit a.* 1563. *Struve, Pfälz. K. H. p.* 55.

15) *Christophorus Rascalo secretarius Palatinus, postea ap. Wirtembergensem ducem, homo suo nomine non indignus, Guisanis et Catharinae Mediceae venditus* (de belistre devenu valet de chambre du Roy, *Hist. eccl.* II. 272). *Cf. Sattler, Gesch. d. Herz. Wirtb. IV. Beil.* 227, *de Thou* III. 399.

16) *Melanchthon qui a. d. xi. Cal. Nov. Heidelbergam venit eos ibi adhuc commorantes vidit.* (*Baum* I. 310.)

17) *Wildbad.*

sub coenam) prima luce nos absolutos domum redire iussit. Hoc enim onus, inquit, in me libens recipio, daboque operam, ut omnes legati brevi Mompelgardum conveniant, indeque recta cum certis mandatis ex animi vestri sententia ad Regem contendant. Quod autem ad *Bipontinum* attinet, quoniam, inquit, cogeremini satis procul deflectere, nec dubito de ipsius voluntate, hoc quoque negotium scitote me diligenter curaturum. Ita, venia ab eo accepta, brevissimis itineribus Argentinam, inde Basileam et domum tandem singuli, Dei gratia, salvi pervenimus.[18]) Haec est nostrae legationis summa, cuius exitum superest ut assiduis precibus Deo commendemus.

Caeterum quoniam a vobis discedentes polliciti eramus, curaturos nos, ut nostra illa confessio[19]) plenius explicaretur, ne hoc quidem est a nobis praetermissum, quum diserte scripserimus, nos articulum coenae excipere, ita ut est in Augustana confessione positus. Sed et arrepta hac occasione sumus et cum illis simul omnibus theologis, et cum plerisque illorum de pace ac concordia colloquuti. Comperimus autem tria omnino esse in quibus non omnes quidem sed tamen aliqui a nobis dissentiunt, sed placide tamen ac moderate.

Unum est, non quae sit res sacramenti (iam enim convenit inter nos Christum ipsum cum suis donis in coena nobis communicandum offerri) sed quae sit signi cum re coniunctio, id est, panis cum corpore et vini cum sanguine. Volunt enim illi corpus cum pane, in pane sive sub pane esse, nos autem in coelis esse dicimus, et tamen non impedire locorum distantiam, quin fidei sit praesentissimum, et vere nobis communicandum offeratur, vereque a fidelibus per fidem, spiritus sancti virtute incomprehensibili, percipiatur.

Alterum est: non an infidelibus etiam res offeratur (convenit enim inter nos perfidia hominum non evacuari sacramenta) sed an infideles quoque rem oblatam percipiant. Hoc enim illi aiunt, quia rem cum signo copulant individuo quodam nexu, nos vero dicimus promissiones sive nudas sive sacramento vestitas, ipsum scilicet Christum cum suis donis sola fide percipi, ac proinde illos qui hoc instrumentum non afferant ad hanc actionem reos fieri corporis et sanguinis Domini, oblati quidem sed non percepti, imo vero contempti ac conculcati.

Tertium est: quae sint glorificati corporis dotes, et quomodo ascenderit Christus in coelos simulque sit nobiscum usque ad consummationem saeculi.

Et sunt quidem ista, ut multo melius nostis quam ego, maximi ponderis ac momenti, sed tamen, si de prima quaestione semel convenerit, reliquae duae per se dissolventur, et necessario evanescent et ubiquitatem illam spero perpaucos patronos inventuram. Cur autem id sperem, eas causas habeo, quas malim vobis praesens explicare, certe neminem invenimus qui nostram illam confessionem nobis quasi nostrae consensioni[20]) repugnantem obiiceret, aut qui aliter eam acceperit quam sit a nobis, id est, a D. *Farello* et a me scripta et nuper plenius vobis explicata. Quod si ex praefractioribus illam posthac nobis obiecerint, nostrum nempe fuerit illam interpretari: quod quidem ita faciemus, si sit opus, ut eam liquido appareat non modo pro illis non facere, sed aperte etiam illa superiora errata convellere. Sed multo meliora spero. Nam, ut paucis absolvam, comperimus candidissimum in illis animum, quorum summa est optimo iure apud omnes doctos autoritas, eaque ipsorum ore verba audivimus, quae spem nobis optimam faciant, non tantum synodi, nisi per nos steterit, sed etiam concordiae ac pacis futurae. Tantum enim abest ut summa illa quorundam *ἀποτομία* doctiores ac moderatiores alios vel nobis infensiores, vel ad sanctum aliquod colloquium minus propensos reddiderit, ut contra multo etiam videantur pacis ecclesiarum studiosiores, quam unquam antea, vel hoc nomine, ut illi mutuo saltem nostro consensu ad mitius aliquod consilium adducantur.

Neque sunt in hac voluntate theologi duntaxat saniores, sed etiam ex piis maximisque principibus non pauci, quantum ex multis argumentis praesentes cognovimus. Illud certe non dubito vobis ut certissimum confirmare, Francfurtensem conventum, anno superiore habitum, ob eam etiam causam aliquamdiu dilatum et postea productum, quod princeps ille,[21]) cuius *Farellus* et ego apud vos meminimus, quum ex priore legatione reverteremur, fore speraret ut aliquis illic superiorum ecclesiarum nomine, sicuti rogarat, compareret, quicum ageretur de ineundae concordiae ratione aliqua constituenda. Etsi autem nemo ex nostris illuc missus est, quod utinam esset factum, tamen ex piorum principum consensu scio fuisse constitutum, ut, finito Wormatiensi colloquio, rursum ipsi conveniant,[22]) et ad eum conventum superiores etiam ecclesiae commoda et honesta aliqua ratione invitentur.

Quae quum ita se habeant, et mirabilis Dominus eorum consilia dissiparit qui nos perditos voluerunt, aliorum autem voluntates ad pacem non parum inclinarit, videtur sane afflicta Dei ecclesia

18) *Nov. ineunte.*
19) *m. Maio Goeppingae exhibita.*

20) *Tigurinae anni* 1549.
21) *An Christophorus?*
22) *Convenerunt quidem d.* 18. *Martii* 1558 *tres electores cum aliis principibus. Nulli adfuerunt theologi, nulli Helvetii, et quem illi dederunt Recessum Francofurtensem ad pacem nihil valuit faciendam.* (*Planck* VI. 174. *Gieseler* III. 2. 225.)

quasi voce sua singulos nostrum hoc tempore expergefacere, idque a nobis pro suo iure postulare ut pro se quisque modis omnibus hoc negotium iam nunc apud eos urgeat, quorum voluntate et autoritate totam hanc actionem suscipi et administrari par est. Certe si ab iis invitati, quos etiam a nobis rogatos oportuit, venire recusaverimus, aut simile pacis desiderium non attulerimus, non video qui possimus coram Deo istorum procul dubio consiliorum duce et autore, coram tot infirmorum conscientiis, coram tot peregrinis ecclesiis, quae isto praesertim praetextu crudelissime vexantur, tam supinam nostram tarditatem excusare. Sed minime necesse est ad eam rem pluribus vos adhortari, quorum doctrinam cum singulari pietate ac prudentia coniunctam certum est ecclesiae Dei tam necessario tempore minime defuturam. Itaque de his hactenus dictum esto.

De Wormatiensi colloquio [23]) omnes qui actioni intersunt iurarunt silentium. Scriptis agitur non voce et singula utrinque scripta suis scriptis recondita servantur ut tandem ex collatione feratur iudicium. Sed quodnam tandem illud erit, et qui sedebunt iudices? Saxones illi petierunt ut ante congressum communi piorum consensu damnarentur Maioristae, Adiaphoristae, Osiandristae, Zwingliani. De tribus illis plana fuit responsio. Nam *Maior* iam pridem satisfecit omnibus, praeterquam istis: Adiaphoristas ipsi sibi confingunt, quorum principem non audent nominare, quem tamen in ista accusatione praecipue petebant. *Osiandri* haeresis satis est communi ecclesiarum consensu et libris etiam editis explosa. De iis quos Zuinglianos vocabant ita responsum ab aliis, tum principum legatis (puta *Augusti, Palatini, Lantgravii, Wirtebergensis* et aliorum aliquot), tum etiam ab iis theologis quos convenimus, nimium intempestive dissidia ista renovari, se non esse ecclesiarum iudices, nec ad illas, indicta praesertim causa, damnandas convenisse, studendum potius paci, et sedandis discordiis inter pios et eruditos homines quaerendum modum. At illi non modo non acquieverunt, sed etiam nostra damnatione scripta, et, ut audio, apud adversarios deposita, discesserunt. Quid moliantur satis apparet, et iam etiam expertus est *Philippus*, ad quem satis aspere Danorum Rex et *Augustus* ipse rescripserunt, ut ex ipsius ore intellexi. Sed ista sunt nimirum Satanae consilia, sibi a futuro illo, quod speramus, colloquio non parum metuentis. Dominus illum compescat et fortem animum suggerat piis principibus, ut in sancto illo suo proposito perseverent, et dissidiorum autores communi consilio coerceant. Interim adversarii, arrepta hac ipsa occasione, magis ac magis tergiversantur. Nostri contra instant, negantque principes sese vel obolum posthac, nisi pergat colloquium, Regi daturos. Dum haec disceptantur D. *Philippus*, cum genero, prorsus exhaustus, et ex uxoris morte [24]) valde tristis, Heidelbergam venit, quum ibi essemus, ut animum recrearet, statim Wormatiam rediturus. Dominus illum tam necessario tempore conservet. Quis sit futurus eventus istius colloquii nescio. Nostri certe nihil inde boni audebant sperare.

Porro Lutetia haec accepimus. Tres primum combustos mense Septembri, in quibus erat matrona quaedam et genere et pietate valde nobilis fidem ad extremum usque spiritum professa signis omnibus, quum, abscissa lingua et ardente face pudendis ipsius turpissime ac crudelissime iniecta, torreretur. Hos tres sequuti sunt paulo post alii duo fortissimi athletae, et tandem etiam duo alii 23. die Octobris, in quibus unus erat prorsus iuvenis, cuius et doctrina et constantia incredibilis saevissimos etiam carnifices valde perculit. [25]) Ab eo tempore audimus perlectis *Palatini* literis [26]) datas aliquas iudiciorum inducias. Captivorum plerique fortissime pergunt, adeo quidem ut quae inter omnes captivas feminas et nobilitate et generis et amicorum copiis excellit, oblatam a Rege veniam plane repudiarit, sui etiam et parentis et viri preces et lacrymas aspernata, digna certe quam nominatim Domino commendetis. Vocatur Domina *de Rentigny*, ex mariti nomine, qui vexillum gerit D. *a Guisa*. Patrem habet D. *a Rembolleto*, in cuius arce *Franciscus* Rex diem suum obiit. Det illi Dominus ad finem usque perseverare. Ecclesia nihilominus convenire solet, sed non ita frequens, plerisque per alias ecclesias dispersis. Sed ministri sane fortiter custodiunt gregem, inter quos adhuc *Gallasius* noster versatur. Helveticos legatos tamdiu illic manere, Germanos tamdiu cunctari miramur. In Arvernia et Provincia duae ecclesiae ex Andusae ruinis excreverunt, [27]) ad quas etiam ministros misimus. Tholossa peste et fame vexata crudelitatis suae dat poenas. In Pedemonte miro successu progrediuntur.

Haec sunt, carissimi et observandissimi patres

---

23) *Quae Beza de exitu adhuc ignorasse videtur, quanquam Melanchthonem Wormatia redeuntem Heidelbergae vidit, alibi accuratius relata invenies, tam apud modo laudatos scriptores quam in Corp. Ref.*

24) *Obiit illa a. d. V. Idus Oct. Ipse casum rescivit Heidelbergae a. d. VI. Cal. Nov. Ergo Beza tunc ibidem adfuit.*

25) *Nomina praebent annotata ad N.* 2754.

26) *qui ergo communem aliorum principum epistolam praevenit.* (*Hist. eccl.* I. 132.)

27) *De his nihil peculiare tradit Hugues, Hist. de la réf. à Anduze p.* 53. *Dicit tantum Guidonem de Moranges qui antea apud Arvernos evangelium praedicaverat a Genevensibus post persecutionem Andusam fuisse missum.*

ac fratres, quae vobis hoc tempore scribenda putavi. Dominus Iesus sancto suo spiritu vos confirmare et sanctis vestris laboribus benedicere magis ac magis pergat. Omnes collegae vobis gratiam et pacem a Domino precantur. Valete etiam atque etiam in Domino. Lausanae 24. Nov.

Th. Beza, vestrae pietati addictissimus.

2763.

HALLERUS BULLINGERO.

Quod felix faustum fortunatumque sit foedus ictum est et quidem sempiternum.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 247. — Simler. Vol. 91.)

Clarissimo viro Domino Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino et compatri suo carissimo colendissimoque.

Tiguri.

S. Plura tibi scripturus eram, sed non vacat nunc de omnibus scribere. Hoc unum tibi significare libuit, quod et te cupidissime lecturum et auditurum non dubito, quod scilicet praeterita die dominica, [1]) per Domini gratiam, tandem cum Genevatibus foedus non modo ad certos annos, sed sempiternum ictum et confirmatum est. Faxit Dominus ut hoc cedat ad gloriam nominis sui, et conservationem ecclesiarum et veritatis. Gratulantur ipsi sibi valde. Nostri itidem. Et spero fore ut cessent deinceps odia et simultates et dilectione mutua omnes se mutuo complectantur. Haec libenter tibi citius significassem, si potuissem, ut te mei gaudii non modo conscium, sed et participem habuissem. Sed non potui citius. Ora nobiscum Dominum, ut haec sint nobis fausta feliciaque. Multo enim tempore mihi nihil accidit laetius. Adeo enecarunt me tantum non hactenus amarae istae dissensiones eorum, quos Dominus non loco modo sed et in veritatis suae agnitione et confessione coniunxit. Si quae alia sunt scribenda, fiet hoc alio tempore, neque enim tam sunt necessaria. In Domino bene vale, et nobiscum laetare una cum fratribus omnibus, quibus omnibus salutem dico, in primis etiam uxori et familiae tuae. Salutant te nostri omnes. Bernae 25. Novembris 1557.

Ioannes Hallerus tuus.

2763. 1) 21. *Nov. Attamen haec tantum fuisse videntur praeliminaria, quae vocant. Nam in Actis Senatus Genevensis legitur d. d.* 20. *Dec.:* La combourgeoisie est acceptee *et in ipsius Halleri Ephem. p.* 116*:* A. 1558 11. Ian. Genevensium legati hic iurarunt foedus novum et vicissim eodem die legati nostri idem praestiterunt Genevae, magnaque ibi pompa et solennitate excepti et tractati sunt. *Grenus fragm.* 26. *Nov.:* Les Srs. Chevalier, Migerand et Roset ayant réussi dans leur négociation à Berne après plusieurs difficultés, on leur a témoigné la satisfaction que nous avons de leurs services.

2764.

GALLASIUS CALVINO.

Status rerum in ecclesiola Parisiensi iam aliquatenus laetior, vel saltem minus tristis, quanquam pericula et terrores non omnino evanuerunt. Ipse usque reditum meditatur et successorem exspectat.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 82.)

Clarissimo viro D. Carolo Passellio honorando patri ac unice mihi observando.

S. Tametsi abunde antehac scripsi [1]) de rebus nostris, tamen hunc pium virum ad vos proficiscentem sine literis meis abire nolui. Novi fere nihil accidit ab eo tempore, quod ad te scribendum putem. Attoniti videntur hostes, non quod sedata sit eorum rabies, sed quod eos vi sua Deus constrictos teneat. Multa quidem moliuntur saeva et truculenta, sed inanes eorum conatus fiunt: atque etiam nostrorum lenitate et patientia vincuntur. Nonnulli e vinculis emissi sunt, [2]) ea lege ut citati iudicio se sistant, alii amandati ad agnatos et gentiles, alii propter morbum in nosocomium emissi. Effecimus tandem ut *Iamesius* [3]) noster e foedo illo

2764. 1) *N.* 2756.

2) *Martyrs f.* 479. *Hist. eccl.* I. 132*:* Plusieurs furent envoyés aux monasteres, principalement les plus ieunes des escoliers desquels les uns se laisserent escouler, les autres n'estant estroitement serrés eschapperent. La pluspart furent renvoyés devant l'Official pour y faire abiuration et recevoir l'absolution ordinaire. Car les iuges se voyans les mains liees pour ne les envoyer au feu userent de ce moyen pour s'en defaire. Plusieurs lasches et craintifs ne se soucierent pas beaucoup d'obeir à cela, les autres userent de confessions ambigues. Il y en eut aussi qui aimerent mieux mourir entre les puantises et destresses des prisons ayans tousiours perseveré constamment.

3) *Iames Hamilton Comes de Arran Anglus qui a.* 1559 *ecclesiam in Chatellerault condidit. Cf. Macarium* 7. *Febr.* 1558 *et N.* 2480.

carcere, in quo diu captivus fuit, in lictoris domum ob diuturnum morbum duceretur. Quae ad sublevandos captivos pertinent facilius nunc multo quam antea obtinemus. Minae tamen ac terrores non cessant, quibus ad ardentiores preces assiduaque vota stimulamur. Multi enim adhuc tenentur in vinculis, atque aliorum vita, aliorum opes expetuntur. Caetera ex me audies quum te videre mihi licebit. Quod brevi futurum spero. Interea etiam nonnihil tibi referet hic bonus vir qui mihi a D. *Marchione* [4]) commendatus fuit, ut eum tibi vicissim commendarem. Quod me prolixe facere non est necesse, quum erga pios omnes tua sponte satis propensus esse soleas, ac potissimum erga eos qui se *πρὸς οἰκοδόμησιν καὶ ἀρχιτεκτονικὴν τοῦ ἱεροῦ* accingunt.

Vale, mi pater, ac fratres omnes meo nomine salvere iube. Nostri vicissim vos salutant, ac praesertim *Fugerius*, [5]) qui quartana semper laborat. Rediit nuper *Lestreus*. [6]) Antea solus hic aliquando fueram. Nunc missionem facilius impetrabo, modo interea, ut iam scripsi, successorem paretis. E castris 27. Novemb. 1557.

Tibi addictissimus
N D GLLSIUS.

2765.

HOTOMANUS CALVINO

Priores literas ei redditas non fuisse miratus varia iam nova maxime Argentoratensia refert, de Marbachio, de colloquio Wormatiensi et futuro inter evangelicos, de ecclesia Anglorum et Anabaptistis expulsis.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 131.)

Clarissimo et spectatissimo viro D. Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis vigilantissimo et fidelissimo

Genevae.

Franc. Hotomanus S. D.

Meas tibi literas redditas non esse sane miror. Eas mercenario cuidam typographo, homini existimatione bona, qui apud *Rihelium* diu artem exercuit et se tum ad Io. *Crispinum* conferebat, commisi. Quum *Rihelii* correctorem nuper de illius hominis fide rogarem, mihi confirmabat hominem esse pium et castum et integrum, neque suspicionem ullam in eo constituendam esse. Velim igitur *Crispinum* aut alium aliquem de illo interrogari, neque lubenter earum literarum iacturam faciam.

Ex eo tempore quid auditione tua dignum acceperim audies. Consul noster [1]) a me propter *Rongnaci* negotium appellatus ultro ex me de D. *Farelli* valetudine percontatus adiecit, senatum dedisse negotium *Marpachio* [2]) Vormaciam discedenti ut cum theologis de tempore et loco colloquii Helvetici deliberaret, scriberetque quamprimum ut postea quid facto opus esset dispiceretur. Idem D. Petrus *Sturmius* [3]) cuidam alteri a me apposito respondit. Io. *Sturmius* mihi quoque confirmavit. Speratur Francofurdum futurum. *Marpachius* in *Schnepfii* locum suffectus nudius quartus abiit. Nam rex *Ferdinandus* continuari colloquium iussit. [4]) Idem comitia Electorum Ulmam ad ferias Regum de imperatore creando indixit, hoc est, ut omnes interpretantur, de se ipso.

Angli nostri ecclesiam emphyteuticam, hoc est, usuram templi nostri impetrarunt opera et assiduitate [5]) D. Frederici *a Gottessem*, [6]) ut saepe D. *Alexandrum* praedicantem audivi. Poterunt a prandio suas conciones habere. *Sturmius* heri mihi narrabat patriam tuam exustam a Philippinis [7]) et Cha . . . . ium [8]) dirutum eversumque esse. Senatus noster aliquot Anabaptistis [9]) evocatis imperavit ut

---

4) *Caracciolo.*
5) *nobis ignotus.*
6) *De Lestre* (*cf. Macar.* 12. *Apr. et* 11. *Iun.* 1558) *Haag* VII. 45*:* ministre à Paris. On ne possède que peu de renseignements sur ce pasteur. Le nom sous lequel il est connu ne serait-il pas un nom de fief ou de guerre? Il a été président du synode national de Vertueil en 1567. Or pour qu'il ait été choisi par ses collégues, il faut qu'il ait déjà rendu des services et pourtant il est mentionné alors pour la première fois (?).

2765. 1) *Matthias Pfarrer.*
2) *N.* 2757. 2758. 2759.
3) *senator.*
4) Heri publice nostris lectae sunt regiae literae quae iubent pertexi inchoatam collationem doctrinae. Quid facturi sint antagonistae nostri nondum scimus. Tu tamen de reditu tuo statues. (*Mel. Marbachio d.* 19. *Nov. in Corp. Ref.* IX. 374.) *Iam Cal. Dec. praeses declaravit colloquii finem.* (*Salig* III. 331.)
5) *Ultra centum eius nationis inter quos plures nobiles Argentorati pedem fixerunt. Quod dicit templum nostrum, tu Gallorum puta.*
6) *Gottesheim ex insignioribus Senatus assessoribus, legationibus ad Imperatorem pluribus clarus, inter alia de Interim acturus.* (*Roehrich* II. 192.)
7) *Post proelium Quintinense Rex Hispaniae turmas aliquot equitum Noviodunum misit* (*quod oppidum iam antea incendio deletum fuerat*) *ut inde Baronem de Cleres cum suis Scoticis auxiliaribus eiicerent.* (*De Thou* II. 526.)
8) *nomen difficile lectu, fortasse Chaulny quo Hispani eodem fere tempore potiti sunt.* (*Thuan. l. l.*)
9) *Iam anno superiore, colloquio cum Marbachio et*

intra dies quatuordecim haeresim suam repudient, idque testato conceptis verbis se ex animo facere profiteantur, aut cum universa sua familia finibus agri sui demigrent. *Palatinus* idem instituere narratur.[10]) Dominus ecclesiam suam conservet tibique vitam diuturnam et incolumitatem largiatur ut ipsius ministerio quam diutissime superesse possis. Vale, vir clarissime et pater ex animo venerande. D. *Cokus* et *Vrottus* te perhonorifice salutant. Argentorati iii. Cal. Decemb. 1557.

Clarissimis viris D. collegis tuis S. P.

2766.

CISNERUS [1]) CALVINO.

Vetere consuetudine in memoriam revocata commendat ei Gallum aliquem in Helvetiam proficiscentem.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 191.)

Clarissimo viro Ioanni Calvino domino suo observando.

Facit humanitas illa tua singularis, Ioannes *Calvine*, qua me Genevae [2]) amantissime complexus es quum ad te literas Caroli *Molynaei* attulissem, ut absens ad te, virum excellenti eruditione summaque in Deum pietate, minime scribere verear. Neque enim, ut tunc gravissimis impeditus occupationibus minus mihi vacare potueras (quod mihi incommode sane accidebat), ita eaedem nunc prohibebunt, quominus ex his quid tibi tribuam literis cognoscas. Quanquam enim nunquam non ecclesiasticis distineris negotiis, tamen in iis tantum spero temporis et otii sumes: quod commodum tibi fuerit huic tribues epistolae. Ut enim nihil aliud adferat, mei tamen in te amoris et observantiae testis erit. Quam quia coram tibi ostendere non potui, commode me hac ratione significare putavi, quum praesertim ad vos proficisceretur Nicolaus *Diu*, natione Gallus, qui una mecum Caroli *Molynaei* literis tibi commendatus fuerat. Is enim, quum in Germania apud nos fundamenta verae religionis iecerit, ita ut excolat in vestra ecclesia apud *Pharellum* agere constituit. Cuius institutum quum dubium non sit quin tibi probetur, non petam a te id quod nemine etiam postulante tua sponte magna cum laude facis: nunc ut tibi commendatum habeas. Id potius rogo, ut quam mei memoriam his literis apud te renovare volui ea ne plane tibi excidat. Quod si Domini gratia reditus in patriam dabitur, non intermittam quin te in itinere sim conventurus, ut multis in rebus tuo consilio usurus. De meae vitae ratione facile, si volueris, ab Eustachio *Quercetano* [3]) cognosces, quocum, ut Antonio *Schoro* (qui ante paucos annos Losannae, ut nosti, hanc vitam mortalem cum immortali commutavit [4]) Heidelbergae vixi coniunctissime, eorumque praeceptionibus et doctrina plurimum sum adiutus. Sed de his ab illo omnia. Tu si has literas eo quo a me scriptae sunt animo acceperis, erit id mihi maiorem in modum gratum. Quem si maiori in re tibi declarare potero, nec operam nec studium sum intermissurus ullum. Bene vale, vir clarissime. Datae Biturigi 3. Calend. Decembris.

Tui studiosus
Nicolaus Cisnerus.

2767.

HALLERUS BULLINGERO.

Mittit ei literas Bezae et quae ex Wormatia nova acceperit refert, inter alia confessionem recens ibi exhibitam quae minime sibi placet. Addit quae circa foederis renovationem nuper acta sint.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 177, olim Epp. Tom. 47, fol. 263. — Simler. Vol. 91.)

Rabo habito urbe electi fuerant; nihilominus eadem iis usque quasi quaedam metropolis fuisse videtur, quum a. 1557 *teste Ottio* (*Ann. Anab. p.* 127), *conventum seniorum ibi celebrarint ex Moravia, Suevia, Helvetia, Brisgovia etc. congregatorum.*

10) *Concessit eis colloquium Pfeddershemii instituendum.* (*Ott. l. l.* 128.)

2766. 1) *Nicolaus Cisnerus Mosbacensis, natus* 1529, *post studia Heidelbergae, Argentorati et Wittembergae absoluta, per plures annos in Gallia et Italia commoratus Heidelbergae professor fuit, Electori a consiliis et curiae Spirensis assessor. Buceri affinis, etiam Martyri, Sturmio, Fagio amicitia coniunctus et Biturigibus Duareno, scriptis historicis et iuridicis inclaruit.* (*Adami Vit. Ict. p.* 115.)

2) *anno incerto.*

3) *De cuius Heidelbergensi statione aliunde nobis nihil cognitum.*

4) *Schorus Brabantinus, liter. human. prof. Lausannensis obiit* 1552. *Inter alia scripsit Thesaurum Ciceronianum. Heidelbergae, ubi in Gymnasio literas docebat comoediam per scholasticos agendam curaverat satyricam, ob quam ab Imperatore Electori denunciatus fuga sibi consulere coactus fuit.* (*Struve, pfälz. K.hist. p.* 37.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino et compatri colendissimo carissimoque suo.

Zürich.

S. Mitto tibi, colendissime domine compater, hic literas *Bezae,* [1]) quibus sine dubio exponit tibi profectionem suam ad principes, et quid Wormatiae atque alibi actum. Idem etiam nobis quoque per literas exposuit. Urget valde ut consentiamus in colloquium [2]) et nostris hoc persuadeamus hominibus. Mittit simul aliam confessionem, [3]) Wormatiae ab ipsis theologis illic congregatis exhibitam, quae mihi non placet. Mallem eos exhibuisse priorem illam apud *Palatinum* relictam. [4]) Vides ut se torqueant et tortis loquutionibus Lutheranis quodammodo satisfacere moliantur. Itaque metuo mihi ab illis, si quando res ad collationem venire deberet. Praevideo enim fore ut ex luce nos in caliginem aliquam inducturi sint, unde vix postea emergere possimus. Itaque rogo ut mox mihi iudicium tuum super hac illorum confessione et toto eorum instituto communices, ut apud nos quoque quod commodum videbitur agere possim.

De Genevatibus scripsi proxime: [5]) *Ire Legaten habend das Burgrecht angnon für sich selb, die doch vollmechtigen gwallt, doch wellind sis hinder sich bringen. Man wartet nun ir Bottschafft die hie schwere,* [6]) *so wirt man dann zů inen auch bottschafft schicken die es dert schwere.* Dum haec aguntur *so kumpt der Graff von Tschalon* [7]) *vnd noch ein anderer mitt imm,* missi a Duce Sabaudiae, *der begärt das Burgrecht mitt m. H[eren] zu ernüweren. Ist also ein praetext. Er m[arktete] gern mitt m. Heren vmm das Land. Ettlich mei[nend] er hinderte gern das Burgrecht mit Genff. A[ber ie] me er handlet, ie mee B. vnd Genff zemmen [halten] werdend. Inen wirt kurzes bscheid hie werden.* — — — — — — — — Bernae ult. Novembr. 1557. Salutant te *Musculus* et nostri omnes. Salutem tu dicas vestris omnibus nostro nomine.

I. H. tuus.

2767. 1) *N.* 2762.
2) *N.* 2755.
3) *N.* 2736.
4) *N.* 2628.
5) *N.* 2763.
6) *schwören soll.*
7) *Châlons.*

2768.

BEZA CALVINO.

Apud Bernenses male audit propter nuperam legationem, scilicet a sycophantis invidiose accusatis piis Gallis quasi seditiosis. Qua de causa cum calumniatoribus ipsis et eorum patronis acriter expostulavit.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 720. Edidit Schlosser p. 310.)

Eximio servo Dei D. Iohanni Calvino Genevensis ecclesiae vere fido pastori.

Genevae.

S. et pacem a Domino. De illo rumore quem medicus in *Zerkinten* sparserat nunquam quidquam intellexeram. Scripseras enim absente me, nec tuas literas unquam mecum communicarat noster *Viretus.* Caeterum a garrulis venio ad genus aliud hominum non multum dissimile, ad sycophantas dico. [1]) Superiorem meam profectionem pro Valdensibus [2]) calumniati sunt nonnulli ex Yverdunensi classe, quorum nomina nondum potui rescire, idque apud *Steigerum.* [3]) Nos enim dissimulasse quod esset verissimum, nempe Regem idcirco illis succensere pro quibus rogabamus, quod vi armata sacrificos eiecissent ex templis. Ergo, inquit *Steigerus,* non recte factum quod principes eo adduxerint ut pro seditiosis deprecarentur. Deinde Bernam reversus senatui hoc ipsum significat. Ego vix tandem ea re intellecta, ex quodam qui aliquid eiusmodi ex ipsius *Steigeri* ore audierat, statim ad illum scribo et magnam iniuriam factam dico non tam mihi quam optimis et integerrimis fratribus. Nam si ita esset, Regem minime id fuisse in suo edicto [4]) dissimulaturum, cuius exemplar senatui exhibueramus. Deinde etiam peto ut eius nomen edat a quo haec accepisset, ut et fratrum et *Farelli* ac meae existimationi consulerem. Ab eo tempore nihil de hac re audieram, nec putabam ad senatum id pervenisse, donec *Steigerus* mecum expostularet de literarum mearum acerbitate. Curabo tamen, inquit, ne me putes horum autorem, et istos ex quibus haec accepi tibi

2768. 1) *Quosnam hic notet patet ex titulo libri contra adversarios doctrinae de praedestinatione scripti Castellionis asseclas in ditione gallica Bernensium:* Ad sycophantarum quorundam calumnias quibus unicum (!) salutis nostrae fundamentum i. e. aeternam Dei praedestinationem evertere nituntur responsio Th. Bezae Vezelii. Conr. Badius 1558. 8. (*in eius Tract. theol.* I. 337 *ed.* II.) *ubi titulus est:* Ad Seb. Castell. calumnias *caett.*
2) *m. Aprili et Maio, unde huius ep. annus sistitur.*
3) *quaestorem.*
4) *d. 27. Nov. 1556 promulgato.* (*Ruchat* VI. 194.)

in manus tradam, quos etiam possis, si ita libuerit, in iudicium vocare. Exspecto igitur dum hoc praestet, et eum spero hac ipsa hebdomade affuturum ut *Vireti* nostri causam componat. Interim censeo fratres de ea re monendos:[5]) quos etiam optassem iam pridem quatuor civitatibus gratias egisse. Videtur tamen adhuc res integra, si se dicant id facere distulisse tantisper, dum quis esset futurus eventus experirentur. In literis autem quae ad nostros scribentur poterunt etiam addere, se intellexisse aliquid de illa calumnia, et ea omnia subiicere quae et vera sunt et maxime idonea videbuntur. Causam autem in genere ita agendam censeo, ut sese candide ac simpliciter purgent potius quam ullum accusent. De reliquis autem consilium capiemus ubi suo promisso satisfecerit *Steigerus*. Caeterum quidam qui hic apud nos est, fratribus non ignotus, meo hortatu scripsit ad fratres de hoc negotio. Tu poteris, ipso non invito, literas resignare et tuas adiicere, si tibi commodum videbitur. Cur vero, dices, tu ipse non scribis? Primum, ne videar oleum addidisse incendio. Deinde multo magis quia video me istis magis ac magis suspectum esse[6]) qui me ex ingenio suo metiuntur, quasi nescio quid celebritatis aut potentiae quaeram. Neque me tamen istae calumniae impedirent a scribendo, nisi putarem ista commodius ab aliis, ac praesertim a te (cui alioquin libentissime parcerem) administrari posse.

De rebus nostris. *Viretum* nostrum spero firmum fore, praesertim si eum confirmaris. Non agitur autem de hac controversia duntaxat, sed quo pacto possint in hoc rerum statu sacramenta administrari, ubi non modo nullus est ordo,[7]) sed etiam summum ordinis odium. Bene vale, mi optime pater. Dominus Iesus te incolumem servet. Nostros cupio ex me salutari. Laus. pridie Calendas Decembris.

Tuus Beza.

2769

PRINCIPES GERMANI HENRICO REGI.

Intercedunt pro piis in Gallia crudeliter vexatis.

(Ex apographo Bibl. Genev. fascic. documentorum 197 aa. N. 23. — Saepius edita est: in Corpore Ref. IX. 383 et aliis libris ibi laudatis.)

S. D. Inclyte, potentissime et christianissime Rex et Domine clementissime. Multa et magna beneficia et vere regia multis saeculis, quum aliae partes Europae ab inclytis Franciae Regibus acceperunt, tum vero praecipue Germanici Principes, et grati meminimus patres nostros eximia beneficentia maiorum Regiae dignitatis vestrae, et nos ipsos recens a Regia dignitate vestra defensos esse: propter quae beneficia et debere nos perpetuam gratitudinem profitemur, et gratiam Regiae dignitati vestrae habemus. Nunc quoque freti benevolentia Regiae dignitatis vestrae erga nos, sumus supplices Regiae dignitatis vestrae pro suis, non ut Regni tanti consiliis nos ingeramus, sed quia et misericordia adficimur in tanta calamitate vestrorum, sicut scriptum est: Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus: et inter Regias virtutes vestras bonitatem, clementiam et misericordiam erga homines modestos, non seditiosos, non petulanter delinquentes, eminere non dubitamus.

Intelligimus aliquot nobiles matronas et virgines, et alios modestos homines in vinculis esse, propterea, quod conciones seu audiverunt, seu probant, in quibus taxantur quaedam superstitiones, quae irrepserunt in ecclesiam, et cumulatae sunt

---

5) *propter legationem Parisiensem.*

6) *tam propter immoderatum in vindicanda praedestinatione zelum quam propter iteratas legationes in Germaniam.* (*Haller, Eph. p.* 118.)

7) *scil. negato disciplinae rigore quem isti in votis habebant.*

2769. 1) *Palatinus elector primus separatim ad Regem scripserat.* (*Hist. eccl.* I. 132 *et N.* 2762.) *Hae iam sunt literae communes principum protestantium nomine a Melanchthone scriptae. De quibus Pistorius ad Landgravium ap. Neudeckerum l. l.* I. 155 *haec habet:* Weiter können wir E. F. G. vndertheniglich nicht vorhalden das diese tage die Churf. Pfälzische vnd Wirtenb. Gesandte vns zu sich vnd jren Theologis erfordert do sie ein schreiben vns haben vorlesen lassen so E. F. G. an jre gnedige Herren gerichtet einer vorbit halben die vor etzliche gefangene Christen bey der kön. Würde zu Frankreich zu thun sein solte vnd darbeneben angezeigt das jre gn. H. vor gut ansehen das solche vorbit durch eine schrifft beschen darauf sie auch bevelch hatten dieselbige jn bester form zu begreiffen vnd zu stellen vnd haben sich letzlich dahin entschlossen das solch Concept D. Philippus vnd Brentius stellen sollen. Welchs auch beschehen vnd werden Ir Chur vnd F. G. dasselbig E. F. G. vff das forderlichst vberschicken mit weiterer anzeigung was sie darüber bedencken werden *etc.* Wormbs d. 3. Nov. 57. — *Patet has literas principum non confundendas esse cum aliis quas iidem ad Regem miserunt, alioquin satis similes, d.* 19. *Mart.* 1558, *ut vult Salig* III. 323, *qui etiam in eo fallitur quod illas per legatos Lutetiam missas fuisse dicit. Cf. Sattler, Gesch. Wirtb.* IV. 121. *De illa altera epistola v. etiam Martyrs f.* 480 *v. et Crottet, chron. n.* 28. *Quod illa prior epistola tam modeste processerit et a legatione mittenda abstinuerint principes, effecisse videntur Rascalonis istius tricae: qua de causa m. Martio sequente Beza denuo itineri se accingere coactus est.* (*v. Baum* I. 334. *Barthold* 234 *et thesauri nostrae copias suo loco exhibendas.*)

propter inscitiam et avaritiam monachorum. Neque enim negari potest, multos abusus, alios erroris, alios quaestus causa receptos esse, quorum emendationem etiam superioribus saeculis flagitarunt docti et boni viri in illo ipso doctissimorum coetu Lutetiae quae est praecipuum domicilium doctrinarum toto orbe terrarum, *Guilhelmus* Parisiensis, Iohannes *Gerson*, *Wesselus* et alii. Eosque abusus fatemur et a nobis taxari et tolli, ut ostendunt nostrae confessiones.

Itaque supplices sumus, ac propter Deum et propter filium eius Dominum nostrum Iesum Christum oramus Regiam dignitatem vestram, ut vitae illorum captivorum clementer et propter Deum parcat. Si aut seditiosas opiniones haberent, aut dissentirent a symbolis, aut reciperent turpitudines in moribus, nequaquam pro eis deprecaremur. Nam et nos contumelias Dei summa cura prohibemus, et magnis nostris periculis hoc agimus, ut recte Deus invocetur, et retineatur catholicae ecclesiae Domini nostri Iesu Christi consensus, expressus in scriptis propheticis et apostolicis, et in symbolis et probatis scriptoribus veteris ecclesiae purioris. Severe etiam morum turpitudines punimus, ac testamur Deum, non cupiditate inhonesta ulla, sed tantum ut Deo obtemperemus, nos amplecti hanc doctrinam, quae exstat in nostris confessionibus, quia agnitae veritati adversari non licet. Studemus igitur et cives esse verae Dei ecclesiae, et gubernatores honesti, et spe non dubia in hac invocatione Dei exspectamus coelestis ecclesiae consuetudinem. Ideo nec nunc deprecatores esse voluimus, nisi cognita confessione illorum, qui nobis calamitatem captivorum exposuerunt.

Comperimus autem illorum confessionem et congruere cum symbolis, et alienam esse a fanaticis et seditiosis furoribus, et scimus multos excellentes eruditione et virtute, amantes ecclesiam, scientes ordinem in imperiis Dei opus esse, et illustrantes veram doctrinam de dignitate politici ordinis, et magna cura tuentes nervos honestae gubernationis, de ea confessione consentire. Quare et captivos existimamus a seditiosis consiliis et a fanaticis opinionibus alienos esse. Ac mittimus exemplum confessionis, quae in omnibus articulis cum nostra congruit. In uno aliquid est obscuritatis, de quo conciliatio fieri posset eruditorum collatione. Neque enim dubitamus toto orbe terrarum omnes timentes Deum adsiduis gemitibus petere a Deo ecclesiarum concordiam, et Deum orare, ut flectat summorum Regum animos, ut recte diiudicari controversias curent, eamque cogitationem ante annos viginti suscipere patrem Regiae dignitatis vestrae, Regem *Franciscum* excellentem sapientia et virtute meminimus, sicut et veteribus saeculis inclyti Reges Franciae diiudicari ecclesiae controversias saepe curaverunt. Hoc et inclyti patris et maiorum exemplum imitari malit R. D. V. quam aliorum iniustam asperitatem. Magna cum laude Regia dignitas vestra adversata est Synodo Tridentinae, quae malo consilio ad oppressionem veritatis collecta fuerat. Ut autem propter gloriam Dei veritas illustretur et consulatur concordiae communi, Regia dignitas vestra deliberationem aliquando de controversiis explicandis per homines idoneos instituat, ad quam et nostros mittere non recusamus. Nam violentis consiliis nec sanari mentes nec tranquillitas ecclesiae restitui unquam poterit. * Et tristissimum est sine fine tantam asperitatem in ecclesia exercere, et a Regia bonitate alienum.

Quare reverenter oramus Regiam dignitatem vestram, ut propter Deum parcat vitae captivorum. Haec misericordia Deo grata erit, qui hac promissione omnes invitat, ut modestis leniantur poenae: Beati misericordes, quia misericordiam consequentur. Vicissim igitur Regiae dignitati vestrae Deus benefaciet, idque multi recte invocantes Deum in omnibus terris ardentibus votis petent. Et nos Regiae dignitati vestrae offerimus nostra officia cum perpetua gratitudine. Datae Calend. Decembr. Anno 1557.

2770.

BLAURERUS CALVINO.

Proponit ei quaestionem theologicam ad Adami lapsum spectantem quaeritque quid de Bezae nova confessione sentiat. Petit ut ipsi mittat commentarios recens impressos quibus iamiam addat quae etiamnum desiderantur. Denique nonnulla habet de colloquio Wormatiensi.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 136.)

Inimitabili doctrina raraque pietate viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae sanctissimo antistiti domino ac fratri suo tam venerando quam omnium longe carissimo.

Salve in Iesu Christo solida nostra salute, mi longe omnium colendissime carissimeque frater. Quanquam non parum multa sunt de quibus lubentissime ad te scriberem, tamen ne te publicis ecclesiae commodis adeo docendo scribendoque districtum intempestivius molestiusque interpellam, unum hoc magnopere ex te intelligere velim: ecquid tibi con-

fessio illa [1]) sanctissimi *Farelli* nostri et doctissimi *Bezae* de Christi coena *Wurtembergensi* principi exhita [2]) probetur. Deinde ut certiorem me facias an scriptum illud *Bullingeri* communis amici, quo hanc refutat, legeris quidve de illo sentias. [Non est hoc typis excusum, sed amicis aliquot communicatum, adeoque etiam mihi, nec dubito quin tibi quoque.] [3]) Scis autem candido me animo de iis te rogare, ut nulli prorsus quidquid responderis sit fraudi futurum. Addere iis etiam hoc visum est et sincero pectore abs te petere, ut de hoc mihi tuam sententiam significes: fueritne Christus Dei filius nasciturus, si primus ille Adamus non peccasset? Quum enim inter *Osiandri* dogmata hoc quoque inveniretur, et cum aliis istis, de essentiali iustitia etc. a nonnullis indiscriminatim damnetur, valde miratus sum promiscue illa tanquam a solidiore verbi Dei doctrina abhorrentia tanta autoritate reiici, quum praesertim olim etiam magno et excellenti ingenio viri in ea fuerint sententia, neque dubitaverim te quoque iis subscribere, priusquam ea quae in eruditissimis commentariis tuis in primum epistolae ad Ephesios, itidem ad Colossenses caput scripsisti diligenter, ut solco omnia tua, pellegi. Scribas igitur uno verbo hic quod sentias, quemadmodum de superioribus etiam omnino fatigari te nolim multa scriptione: abunde erit si ad singula vel etiam vel non respondeas.

Postremo vero et illud vehementer te etiam atque etiam obsecro, ut per hunc nostrum civem reliquam commentariorum tuorum in Psalmos partem mittas, [4]) accepto libri pretio, in quo quaecunque ante octernionem a. 1 et post q. 1, hoc est, ante primam et post 256 paginas adiecta nunc sunt desidero. Quod si commentarios in Oseam [5]) aut alios etiam absolvisti, et illos ad me mitti totis animis cupio. Talis profecto sum omnium literarum tuarum heluo, ut saturari nulla ratione queam. Dominus et corpusculo tuo robur et animo perpetuam alacritatem addat, idque tantisper dum omnes canonicae scripturae libros incomparabilibus tuis explicationibus illustres.

Bene vale, mi sanctissime anime, cum omnibus qui istic Christum sincere diligunt. Symmystas tuos cum optimo viro archigrammateo vestro [6]) mea vice reverenter amantissimeque saluta. Commendo autem me vestris Domino gratissimis praeconiis, ut is hanc senectutem meam immortalitatis stola Christi sanguine dealbata propedum velut aquilae renovet, quem non video ullum me porro operae pretium meo ministerio in Domini domo facere posse. Iterum iterumque vale. Biennae 3. Decemb. 1557.

Tuus si quisquam alius
Ambr. Blaurerus.

Abest *Fernelius* [7]) quem equidem Lausannae iam esse crediderim, quo etiam senatus nostri literas illi inscriptas hodie curavi mittendas, ut sperem propediem istic futurum ac nostrae exspectationi facturum satis.

De Wormaciensi colloquio nihil novi est quod scribam, nisi quod Saxones nonnulli et plus quam saxea capita plus in eo laborant ut Zwinglianos condemnent quam ut cum papistis colloquantur. [8]) Quanquam optimus *Philippus, Brentius, Pistorius,* et aliarum multarum ecclesiarum Palatinatus et Wirtempergensium ministri non amicos fratres condemnare nulla ratione noluerunt. Sunt hac in re sic omnia fere perturbata exulceratque quorundam Satanae organorum pertinacissima intemperie, ut nulla prorsum sit speranda concordia, nisi impia istorum temeritas principum ac magistratuum autoritate coerceatur.

Nos supplicibus votis assiduisque sacrarum precationum interpellationibus coelestem patrem per Iesum Christum sollicitemus, ut praesentissimo quopiam remedio deplorato isti propemodum discordiae morbo quam primum medeatur, ne exitiosum hoc malum intra ipsa ecclesiae Christi viscera latius serpat, tantaque etiam electorum suorum (si fieri posset) iactura grassetur.

Quidquid istic hoc anno egregii a typographis excusum est, quod nostra lectione dignum iudicaveris, ut ad nos perferri cures, obnixe amanterque te rogo.

2771.

CALVINUS BEZAE.

Respondit ad singula quae hic in nupera sua epistola attigerat.

2770. 1) *prior mensis Maii, quam Bullingerus annotavit.*
2) *lapsus calami. Lege:* exhibita.
3) *Haec in margine.*
4) *Opus absolutum fuerat Idib. Iuliis.*
5) *Budaeus praefationi subscripsit postr. Id. Febr.* 1557.
6) *Mich. Roset.*
7) *Lectio dubia, verum in Farelli nomine Blaurerus errare non potuit.*
8) *Hic, ut supra in mentione librorum a Calvino editorum, vides quam lente novarum rerum notitia in loca perveniebat commerciorum frequentia minus celebrata.*

(Ex apographo satis recenti Cod. Paris. Dupuy 102, fol. 28. Versio anglica III. 379.)

Eximio Christi ministro D. Theodoro Bezae amico et fratri integerrimo.

S. Dictavi heri mane literas ad *Viretum*, [1]) quum se quidam pollicitus esset abiturum statim a prandio. Quia mutavit consilium iussi alteri nuncio tradi. Hodie miratus sum quum eas in mensa mea cernerem. Huius rei te volui admonitum, quia alioqui absurdum esset in magna festinatione scriptas tam sero reddi. Eadem etiam ratio quominus tibi responderim obstitit: quod nunc facio paulo plus otii nactus.

Sycophantas [2]) quum ab illa vicinia exortos narras, perinde est ac si diceres aquam e fonte scaturire. Probo tamen quod libere expostulasti, et nunc ille Sybarita cogetur saltem vorare quidquid erit probri, nisi reum sibi addicat. Detestabile certe monstrum est tanta invidia furere homines ignavos, ut malint ecclesiam centies perire quam obstrepere eorum industriae qui eam iuvare cupiunt. Interea eo tibi certior sit laborum merces apud Deum, quo magis diabolo exosos esse vides. Neque adeo moleste feras perversas istas bestias suam in te virulentiam evomere, modo angeli tibi e coelo plaudant.

Miseris fratribus, quibus nihil solatii attulit legatio, [3]) nescio an utile sit novum dolorem addi. Deinde non credas quam parum sit in illis consilii. Unde suspicor ridiculos fore, si gratias aliter agant quam ex praescripto. [4]) Adde quod, si communes literae [5]) flagitentur, tres menses ante effluent quam inter se consenserint, propter locorum distantiam. Hortabor tamen *Stepanum* * ut [... *omn*]ium nomine officium hoc praestet. Quia rex conventum ordinib[*us indi*]xit ad Christi natalem, [6]) animandus erit rex *Navarrae* e ..... lii. Onus certe mihi odiosum: experiar tamen, praesertim quum noster *Collongius* puerile nescio quid meditetur. [7]) De quo tamen mecum agere dignatus non est. Sed *Veracio* dixit in manu sibi esse quoddam scriptum quod excusum vellet proceribus mittere. Quasi vero ex libello edito quisquam sententiam dicturus sit: imo quasi non essent alii aliis suspecti, ut clanculum illis in aurem consilium insusurrare oporteat si quid velimus prodesse. Quam [8]) turpiter nos sua mollitie et inertia deluserint legati, et fratres deseruerint, ex actione melius intelliges. Reliqua ex *Christophoro*. Verissime admones in causa *Vireti* videndum esse qua lege munus suum toto vitae cursu obiturus sit. Quod si bonorum offensionem metuit, maior pars, nisi fallor, optabit tam gravibus malis remedium. Vale, optime et integerrime frater. Dominus tibi semper adsit teque regere pergat. Nuncius qui has perferet non discedet ante diem crastinum: scriptae ergo fuerant a prandio ante concionem pomeridianam. Nonis Decembris 1557.

Ioannes Calvinus tuus.

2771. 1) *deperditas.*
2) *Cf. N.* 2768, *not.* 1. *Alludit sane ad Yverdunenses et Zebedaeum.*
3) *Epistolam Gallasii N.* 2764 *nondum accepisse videtur.*
4) *Vide quae Beza loco supra laudato de gratiis agendis scripserat.*
5) *Quas iam scriptas esse ignorabat.*
6) *Status regni, a quibus Rex pecuniam postulabat convenerunt postridie Nonas Ian.* (*de Thou* II. 554.)
7) *Redux erat Genevae. Quidnam meditatus sit nescimus, fortassis apologiam protestantium.*
8) *vox dubia.*

2772.

CALVIN A MADAME DE RENTIGNY. [1])

Exhortations adressées à une prisonnière pour cause de religion.

(Copies Bibl. de Genève. Vol. 107, fol. 81. Vol. 108, fol. 69 v. Berne VI. 589. Simler Vol. 91. — Ruchat VII. 339. Bonnet II. 159. Trad. angl. 381.)

Ma Dame et honoree seur, iavois iusques icy differe a vous escrire, non par faulte davoir memoire de vous, mais pource que ie pensois bien que vous aviez par dela gens qui faisoient leur devoir a vous exhorter selon la necessite. [2]) Et aussi iestois adverty de la constance que Dieu vous avoit donnee, tellement que iavois plus tost a luy en rendre graces qua vous solliciter. Sur tout pource questant si loing, ie ne pouvois bonnement scavoir quel estoit vostre estat, pour bien apliquer mon exhortation, selon quil eust este besoing, ie mestois deporte de ce que ceux qui estoient prochains pouvoient mieux faire, voiant quasi a loeil le mal au-

2772. 1) Il escrivit ceste lettre a Mademoiselle de Rantigny prisonniere a Paris. (*Note de Jonvilliers MS.* 107.) *Sur cette dame voyez les lettres de Bèze N.* 2754. 2762 *et celle de Calvin du* 10. *Avril* 1558 *ainsi qu'une autre de Macard du* 7. *Février. Il paraît qu'elle fut du nombre des personnes qui se ressentirent des effets de l'intercession étrangère. De Thou éd. fr.* II. 532: Les dames de Rantigny et de Champagne, femmes de la première qualité dont les maris n'étoient pas de cette religion, furent mises dans la maison de la reine Catherine.
2) *A cette époque Des Gallars était à la tête de la communauté de Paris.*

quel il faloit remedier. Toutefois pource que la longueur du temps apporte souvent beaucoup dennuyz, et que les tentations redoublent, et aussi pource que cest lartifice de Satan et de ses supposts [3]) de faire languir les enfans de Dieu, affin de leur amortir petit a petit le courage, ie nay voulu differer plus long temps a macquiter dune partie de mon devoir. Aussi ie ne scay pas sil plaira a Dieu de vous esprouver plus oultre, car possible que iusque icy en vous espargnant, il vous a donne loisir de vous preparer affin que ne fussiez prinse au desproveu. Car combien que ie ne doubte pas que naiez tousiours este appareillee a glorifier son sainct nom, si estce quil scait traiter les siens par bonne mesure, aiant tousiours esgard a leur infirmite. Or, quoy quil en soit, ie me tiens asseure que iusque icy vous navez pas este sans sentir son secours evident. Car combien que les alarmes naient pas este si rudes du commencement, comme a ceux qui ont este les primices [4]) pour monstrer le chemin au reste, si estce qua la longue vous feussiez deffaillie cent fois sans estre sousteuue par sa vertu. Parquoy aiant persiste et tenu bon entre beaucoup de combatz et contreditz, congnoissez quil ne vous avoit pas mise en oubly: et que ceste experience vous face esperer sans doubte que iusque a la fin il vous sera prochain, et parfera sa vertu en vous, quelqu'infirmite quil y ait.

Ie croy que vous avez entendu quil na pas tenu a nous [5]) que vous neussiez quelque soulagement du coste des hommes, mais le commencement a este si maigre, quil semble que Dieu ne veuille pas que nul sen mesle que luy. Combien que si les secons [6]) font mieux que les premiers, encor nous fauldra il bien congnoistre quilz nauront este quinstrumens de sa grace. De faict iay quelque coniecture, mesme quilz neussent pas meilleur advis ne conduicte que les aultres, quilz obtiendront plus. Mais quoy quil en soit, le meilleur est de se preparer a lextremite; car sil ny a que la sortie pour ce coup, il y aura bien a penser plus que iamais pour ladvenir, pour ce que ceux qui ne se voudront affranchir du service de Dieu en le quittant, seront plus estroitement captifz soubz la miserable servitude de Satan. Parquoy, ma dame et bien aymee seur, ie vous prie au nom de celuy qui nous a si cherement rachetez pour dominer sus nostre vie et nostre mort, que vous regardiez sur tout comment vous pourrez achever le cours de vostre vie en son obeissance. Croiez que vostre vie mest precieuse, mais ce nest pas a vous ny a moi de nous dispenser que nous ne preferions a une centaine de vies lhonneur de celuy auquel nous devons tout. Ie diz cecy, pource que ie presume assez quoultre les tentations qui vous pourront venir au devant, il y aura plusieurs souffletz pour les allumer, et cependant amortir la crainte de Dieu, si vous nestiez bien munie au contraire. Or quelques assaultz [7]) qui vous soient dressez, quant vous regarderez non seulement que vault lheritage des cieux auquel nous sommes appellez, mais aussi de quel pris il nous a este acquis, il y aura pour vous endurcir en une constance invincible: comme a lopposite nous serons bien tost abbatuz, et grans et petis, en destornant nos yeux de la. Principallement ceux qui ont plus dappuy et darrest en ce monde, y seront plus tost retenuz, selon que soubz umbre de tous les dons par lesquelz Dieu nous attire a soy, Satan sefforce de nous en eslongner. Mais ceux qui priseront bien la valeur inestimable de ce thresor qui nous est offert en lEvangile, quant le filz de Dieu se donne a nous, auront de quoy quicter tout ce qui est du monde. Quant tout est dit [8]) il ny a Prince ne Roy qui puisse estre Chrestien, sinon a condition doffrir sa vie et sa mort en sacrifice a Dieu.

Maintenant, puisquil vous appelle a rendre tesmoignage a la doctrine ou gist tout vostre bien, salut et gloire, pensez en premier lieu en quoy vous luy estes obligee, et si la condition de vous acquiter est dure et pesante, consolez vous de ce quil ne requiert rien qui ne retorne a vostre profit. Ie scay bien que plusieurs vous pourront alleguer quil se vauldroit mieux espargner, que de sabandonner sans profit, mais en remettant vostre vie a celuy auquel elle appartient, laissez luy disposer de lissue qui en adviendra, comme cest a luy de faire fructifier tout ce qui procede de nous, pource quaultrement il seroit inutile. En cecy et en tout le reste, congnoissez que vous estes appellee au combat, et puis que cest le temps de batailler, armez vous, selon que la necessite le requiert, non seulement en meditant les promesses qui nous doibvent fortifier iusque au bout, mais aussi en priant le Dieu de toute vertu vous soustenir par son Esprit, pour vous rendre plainement victorieuse, comme vous pouvez estre asseuree que beaucoup vous tiennent compagnie en telle requeste. Et de ma part ie le supplie de vous avoir en sa saincte garde, vous guider en toute prudence, droicture et con-

---

3) supports *Bt.*
4) premiers *Bt.*
5) *Allusion aux démarches faites par Budé, Bèze etc. en Allemagne.*
6) *L'ambassade des princes, qu'il espérait encore voir s'effectuer.*
7) au contraire de quelques assaults *Bt.*
8) *quatre mots omis Bt.*

stance tellement que son nom soit glorifie en vous comme il le merite. Ce 8 de decembre 1557.

Vostre humble frere et serviteur
Charles Despeville.

2773.

CALVINUS WOLPHIO.

Literae commendatitiae.

(Autographon non exstat. Describimus exemplar Cod. Genev. 107a, fol. 84, coll. cum Turretiniano Cod. 108, fol. 97; Epp. Bernens. VI. p. 717 et Simleriano Vol. 91.)

Pietatis et doctrinae eximiae viro D. Iohanni Wolphio ecclesiae Tigurinae fideli ministro fratri et symmystae carissimo.

S. Quod rarius ad te scribo[1]) mihi pro tua humanitate, optime frater, haud dubie ignoscis. Equidem sicuti nihilo minoris facio amicos si ab hoc officii genere abstineant, ita vicissim illis me excusatum esse cupio hac in parte, praesertim ubi nulla urget necessitas, vel non alius est literarum usus quam ut nostram alii aliis sedulitatem testemur. Itaque nuper, quum scribendi non esset otium, defunctum me putavi si tibi assereret *Stanislaus*,[2]) ut mandaveram, non minus fideliter me fraternam tecum benevolentiam colere quam si quotidie literis idem profiterer. Nunc ab optimo fratre et amico rogatus sum ut filium et nepotem ex sorore, cuius est tutor, ad vos proficiscentes mea commendatione prosequerer. Duos eius filios apud te fuisse audio, et hoc saltem gratitudinis testimonium est quod iterum in tertio filio et nepote cupit eandem sibi humanitatem quam expertus est praestari. Magistrum illis praefecit hominem et pium et eruditum et modestum, qui te molestia sublevabit. Quo liberius maioreque fiducia te rogo ne in domum tuam eos recipere dubites, quia parte oneris exemptus eris magis odiosa. Caeterum quia neque mihi satis compertum est quid ferat tua commoditas, et forte tuo consilio alibi quaerendum erit hospitium, ut plurimum apud te valeat haec mea excusatio etiam atque etiam te rogatum velim. Quanquam, si opus erit, simul D. etiam *Gualtherum*[3]) compello, cui proprias literas non putavi scribendas esse, quia apud vos omnes sufficeret una in rebus et magnis et parvis commendatio. Vale, eximie vir et frater integerrime. D. *Bullingerum*, D. *Petrum Martyrem*, D. *Gualtherum* et reliquos symmystas meo nomine et fratrum meorum diligenter saluta. Dominus vos tueatur, regat et confirmet usque in finem. Genevae 13. Decembris 1557.

Ioannes Calvinus tuus.

2773. 1) *N.* 2549. 2731.
2) *N.* 2730. 2731. 2745.
3) *Zwinglii generum, cuius filiam Regulam duxerat, pastorem ad S. Petri.*

2774.

CALVIN AU ROI DE NAVARRE.[1])

Il l'encourage à s'attacher fermement à la réforme et l'exhorte à intervenir en faveur des persécutés.

(Minute autogr. Bibl. imp. Coll. Dupuy. Vol. 102, fol. 4. Bibl. de Genève Vol. 107, fol. 83. Vol. 107b, fol. 5. Berne VII. 71. — Ruchat VII. 340. Bonnet II. 163. Crottet, Chron. n. 25. Trad. angl. 384.)

Sire, aiant entendu la grace que Dieu vous avoit faicte de sapprocher de vous plus familierement que iamais, pour vous certifier droictement de la pure verite de levangile de son filz Iesuschrist, nostre souverain Roy,[2]) iay prins la hardiesse de

2774. 1) *Cette adresse écrite de la main de Jonvilliers se lit dans l'exemplaire du MS.* 107. *Celui de Paris porte par inadvertance, de la main même de Calvin:* Au Roy d'Angleterre. *L'idée d'écrire cette lettre était venue à Calvin à l'occasion de la convocation des États généraux* (*N.* 2771, *not.* 6).

2) *Hist. eccl.* I. 140 (*cp. N.* 2743, *not.* 9): Quant au Roy de Navarre, il avoit esté instruit aucunement en ses païs (par les predicateurs de Jeanne d'Albret sa femme) et estant venu visiter le Roy à Fontainebleau apres la prise de Calais, print courage iusques à se trouver en quelques assemblees parmi gens de basse condition. Qui plus est, estant advenu que deux ministres de Paris furent surpris en leur chambre, l'un desquels fut lasché par les sergens, leur baillant quelques escus en la main, l'autre nommé Ant. de Chandieu fut emprisonné au Chastelet, ce Roy alla luy mesme le lendemain l'advouer de sa maison et l'en ramena sain et sauf. Et pleust à Dieu que ce Roy eust eu tousiours le mesme courage. — *Voici une autre notice empruntée à la même source* (I. 102) *mais remontant à* 1555: Le maréchal de S. André arriva à Agen pour consulter l'excellent medecin Cesar de l'Escale. Il amena avec soy un moine nommé P. David lequel preschant assez purement reveilla les esprits de plusieurs qui commencerent de s'assembler secrettement. Il fut contraint de s'absenter mais Dieu se servit de ceste absence envers la ville de Nerac auquel lieu la predication fut ottroiee en la grand'sale du chasteau par le Roy et la Royne de Navarre, commençans à gouster aucunement la verité. — *L'histoire eccl.* I. 155

vous escrire, esperant que pour lhoneur et reverence que vous portez au Maistre a qui ie sers, vous daignerez bien recevoir la presente, laquelle vous offrant et moy et tout le service auquel il vous plairoit memploier, vous rendra bon et fidele tesmognage, si ie nay la faculte et moien de monstrer par effect combien ie suis vostre, pour le moins que le courage ny deffault point. Aussi pource que iay entendu que de vostre grace vous me portiez bonne affection, cela m'a tant plus enhardy, pour m'asseurer que iaurois bonne entree et humaine vers vous. Qui plus est, ie me tiens asseure, quant vous verrez que ie ne desire aultre chose sinon que dieu soit glorifie en vous, voire pour vostre bien et salut, que vous souffrirez voluntiers destre exhorte par moy au nom de celluy qui a toute authorite envers vous. Car selon que les Roys et Princes ont a soustenir une charge difficile, tant plus ont ilz besoing destre advertiz quel est leur debvoir. Et voila aussi pourquoy dieu a notamment commande que les Roys applicassent leur estude plus que les personnes privees a profitter en sa Loy. Car de faict selon que Dieu les eslevant en haulte dignite, les approche plus de soy, jl les oblige quant et quant a semploier de tant meilleur courage a faire tout devoir envers luy, comme aussi ce nest pas raison que les Princes terriens qui ne sont que ses officiers et Lieutenans, veullent estre obeiz, et que luy qui a lempire souverain, soit fraude de son droit. Or cest au iourdhuy le temps plus que iamais que grans et petiz se doibvent efforcer a faire que Dieu soit servy selon quil le merite. Car on veoit tout si corrumpu et perverty, que la plus part de ce quon appelle Service de dieu ne sont que faulsetez detestables que le Diable a forge, pour faire que le vray Dieu soit deshonore. Or si les gens de basse condition et de nul credit sont tenuz, entant quen eux est, et que leur petitesse le porte, de mettre peine que dieu soit purement adore, il fault bien que les grans et ceux qui sont eslevez plus hault semploient au double, et chacun selon sa mesure.

Pensez, Sire, quant Dieu apres vous avoir choisy pour estre Prince dune si noble maison, vous a aussi retire des tenebres de superstitions ou vous estiez plonge comme les aultres, et vous a jllumine en la congnoissance de lEvangile de nostre Seigneur Iesus, ce qui nest pas donne a tous, na pas voulu que la foy que vous avez receue demeurast enclose en vous et comme ensevelie, mais plus tost que vous soiez une lampe ardente pour esclairer et grans et petiz. Et defaict ne doubtez pas que beaucoup de gens ne regardent a vous, et Dieu les y adresse affin que vous soiez tant plus solicite a vous aquitter a monstrer le chemin a beaucoup daultres. Dun coste jl vous doit souvenir quel soing nous devons tous avoir que lhonneur de dieu soit maintenu en son jntegrite, selon quil est dit au Pseaume: Le zele de ta maison ma consume et les opprobres quon ta faictz sont tombez sur moy. Parquoy la pure doctrine en laquelle dieu veult estre glorifie, nous doit estre si precieuse, quen la voiant obscurcie, voire comme abolie par erreurs, abuz, tromperies et jllusions de Satan, nostre zele se doit allumer pour nous y opposer entant quen nous est, et selon que dieu en donne le moien a chacun. Mesme ceste sentence doit tousiours retentir a voz aureilles par laquelle Dieu [3]) prononce quil rendra honorables ceux qui lauront honore.

Daultre part, Sire, les souspirs et angoisses de tant de pauvres fideles meritent bien destre exaulcez de vous, pour prendre courage a leur subvenir, et leur procurer quelque allegement, tant quil vous sera possible. Et a present loccasion sy offre plus que iamais en ceste assemblee des Estatz. [4]) Car jl est vray semblable quen traittant de ce qui concerne le gouvernement public, larticle de la Religion ne sera point oublie. Ie scay combien la chose sera odieuse que vous sousteniez [5]) la querelle de Iesus Christ: mais si vous, Sire, qui devez estre lorgane de tous enfans de dieu, avez la bouche close, qui osera ouvrir la sienne pour sonner mot? Nattendez pas que Dieu vous envoie quelque message du ciel: mais tenez pour resolu quen vous appellant en tel lieu et degre, jl vous produit pour son tesmoing et procureur de sa cause. Et daultant plus la magnanimite qui est en vous se doit jcy desploier: mesmes encores quil y eust quelque crainte pour les difficultez quon y veoit, daultant que cest a dieu de munir les Princes dun esprit franc et liberal, recourant a luy, ie vous supplie de vous evertuer comme cest a ce coup quil en est besoing, ou il est a craindre que la porte ne soit fermee pour ladvenir. Si louverture nest pas encores dapprouver le bien en plaine liberte, et condamner le mal, cest bien pour le moins de requerir quil soit congneu de la cause, et que tant de pauvres gens ne soient point condamnez a credit.

---

nomme comme fondateurs de l'église de Nérac: Boisnormand dit le Gay et Vignaux. *Crottet Chron.* 154 *suppose que ce fut* le Guay plus connu sous les noms de Bois-Normand et de la Pierre, *qui emporta cette présente lettre pour la remettre au roi à Nérac. M. Bonnet parle de deux prédicateurs* Le Guay dit le Normand, et de la Pierre. *Flor. de Raimond p.* 933 *éd. de* 1610 *dit que* Le Gai *portait les deux noms.*

3) *Les deux lignes comprises entre les deux mots:* Dieu, *manquent dans l'édition des Lettres fr. où on lit:* selon que Dieu prononce *etc.*

4) *N.* 2771, *not.* 6. *On y vota des subsides pour la guerre mais on ne s'occupa pas de religion. Le roi de Navarre n'y assista pas.* (*De Thou l. c.*)

5) sousleviez *Bt.*

Mesmes jl semble bien quon puisse remonstrer par raisons favorables que ce nest le repos et profict du Royaume, dy proceder par executions violentes, daultant que les feuz ne font que multiplier le nombre de ceux quon persecute, tellement que le sang sert tousiours de semence. Jl semble bien aussi que sans donner occasion a ceux qui ne peulvent encores gouster lEvangile, de sescarmoucher par trop, on pourroit mettre en avant quelques poinctz qui ne leur seroient pas tant en horreur, comme dalleguer pour exemple: si un homme se contentoit de prier dieu, et avoir Iesus Christ pour son Advocat, de le faire mourir pour telle querelle, que cest une rigueur trop excessive, et quil y auroit danger que dieu ne fust jrrite contre le pays: attendu que les Apostres et Disciples de nostre Seigneur Iesus qui sont les vrays mirouers et patrons de la Chrestiente, nont iamais sceu que cestoit de prier les Sainctz trespassez. Il y a aussi daultres abuz si lourds et enormes quil ny a nul propos de les dissimuler. Et toutefois si tost que quelcun en voudra remonstrer quelque chose, jl sera tenu pour heretique, sans senquerir plus oultre: qui est une extremite insupportable.

Il y a aussi un aultre advertissement bien digne destre faict. Car daultant plus quon cuide empescher le cours de la parolle de dieu, et maintenir les abuz en leur possession, beaucoup de gens deviennent profanes, sans loy ne sans foy, pource que plusieurs se mocquent hardiment en leur coeur de toute la Papaulte, sachans quil ny a qu'jgnorance et sottise: et toutefois craignans le danger de leur vie, reiectent toute jnstruction. Et a la verite sil ny est proveu de bonne heure, on sera esbay que le Royaume sera remply de telle jnfection. Et pleust a dieu que ceux qui sont les plus cruelz a faire mourir les pauvres gens, ne fussent pas telz contempteurs de dieu, et mocqueurs de toute Religion. Mais jl est a desirer que le Roy soit adverty que si on persiste dopprimer les bonnes simples gens, qui, par leur bon zele et crainte de Dieu, ne saccordent point a la facon commune, jl est a craindre que telle vermine ne gangne et occupe tout le pays, en sorte quil sera trop tard dy remedier.

Ie desirerois bien, Sire, que voz affaires souffrissent de lire un petit Traitte que ie feiz il y a douze ans passez, [6]) quant les Estatz de lEmpire estoient assemblez pour les different de la Religion. Mesmes ie vous oseray bien supplier quil vous plaise prendre le loisir de passer par dessus pour estre mieux informe quelle procedure jl seroit expedient de tenir. Non pas que ie presume de vous donner reigle, mais pource que ie me confie que vous ne desdegnerez pas dapprendre, soit par moy ou par aultre, quelle est la volunte de celluy auquel vous desirez de complaire en tout et par tout, affin de vous y conformer. [7])

Sire, apres mestre tres humblement recommande a vostre bonne grace, ie prieray nostre bon dieu et pere de vous avoir en sa garde, vous gouverner par lesprit de sagesse, droiture et constance, et vous faire prosperer de plus en plus. [8])

I. Calvinus.

6) *Supplex exhortatio etc. trad. en français en* 1544 (*Oeuvres Tome VI*).

7) confermer *Bt.*

8) Ce 14. de decembre 1557 (*ajouté par une autre main*). *La signature est autographe.*

2775.

CALVIN A MADAME DE LONGEMEAU. [1])

Consolations.

(Copies Bibl. Imp. Coll. Dupuy. Vol. 102, fol. 16. Genève Vol 107, fol. 82 et 108, fol. 99. — Bonnet II. 169. Henry II. 84. Crottet Chron. n. 26. Ruchat VII. 339. Trad. angl. 389.)

A ma demoiselle et bien aymee seur.

Ma damoiselle et bonne seur, ce que iay si long temps attendu a vous escrire na este sinon pour ce questant si loing ie nestois pas assez adverti de vostre estat en particulier, et ce qui pouvoit iournellement survenir. Parquoy iay laisse ceste charge a ceux qui estoyent sus le lieu, pource quilz scavoyent mieux quelle exhortation vous seroit propre, et aussi pour ce que ie ne pensois pas que la procedure deust estre si longue. Mais puis que Dieu, en prolongeant le terme, a voulu esprouver vostre constance, et aussi vous donner loisir et espace a vous fortifier de longue main, et aussi que iay cependant entendu un petit plus de voz nouvelles qu'au paravant, ie nay voulu faillir a vous declarer pour le moins que si les ennemis de verite sont vigilans a pourchasser vostre ruine, il y a icy beaucoup denfans de Dieu qui ne vous ont pas mise en oubly. Cependant puis que le moien de vous secourir nous deffaut, persistez a vous arres-

2775. 1) A Madamoiselle de Longemeau prisonniere à Paris. (*MS. de Paris.*) Il escrivit ceste lettre a ma demoiselle de Longemeau prisonniere a Paris (Jonvilliers MS. 107). *Cette dame n'est pas mentionnée ailleurs. Un Sr. de Longjumeau père de 12 enfants défendit sa maison assiégée par le peuple lors de la St. Barthélemy. Le Parlement l'obligea à sortir de Paris avec sa famille.* (*Coquerel, Egl. de Paris p.* 172.)

ter du tout a celuy auquel vous avez senty iusque icy un si bon support, quil vous a bien donne occasion dy fonder une plaine esperance. Les combatz que vous avez a soustenir sont divers, et un chacun est assez rude et difficile, mais Dieu na pas moins de victoires en sa main, quant vous batailllerez constamment soubz son enseigne. Seulement aiez tousiours memoire quelle querelle vous debatez, pour ne flechir en facon que ce soit. Car quelque delivrance que les hommes vous promettent, Dieu vous tient arrestee la, que si vous pretendez de racheter trois iours de vie en ce monde, cest renoncer a son heritage celeste. Sil luy plaist comme aussi ie le desire, il trouvera le moien pour vous faire eschapper. Seulement aiez cela resolu de ne tenir vostre vie que de luy, et cependant apprestez vous de suivre ou il vous appelera, sachant quil ne souffrira que vous soiez tentee oultre mesure, et aussi quil vous doit bien suffire, quoy quil dispose de vous, quil convertira le tout tant a sa gloire qu'a vostre salut.

Surquoy, ma damoiselle et bien aymee seur, apres mestre affectueusement recommande a vous, ie supplie nostre bon Dieu vous fortifier en constance invincible, vous gouverner par son Esprit et vous tenir en sa saincte protection. Ce 14. de Decembre 1557.

Vostre humble frere,

Charles Despeville.

2776.

MINISTRI TURICENSES BEZAE.

Gratias agunt et de suscepta legatione in Germaniam et de relatione itineris sibi nuper missa. Tum vero multi sunt in excutienda quaestione de colloquio et concordia cum Lutheranis, declarantque quam parum spei habeant de restituenda hoc pacto pace, improbantque Bezae confessiones nimia istis concedentes eaque frustra.

(Ex autographo Bullingeri in Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 106 olim Scrin. B. Epp. Tom. II. fol. 699, coll. cum Cod. Bibliothecae civicae Turic. F. 46, fol. 649. Cod. Goth. 405, fol 477 et Simleri Vol. 91. — Edidit Cyprian. abgedr. Unt. p. 59 Baum. I. 502.)

Clarissimo viro D. Theodoro Bezae Lausannae sacras profitenti literas, domino et fratri nostro colendissimo at carissimo.

Accepimus et legimus scriptum illud tuum,[1] frater in Domino honorande et dilecte, quo copiose, docte et diligenter explicas totam illam profectionem, quam propter vinctos Iesu Christi in Gallia suscepisti. Ac agimus tibi ingentes gratias pro isto tuo labore in gratiam nostri suscepto. Faxit Christus Dominus ut feliciorem sortiatur eventum legatio Principum, quam nostrorum sit consequuta. Interim consolatur nos quod apud Iosephum Philo legatus ad Caium Imperatorem et ab eodem cum iniuria repulsus sodalibus suis eam ob rem moestissimis dixisse fertur: Bono animo nos esse oportet, quibus iratus est Caius, quia necesse est adesse divinum, ubi humanum cessat auxilium. Quod ut nobis quoque et evangelii causa periclitantibus in Gallia fratribus obtingat, veracem in promissis suis Dominum sedulis precibus obsecramus.

Potiorem vero epistolae partem in eo consumis quod fuse exponis, qualem exhibueris Wormaciae congregatis ad colloquium nomine Gallicanarum ecclesiarum confessionem, et cur talem exhibueris, denique quod colloquium expetiveris, quod et nobis omnibus ultro ac serio ab illis expetendum esse videatur, praesertim quod ista ceu unica videatur restare via, qua perveniatur ad concordiam unice piis omnibus exoptandam, quo tollantur tandem offendicula ex ecclesiis Dei gravissima, et pax reddatur saltem exsulibus ecclesiis propter hoc nostrum dissidium misere afflictis atque divexatis.

Caeterum de colloquio in praesenti nihil respondere possumus. Si autem posthac ullum a Principibus legitime fuerit indictum constiteritque certo locus eius, tempus et modus, tum demum arbitramur a nostris ecclesiis in commune et opportune consultandum ac statuendum esse, quid facto opus ecclesiisque nostris utile et salutare videatur, ne dum cum aliis concordiam inire instituimus, ipsi inter nos dissipemur, neve ecclesias nostrae commissas fidei inter sese bello intestino internecino committamus: curandum denique fuerit inprimis, ut nobis ipsis inter nos recte conveniat, ne dum in harenam descenderimus cum adversariis, arma nostra in nostramet viscera stringamus, atque hoc ipsum tunc quoque nobis obveniat, quod nunc colloquentibus Wormaciae dolemus evenisse. Maluerunt enim inter sese certare,[2] quam communes hostes papistas coniunctis copiis aggredi. Quare et hostibus gaudium et triumphum laetissimum, sibi vero et symmystis moerorem ac dedecus ingens, infirmis quoque omnibus gravissimum scandalum compararunt. Alioqui non refugimus lucem et congressum, neque diffidimus causae bonae, quam videmus Dominum Deum nostrum in tantis diffi-

---

2776. 1) *N.* 2762.

2) *quod tamen in solos Flacianos cadit.*

cultatibus et annis iam pluribus etiam per simplices contra versutissimos fortiter defendisse. Parati sumus ergo secundum praeceptum apostoli unicuique rationem reddere eius quae in nobis est fidei. Neque abhorremus sane a concordia sancta cum iis qui eundem nobiscum Christum confitentur, sive Saxones sint sive Suevi. Christus enim nos omnes in unum compegit corpus, suoque nomine sacratissimo decoravit, neque aliud requirit a nobis impensius quam caritatem mutuam et concordiam sanctam. Interim non quamvis appetimus concordiam, sed religiosam, moderatam, nihilque cum confessa hactenus veritate sincera pugnantem, nihil obscuritatis aut dubii in manifestam lucem et perspicuam doctrinam inferentem, quae propter sinceritatem sit communis et grata piis omnibus, diuturna item et stabilis, quaeque nulla nova spargat novis dissidiis principia. Ergo non inique feres, si hic explicaverimus, quae nos impeditos teneant, adde et sollicitos, quo credamus difficilius per colloquium salutare alioqui negotium concordiae expedite et feliciter progredi posse.

Neque tamen haec rursus a quoquam eo abripi debent quasi totis animis cum fratribus confessionem Augustanam sequentibus, cum quibus hucusque in quibusdam nondum convenire potuit, dissideamus implacabiliter, aut quod ipsos ipsorumque ecclesias et odio prosequamur et odiosius condemnemus, aut ab omni prorsus colloquio abhorreamus. Saepe alias testati sumus quantopere nobis doleat infelix hoc dissidium, et quanti alias extra istam nostram controversiam faciamus fratres illos nostros, quorum tamen aliqui nos pro fratribus habere dedignantur. Proinde quae hic commemoramus huc potissimum pertinent quod non absque magnis multisque causis metuimus, minimo cum fructu instituenda fore colloquia, ut quae vix eum finem assequi posse videantur ad quem attingere debuerant, quodque toto pectore caveri modis omnibus optamus, ne quid nimio consensionis studio committatur cuius postea poeniteat, dum videlicet indignari et nobiscum dissidere incipiunt optimi quique ex Anglia, Gallia, Italia, aliisque nationibus luce veritatis illustratis.

Certe nobis nondum est persuasum colloquiis nos perventuros ad concordiam, aut colloquium cum istis hominibus unicum illam esse viam qua discedatur a discordia, nisi forte, priusquam ad colloquium deveniatur, in animum induxerimus velle nos simpliciter Augustanae confessioni subscribere, confessioni inquam Imperatori et Ordinibus Imperii omnibus A. 1530. in comitiis imperialibus publicis exhibitae, proximis quoque annis repetitae et oblatae concilio Tridentino.

Habita sunt non pauca ab edita illa confessione colloquia, in quibus tamen omnibus maior propemodum eius habita est ratio quam ipsius sacrosancti evangelii Iesu Christi, adeo ut qui ipsam in omnibus non agnoscat atque recipiat, licet plene et sincere evangelicam fidem apostolicamque doctrinam profiteatur, nihildum tamen sanae doctrinae videatur agnoscere ac recepisse. Unde iam non levi de causa veremur, etiamsi veniatur ad colloquium, operam nobis et impensam periisse nisi confessioni Augustanae per omnia et ante omnia subscripserimus. Neque vero haec ideo adducimus quod confessionem Augustanam prorsus reiiciamus, sed quod, quum tot ubique per orbem dispersae sint Christi ecclesiae, quae in quibusdam simplicius et purius sentiunt, quam in illa, prout tunc quum ea ederetur erant tempora, traditum aut professum * reperiatur, isti tamen homines nihilominus pergunt suam illam omnibus iniicere et praefigere tanquam unicam et perfectissimam fidei regulam, quam nisi quis sequatur in omnibus indignus sit consortio corporis Christi. Et quidem, ut difficillimos isti sese semper praebuerunt ad colloquia, ita plerique eorum non hoc spectare videntur ut amice et pacifice conferatur, deinde locus concedatur absque praeiudicio veritati, sed ut illi vicisse potius videantur semper, nos autem abstrahamur a claris ad obscura, a certis ad dubia, a disertis ad impexa, adeoque a nostra sententia in ipsorum opinionem. Etenim iactant nimis insolenter, suam illam doctrinam solam esse sinceram, ideoque contra Schuermeros et inferorum portas triumphaturam.

Quo etiam pertinet quod post tot annos et tantam veritatis lucem tantaque fide et diligentia dogmata discussa nunquam rerum suarum vel verbum mutare aut commodius proferre dignati sunt, nedum errores aliquot agnoscere atque deponere. Quibus adiiciunt nolle se nobis vel pilum cedere, aut tantillum dare. Neque vero aliter se posse aut velle cum Schuermeris agere. Certe ante annos viginti conscripserant in synodo Basileae ministri Helveticarum ecclesiarum confessionem fidei suae: quae recitata deinde coram omnibus ecclesiis Helveticis concorditer est agnita atque approbata. Eadem illa per D. *Bucerum* et *Capitonem*, qui et ipsi eandem approbabant, D. *Luthero* et symmystis eius in colloquio Witebergensi oblata, damnata quidem aut reiecta non fuit. Sed postulatum interim ut approbaremus Augustanam confessionem, quo ex ea re innotesceret, nos id ex animo sentire quod confessione scripta fueramus professi.

Fuit tunc quoque variis comitiis et colloquiis et quidem maximis sumptibus atque laboribus quaesita concordia, D. *Bucero* subinde pollicente certum firmumque consensum: sed dum ecclesiae Helveticae neque vellent neque possent confessioni Augustanae subscribere, totum illud et tanto tempore maxima cum spe versatum negotium, non in cine-

res, quod dici solet, recidit, sed in incendium erupit validius, quam unquam ante amicam illam pacificationem fuerat. Etenim D. *Lutherus* paulo post librum illum germanicum, brevem confessionem appellatum, in nos profudit, in quo tot haeresum * haereticorumque monstra nobis infert, totque diabolorum plaustra in nos exonerat, diabolo et nos et sanctas illas Christi ecclesias tradens.

Praeterea colloquuti sumus superioribus annis Tiguri cum D. *Calvino* atque *Farello*, dominis colendissimis fratribusque carissimis. Conscripta est consensio. Ea res *Westphalum* excitavit, qui mox omnes prope pastores tractus maris Balthici in societatem belli attraxit, qui omnes miram profuderunt confessionum copiam, omnes tamen in Augustanam illam respicientes. Quid quod isti omnes nulla re magis offensi sunt quam quod *Calvinus* suam doctrinam cum Augustanae confessionis doctrina, tamquam minime dispares, coniungere voluit? Neque enim satisfaceret his hominibus qui modeste fateretur recipere se confessionem Augustanam, sed intellectu vel sensu suo. [3]) Quid ergo videntur isti petere aliud, quam ut, praeterita semel doctrina ecclesiarum nostrarum nostraque loquendi ratione, simpliciter recipiamus confessionem Augustanam, una cum Apologia? Atque si quando pro sarcienda concordia colloquium instituatur cum Saxonibus, procul dubio neque postremas partes in eo, neque minimum suffragiorum numerum habituri sunt illi ipsi importuni homines, qui nunc quoque Regem *Daniae* et Electorem *Saxonem*, quod ipse quoque commemoras, in *Philippum* armarunt. Unde illud quoque colligimus, in colloquio illo, quod tantopere expetendum videtur, *Philippi* autoritatem, viri alioqui extra controversiam docti, pii et nobis atque piis omnibus non iniqui, non multum valituram. Quae et in Wormatiensi non plus potuit, quam quod isti secedentes a symmystis omnibus, oblata prius praesidi *Iulio* condemnatione nostra, discesserunt. Quumque plene et perspicue nostram de redemptione generis humani per Christum, de ministerio verbi et sacramentorum in consensione nostra expresserimus sententiam et diserte satis testati simus, nos in sacramentis non nuda agnoscere signa, qui factum est, obsecro, ut quum toties iam congressus sis, non cum furiosis istis, sed cum moderatioribus alioqui hominibus, de quibus nonnulla spes est fore ut se concordiae accommodent, ne semel quidem consensionem illam nostram apud ipsos protuleris? Intellexisti haud dubie etiam ab his non istam sed aliud et amplius quiddam a nobis requiri.

Ante sesquiannum [4]) colloquutus est cum D. *Brentio* vir clarissimus D. Ioannes *a Lasco*, qui et ipse pro sua pietate omnes pertentavit concordiae vias. Verum in quem finem erupit colloquium, aut quae illi spes mutui consensus aperta est? Diserte et absque involucro ipse Princeps illustrissimus illi dixisse fertur: Si vis pacatas videre ecclesias, delectarisque tantopere vera et stabili concordia, agnosce simpliciter Aug. confessionem et tuis illis in ecclesia peregrinorum hominibus persuadeto, ut ubicunque sint Germanicis sese coniungant ecclesiis.

Ac dum idem ille Ioannes *a Lasco* paulo post libellum edidisset cui titulum fecit: Purgatio ministrorum ecclesiae peregrinorum Francforti adversus eorum calumnias, qui ipsorum doctrinam de Christi Domini in coena sua praesentia dissensionis accusant ab Augustana confessione: [5]) quam, obsecro, gratiam retulit ab istis hominibus? aut quid hic periculosus alioqui conatus eius concordiae negotio contulit? Nolumus hic quidquam dicere. Loquuntur scripta ipsa quae contra Ioannem *a Lasco* hanc unam ob rem ab istis hominibus sunt edita: verum quid haec commemoramus peregrina, quum tu ipse hac aestate semel et iterum colloquutus sis cum spei melioris hominibus. At quid invenisti, obsecro? Expertus es illos humanos quidem esse ac benignos satis, nihilominus tamen, quod multis hic exponimus, nec sine causa tantopere inculcamus, illos perpetuo ad confessionem August. tanquam ad sacram recurrere ancoram, illam ipsam post longas ambages verborum, postque involucra semper obiicere, ac nisi ei subscribatur a nobis modicam reconciliationis aut pacificationis spem relinquere. Etenim constringuntur hoc veluti vinculo quam arctissime, quum ipsi tum et illustrissimi principes. Neque temere, ut videtur permultis, metuunt plerique facile fieri posse, ut totum religionis negotium vel propter unicum eucharistiae articulum in summum adducatur discrimen.

Imperator enim cum omnibus imperii ordinibus dissimulavit hucusque adeoque se dissimulaturum ad religionis diversitatem, ad futurum usque concilium promisit, modo Protestantes in iis perseverent, quae confessione oblata professi sunt, neque ullo modo illis accedant, qui idola deiiciunt et corporalem Christi in coena praesentiam negant. Exstant adhuc eius rei locupletissimi testes, Recessus imperii germanice impressi. Quid quod in consequentibus comitiis omnibus, ab Augustanis illis ad Reginoburgensia haec ultima usque celebratis, semper et unice cautum est, ut solis Protestantibus data videatur pax, alienis a confessione Augustana praeclusa, adeoque sacramentarii nominatim sint exclusi? Proinde quum hac veluti necessitate summa sint constricti, non mirantur illi, qui haec

3) *Sic Gen. Tur. habet:* sano.
4) *Acta Stuttgardiensia vergente Maio* 1556.
5) *Opp. ed. Kuyper* I. 243. *Frankf. Rel. Hndl. II. Beil.* 17, *p.* 167.

noverunt, cur tantopere a nobis requiratur subscriptio et cur non tueantur atque etiam profiteantur multi sinceriorem ecclesiarum nostrarum doctrinam, cui alioqui non sunt iniqui. Quibus omnibus illud quoque non leve accedit, quod illustrissimis sanctissimisque evangelicae religionis principibus sedulo a versutis huius saeculi filiis inculcatur, cavendum ipsis esse modis omnibus, ne vel suspicionem levitatis incurrant, idque apud Imperatorem, apud reges, principes atque omnes ordines imperii, apud quos semel professi sint oblata confessione August. fidem suam, quam in coenae negotio ita proposuerint, ut ipse Caesar et qui se appellant catholicos approbarint illum articulum. Caeterum a levitatis nota ipsos minime expurgari posse, si nunc cum illis ecclesiis consentiant, aut illas utcunque ferre velle profiteantur, quae in celebribus illis comitiis, dum Protestantes veluti in gratiam sunt recepti, hae * nominatim sunt damnatae, et hactenus in omnibus comitiis sub nomine Sacramentariorum exclusae. Videmus alioqui nonnullas urbes in illis ipsis Augustanis comitiis nominatim damnatas non potuisse recipi, neque receptas esse in societatem Protestantium nisi per subscriptionem confessionis Augustanae.

Verum ut eo unde digressi sumus redeamus, quum tu ipse praeterita aestate ageres cum principibus ipsorumque concionatoribus, viris doctis, benignis et moderatis, quid, obsecro, tuo efficisti colloquio? Reliquisti in illorum manibus confessionem nomine Helveticarum et Sabaudicarum ecclesiarum editam, quae sola abunde testari posset non in alium finem istiusmodi colloquia spectare, quam modo diximus. Confessio enim illa, quam insciis nobis obtulisti, magis in ipsorum doctrinam inclinat, quam nostram simpliciter exponat. Unde nos illam agnoscere non potuimus, ac te Tiguri in coetu fratrum, sicut scis, hortati sumus ut ab huiusmodi confessionibus scribendis et offerendis principibus abstineas. Nihilominus nunc quoque dum iterum ad principum illustrissimorum concionatores venisti Wormaciam in colloquium, aliud interim agens, causam nempe vinctorum Iesu Christi in Gallia, et novam rursus confessionem conscripsisti, et colloquium postulasti. Qualem vero confessionem? Talem omnino, qualem subinde dicimus et requirendam a nobis per illos, et dandam a nobis, si modo aliquid pacificationis sperare voluerimus. Talem enim confessionem vel ipse scripsisti, vel ab alio scriptam obtulisti,[6]) quae in omnibus confessioni Aug. consentiat, accedat, quinimo nominatim ipsam profiteatur. Excipis tamen, id quod interim probamus et laudamus, eucharistiae articulum, in quo adhuc aliquot haereant controversiae. Interea nos non arbitramur ecclesias Galliae puriores ea omnia, tametsi tu excipis eucharistiae articulum, agnituras, quae isti in sua illa confessione August. profitentur. Cuius quidem generis inter alia esse putamus: baptismi aquae necessitatem in infantibus ad salutem, confessionem item quae fit sacerdoti et absolutionem privatam, ut nunc alia non commemoremus. Nos certe in his, nedum in articulo eucharistiae, Augustanam confessionem non sequimur, neque illam unquam simpliciter recipere voluerunt ecclesiae Helvetiorum, sicuti prius quoque exposuimus, dum mentionem faceremus, quae in negotio concordiae acta sint per D. *Bucerum*. Proinde quum haec ita habeant, non temere diximus, quod modo repetimus, nobis nondum esse persuasum, colloquium cum istis hominibus unicam illam esse viam per quam veniatur ad veram solidam stabilemque concordiam, quum in omnibus hactenus habitis colloquiis constantissime nostris ecclesiis obtrudatur in omnibus confessio Augustana simpliciter recipienda, adeoque huc spectent istorum omnia, ut relictis nostris ad ipsos concedamus: quod quum illis dare non possimus, nisi contra fidem officium atque conscientiam facere libeat, tu iam cogita quam bene rebus ecclesiae nostrae consulas, qui profectionibus susceptis ad principes et eorum ministros, hoc impetratum cupis, quod cum tot tantisque coniunctum est difficultatibus et discriminibus. Scimus autem ecclesias Gallicas, adde et peregrinorum per Germaniam, minime a nobis postulare ut aliquid obscurum, impexum aut veritati incongruum recipiamus, quo ipsis liceat esse tutioribus et tranquillis magis. Agnoscimus item pace et concordia inter fratres nihil esse optabilius et iucundius. Beati pacifici, ait Dominus, quoniam filii Dei vocabuntur. Interim te quoque cum omnibus sanctis agnoscere non dubitamus, propter pacem ne latum quidem pilum a veritate confessa et simplicitate sancta recedendum, aut tantillum contra conscientiam recipiendum esse, maxime quum illud quoque Domini dictum celebre sit: Non veni pacem mittere sed gladium. Molesta sane res est, et tantum non abominabilis infirmorum offensio. Sed quid, obsecro, facias, praesertim quum te constringant diserta Domini mandata et periculum sit ne per pacificationem illam obscuram non modo non tollatur offensio iam inveterata et hoc minus noxia, sed conduplicetur potius renovata? Proinde fraterne hortamur ac obsecramus te, honorande domine et frater carissime, ne unquam obliviscaris verborum Domini nostri et apostoli eius dicentis: Estote prudentes sicut serpentes et simplices tanquam columbae! Videte ut circumspecte ambuletis ut sapientes, redimentes occasionem, quod dies mali sint, ac temperes ac caveas tibi posthac ne princi-

6) *Vide quae annotavimus ad N.* 2762, *not.* 9.

pibus viris ea pollicearis quae non modo difficilia et discriminibus plena sunt, sed etiam ad cognitionem et consultationem pertinent multorum, neve tot talesque pergas conscribere confessiones, quas vel postea multis declarare, atque ita in odium et amicorum et hostium incurrere cogaris, vel, si quando deveniendum sit ad colloquium, nos, fratres tuos, tibi adversarios sis habiturus, qui sane, tametsi ex animo propensi simus ad sanctam concordiam cum illis ineundam, qui eundem Christum nobiscum contra Antichristum praedicant, tamen dubiis et obscuris verbis vel sententiis in confessione nostra nullo modo uti volumus, quum sciamus omnium sententia semper receptum fuisse pro indubitato: confessiones fidei semper, maxime autem quum de rebus agitur quae in controversia sunt, esse debere maxime simplices et perspicaces, minimeque dubias ancipites aut obscuras, ne, dum cum aliquibus componitur, cum multo pluribus aliter affectis graviora bella suscipiantur, aut posteritati res per se clara, in gratiam hominum, nimio concordiae studio nebulis involvatur. Edita est autem a nobis Consensio qua plene et perspicue, et ita ut in ecclesiis nostris docetur et creditur, exposita est tota causa redemptionis nostrae, ministerii item verbi ac sacramentorum.

In ea perseveremus, obsecro, ut ita inter nos firma perpetuaque constet concordia, neque repudiemus interim paria nobiscum sentientes. Si autem viderimus aliquid his nostris obscurius aut intricatius aliis dandum esse a nobis, aut viderimus nobis aequioribus illis nostris fratribus virisque illustribus neque opportunum neque commodum esse, per Imperii quaedam decreta, vel propter alias rationes, nos ita, ut sumus, sentimus et loquimur, vel recipere palam vel pacisci nobiscum, utantur sane illi suis moribus, placitis atque loquendi rationibus, sinant autem nos uti nostris. Saltem coerceant, si possunt, petulantia et magis ferocia ingenia inter ipsos, ne pergant huiusmodi scripta subinde profundere, quae a nobis ex fide et officio praeteriri aut dissimulari silendo non possunt. Proinde si nihil melius aut maius aut sincerius impetrari potest, colamus saltem inter nos pacem et feramus nos invicem; donec meliora tempora et feliciores occasiones dederit Dominus. Hunc oremus interea sedulo ut quod humana prudentia, sedulitate et opera sanari non potest, divina curetur potentia, sapientia atque gratia. Vale, care in Domino frater, et nos symmystis tuis commenda ac ipsos nostro nomine diligenter salutare digneris.

Tiguri Decembr. 15. Anno 1557.

Pastores et Professores Theologiae,
Ministri Tigurinae ecclesiae.

Intelligit tua prudentia et pietas non quibusvis hanc epistolam esse communicandam aut spargendam passim, quod calumniatores et dissensionibus gaudentes omnia quae contigerint abripiant ad incommoda ecclesiae Christi et propaganda et firmanda. Dominus Iesus concedat nobis pacem stabilem et sanctam.

2777.

CALVINUS VARAGLIO.

Laudat eius constantiam in carcere et nunc etiam apostolicum quasi munus ei impositum docet.

(Manu scripta non exstat. · Edidit Beza Gen. p. 188, Laus. p. 404, Hanov. p. 452, Chouet p. 254, Amst. p. 116. Gallice legitur in ed. Berol. p. 248 et in Hist. des Martyrs fol. 459.)

Vincto Taurini propter evangelium. [1])

Etsi tristis nobis fuit vinculorum tuorum nuncius, optime frater, gravius tamen nos vulnerasset, nisi Deus, qui solet ex tenebris lucem elicere, moerorem temperasset aliquo gaudio. Est enim cur nobis gratulemur, quod tam fructuosa in ipso carcere iam opera tua esse coepit, ut magis quam si liber fuisses ac solutus, Christi evangelium illustraveris. Itaque merito animum tibi addere debet illa Pauli gloriatio, quamvis te captivum teneant hostes, sermonem Dei non esse alligatum: nec modo apertam esse ianuam auditoribus, qui semen illud vivificum ex ore tuo exceptum longius spargant, sed fructum coram oculis tuis emergere. Quod si te in angustias restringi contingat, erit tamen hoc laboris tui pretium non vulgaris solatii loco. Nam si fidei confessio coram gente tortuosa et perversa gratum Deo sacrificium est, quanto suavius spirabit odor in multorum salutem diffusus? Caeterum vides, frater, ad quam militiam vocatus sis: idque tibi sedulo reputandum est. Quum enim a privatis quibuslibet suo evangelio testimonium exigat Christus, sanctiori iure te obstrictum tenet, quem publicum creavit eius doctrinae praeconem, quae nunc in tua persona oppugnatur. Ergo ab eodem qui te hoc honore dignatus est, testem te productum esse memineris, ut quod ore antea docuisti, proprio san-

---

2777. 1) *Hanc inscriptionem fecit Beza. Ex Historia Martyrum scimus illi nomen fuisse Godofr. Varagle de Busque en Piedmont. Cf. etiam Hist. eccl.* I. 158. *Calv. ad Bull.* 7. *Oct.* 1557 *et Despelle ad Calv.* 1. *Mart.* 1558.

guine, si opus fuerit, obsignes. Interea fidum vitae tuae custodem fore ne dubita: et quando mortem sanctorum pretiosam sibi fore pollicitus est, qualiscunque erit eventus, tibi sufficiat haec compensatio, nunc filium Dei per te agere triumphum, ut te in aeternae gloriae societatem colligat. Pluribus tecum non agam, quia te in eius fide et patrocinio recumbere mihi persuadeo, cui dum morimur et vivimus moriendo sumus beatiores quam terreni profanique homines vivendo. Vale, optime et carissime frater. Salutant te collegae mei. Dominus tibi semper adsit, prudentia spiritus sui te gubernet, invicta fortitudine sustineat praesidioque tueatur. 17. Decemb. 1557.

Ioannes tuus quem nosti.

2778.

HALLERUS BULLINGERO.

Alteram Bezae et Farelli confessionem magis etiam ipsum in ea opinione confirmare declarat quod de colloquio nihil sperandum sit, quum qui illud flagitant tam ambiguis loquutionibus veritate obvelata rem conficere studeant.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 115, olim Scrin. B. Epp. Vol. VIII. fol. 2970. — Simler. Vol. 91.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo domino et compatri suo observandissimo.

Zürich.

— — — — — — — — — — — — — — — — —

— Exspecto usque quid tibi videatur de confessione illa altera *Bezae* et *Farelli.* [1]) Ego quid sit illud: Panis est κοινωνία corporis, id est, res illa quam quum sumimus filius Dei vere adest, capere non possum. Lego quidem Paulum panem vocare κοινωνίαν τοῦ σώματος, sed quod filius Dei vere quum illum sumimus adsit, non satis intelligo. Si enim volunt corporaliter illum tum adesse, errant et nos decipere hac loquendi formula conantur. Si vero spiritualiter, hoc est gratia et virtute sua illum tum adesse volunt, quum hanc rem sumimus, videntur gratiam symbolo alligare velle. Quid enim impedit, quominus sic ante et post sumptionem quoque nobis adsit, et non tantum tum quum sumimus? Faciunt ergo istis sutelis, ut valde a conventu, quem tantopere urgent, abhorream. Quomodo enim consuletur veritati, si nunc incipiant nostri in tam varias se vertere formas? Quae vero poterit esse concordia in dubiis istis loquutionibus? Simplicem esse veritatis orationem gentiles quoque agnoscunt et scribunt autores. Eam multo magis inter nos obtinere vellem. Quid vero sperabimus pacis ab istis, qui congestis confessionibus tam pertinaciter opinioni suae inhaerent, sicuti facere videmus Saxones? Quid, obsecro, putas faciendum, si ad colloquium requiramur? Satius esset, meo iudicio, ab illo abstinere, quam re infecta ad certamen redire. Quid vero effici possit, non video.

Novi nihil habemus. Foedus Genevense iam prorsus confirmatum est et instrumenta obsignata. — — — — Bene vale. Bernae 21. Decemb. 1557.

Ioan. Hall. tuus.

2778. 1) *Cf. N.* 2776 *et* 2767.

2779.

MELANCHTHON BULLINGERO.

Queritur de epistolis deperditis et fictitiis et commendat prudentiam in deligendis tabellionibus.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 117a, olim Scrin. C. Epp. Vol. I. fol. 466. — Simler. Vol. 91. Edita est in Bindseilii Suppl. p. 427.)

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti D. Henrico βουλιερῷ, carissimo fratri suo.

Tiguri.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Hanc epistolam dedi huic Anglo, qui ad me venit in Tyrigetis, quum ad Albim rediremus. Ideo autem scripsi, ut tibi significem, longiorem tuam epistolam, quam audio te dedisse medico Iuliacensi, mihi non exhibitam esse. Scio nostris literis multos insidiari et spargi seu veras, seu confictas, nomine *Calvini,* tuo et meo. Propterea velim te, si quid missurus es, tradere viris notis quorum fidem probas. Video me ad magna pericula redire. Sed post mortem meae coniugis [1]) necesse est me oeconomica quaedam negotia constituere. Commendo autem me et ecclesiam Deo. Bene vale. Die Brumae. [2]) In Tyrigetis.

Philippus.

2779. 1) *Cf. N.* 2762, *not.* 24.
2) 21. *Dec.*

2780.

CALVINUS FARELLO.

Agit de negotio Mompelgardensium et disceptatione illa veteri cum Tossano, verum deficientibus aliis hoc tempore fortasse scriptis de eadem re literis, quid potissimum hic sibi velit minus certum est.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 165. Habent et Turretinus Cod. 108, fol. 98 et Simlerus Vol. 91. In Archivis Bernensibus vero unde hic se habuisse dicit frustra quaesivimus.)

Eximio Christi servo Guillelmo Farello, ecclesiae Neocomensis fido pastori, fratri et symmystae carissimo.

S. Heri sub crepusculum mihi oblatae sunt fratrum literae, quibus si breviter et fastidiose respondeo, dabis veniam. Aegre certe adductus sum ut consilium quod petebant darem. Video neque ingenue neque aequabili tenore eos progredi, sed habere nescio quos impetus, quorum mihi ratio non probatur. Contra *Tossanum* libere agendum fuit, aut saltem *Matheo, Girardo* et reliquis non parcendum. Nunc omissa causa de caeremoniis tantum litigant. Posthac igitur aliunde sapiant, quam ex meo consilio. Scio me aspere scribere, sed memini ab initio flexuosas eorum actiones fuisse. Nec dubito quin ex obliqua et servili pervicacia plus imperii sibi arrogaverit *Tossanus*. Utinam, quando ita scribendum est, liberet aliis nihil ex me elicere, aut mihi integrum esset silentio vorare dolorem meum. Vale, optime et integerrime frater, una cum symmystis omnibus, quos meo nomine plurimum salutabis. Dominus vos omnes tueatur, regat et benedicat. Genevae 26. Decembris 1557.

Quod rogavit *Gaspar*[1]) noster, ut ad socrum scriberem, nunc exsequi non licet quia vix in tanta festinatione haec pauca.

Iohannes Calvinus tuus.

2781.

CALVINUS INCERTO.

(Quae sequuntur Calvinus anno 1557 Psalterio inscripsit cuiusdam theologi scholas perlustranti academicas. Inveniuntur impressa in: *Denkschrift des nassauischen ev. theol. Seminars für* 1864 p. 43 edita a V. D. Nebio prof. Herbornensi. Descripsit nostrum in usum V. Clar. C. Krafft -V. D. M. Elberfeldiensis.)

Nunc quum multas Europae partes Deus concutiat et armis strepat vicinia, inter istos turbulentos motus iam opportunum tempus est quaerendi dies quietis, quod nos ista sustineat ne ulla unquam mole obruamur quidquid acciderit.

Ioannes Calvinus.

2782.

CALVINUS ECCLESIAE CUIDAM GALLICAE.

Hortatur pios ut minis sui episcopi minime territi fortiter in fide perseverent.

(Ex edit. Bezae Gen. p. 196, Laus. p. 410, Hanov. p. 459, Chouet p. 265, Amst. p. 121. Gallice versa legitur in ed. Berol. p. 250. Beza ex gallico se hanc vertisse dicit. Authenticum non reperimus.)

Accepi, fratres dilectissimi, novas et pergraves molestias vobis exhiberi ab hostibus veritatis: ut totus in eo est Satan, dum filii Dei regnum promoveri ac piorum numerum augeri animadvertit, ut nullum non lapidem ad ipsos deiiciendos moveat. Quod autem Dominus interdum laxat habenas impiis, ut nobis noceant, mirum videri non debet. Aequissimum est nempe ita probari fidem nostram, nosque vere testari quo in pretio nobis illa sit, dum afflictionibus in nos propter salutis doctrinam saevientibus immoti tamen omnibus peractis stamus. Quod autem innata infirmitas nos hic quoque constringit, tanto maturius ad illius praesidium accurramus, quem posse et velle nostra causa * dubitare non possumus. Ut autem impetus illi adversariorum, dum in nos impingunt, non mediocrem ad ipsos sustinendos fortitudinem et robur requirunt, ita etiam illorum artes et doli singulari quadam cautione nobis sunt evitandi. Durum est multis, quod in vitae et facultatum discrimen vocentur pietatis nomine: sed illud longe deterius, ubi obliquis rationibus et cuniculis a spe in Deum et timore abducendi lactantur. Et hoc illud est rete, quod a bicorni illo episcopo nunc vobis iniectum est, dum trimestre spatium ad remittendum evangelio nuncium indulget. Sic infirmae animae in exitium pertrahuntur. Attendite vobis igitur, atque ab istiusmodi cogitatione non secus atque a certissima

---

2780. 1) *Carmel. Cf. N.* 2757.

suggestione Satanae abhorrete. Cui enim hoc vel levissime in mentem venire potest, renunciandusne sit et abnegandus sibi, a quo tam caro redemptus, in ipsius ius et servitium omnino transierit. Neque vero ulli flammarum etiam aestus et veluti inundationes, quae corporibus minantur tantum, quod unum possunt, quidquam sunt ad illam animarum pestilentem inhalationem quae in aeternum exitium tandem adductura sit. Quare quum illos veritatis hostes nihil non moliri animadvertitis, ut vos a via abducant, agnoscite simul illo artificio vobis retecto Dominum receptui suis canere. Ergo ubi serio res agitur praestate vos Christi milites, ac constanti fide Satanae insultando universas ipsius adversum vos instructas machinas disiicite: a mundo quoque vos subducite, a quo non minor pernicies vobis etiam imminet. Illud denique cogitate, sic esse voluntatem Domini, ut praesentis examinis occasione retecti tanto felicius sub ipsius praesidium accurrendo quiescatis, modo etiam in illo abscondito Altissimi firmi et immoti perstetis: et quae ad vos alliciendos ostentat Satan per nequitiae suae instrumenta, illa semel vobis ut infames scopulos praetervehenda statuatis. Valete, dilectissimi fratres. Dominus sua dona in vobis cumulet, ut quae instant adversa eluctemini, vos regat suo spiritu, ut in recta via ad extremum usque pergatis. Brevior autem fui, quum N. fratrem nostrum pluribus ista complexurum pro Dei in ipsum gratia confisus sum. 1557.

BRUNSVIGAE, TYPIS M. BRUHNII.